



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

Liber IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

LIBER IV.

HESAVRVM hic annus 1625. & Sinis, & toti per orbem Ecclesiæ aperit, ignorato ab ævo defossum, nunc se ortu beato proferentem; floruisse nimirum Christi nomen ante annos mille, toto Sinarum imperio, denis tunc Provinciis comprehenso, imperasse annis centum quinquaginta Reges Christianos, legemque Christianam vixisse, propagasse, ornasse superbis templorum basilicis, cultu, & honoribus Præsulum extulisse, tutatos deimam esse aduersus hostes quos primordiis Ecclesiæ natiuitatis Christus patitur obstare ad corroborandam suorum constantiam. Nec enim tunc summa res, penes vnum erat; Reges habebat beneficiarios Imperator, arbitros sui ac dominos, qui iura in populos pro libidine exercebant, horum subinde potentia, & perfidia abasi, Ecclesiæ hostes, solidis licet nixam fundamentis, quassarunt toties ve ipsas quoque sepelirent Sinensis Ecclesiæ ruinas, nec de iis restaret aliud, præter paucula illa, obscura, & arrosa quæ initio dedimus veritatis sacræ inditia, nullius aut anni aut seculi inditio certa. Quæ verò nunc prodimus haudquaquam Sinarum debentur chronico, hac parte mutilo ac planè muto; sed antiquissimo lapidi, monumenti insculpto partim Sinensibus partim Syris quem in Prouincia Scensiensis alta humo effossum hic annus aperuit. Est verò illa Prouincia, materno veluti nomine cæteris veneranda, quod eam primi fecerantur habitasse Sinarum fundatores, indeque innumeris nepotum familiaribus in Prouincias propagati, quas numero quindecim nunc implent. Id eò sit verisimilius quod ex India Sinas terra perentibus primi occurrant Scensiensis, vt qui Sifan versus, hoc est regnum Tibeti, & Calcatatis, longius porrigantur, & Maurorum, Persarum, ac Mogoris mercatoriarum caterarum, Scencium ad Septemtrionem appellant vniuersam, quæ murus decumanus Sinas adiungit à Tartaris. Sedem quoque ibidem multis sæculis Reges habuere in vrbe Sigano Prouinciæ Principe quæ suæ nunc etiam ostentat dignitatis antiquæ illustres notas, ædificia sumptuosa, & murum quo demptis suburbiis milliarium duodecim ambitu cingitur, tam magnifico, & tuto, vt iure aurei cognomen sit nactus. Huc nostri dum parant Christi crucem inferre, annis saltem post ingressum in Sinas quadraginta quinque, Ceuce in oppido, leucis ferè Sigano decem, ædificij noui aperiebantur fundamenta; ad hæc fossores dum solum expediunt, in marmor incidunt, quod

I.
Marmor effossum Christiana insculptum doctrina.

quod purgatum & lotum, inscriptionem exhibuit, manus eximia characteribus insculptam partim Sinensibus, partim peregrinis; nec magnoperè aliud præter casum in hac inuentione lapideis obseruare, qui eius hæcenus meminere; sed in literis anni 1639. quas habemus ex Prouincia Scensiensis extat viri senis testimonium nobile, à P. Stephano Fabri Euangelico Heroe, tuguriolo excepti quod habebat inter tuorum deserta pendulum; narrauit illi senex multorum annorum consequenti notatum obseruatione, locum ubi defossa latebat marmorea tabula, fuisse semper à niue liberum, regionem omnem latè circum densèque occupante, hinc loco, thesauri (quem multum optabant indigenæ) suspecto, vel singularis cuiuspiam arcani, aggressos fodere, & tunc inuenisse lapideam laminam, nulli certè thesauro imparem. Curiosissimi antiquitatum Sinæ illarum pretium, annorum ex numero centies, iisque sua illa ut vocant suburbana musæa, quò doctius, hoc elegantius decorant; accurrit igitur oppidi Præfectus; legit quod poterat, & norat, ex quibus apud se nihil conficit, nisi arcanum quoddam ingens characteribus iis regi, esseque rem antiquitate venerandam, ab usque scilicet vetusta Tami familia regia, & Chienciuni ductam. Erat marmor palmis quatuor latius, nouem longius non crassius medio, surgebat ex summo quadratum aliud, toto minus, quod sensum exhibet in acumen cruce intus insigne melitensi, nisi quod paulò circum ornatiore. Nouem sub ea characteres, terni tribus distincti ordinibus, totam occupabant quadrati aream; Maioris vero quadrati solum mille decem & octo habebat characteres, triginta ut Sinis vsus est, à summo ad imum diuisos versibus. Præter hos Sinarum characteres; limbo tabulæ inerant Syriaci veteres, sed ignoti, quin ne linguæ quidem certæ. Edita Præfectus reuerentia vetustati, annorum quinquaginta, & octingentorum, occultis fœtæ mysteriis, Taoistorum in templum quoddam, tabulam transtulit, vno ad urbem Sigantum milliari, basique alio sub conopio imposuit, alteramque illi è regione pariter erexit ubi eius inuentionem, prope Ceucen ditionis suæ oppidum profecurus est elegantis Stylo. Iam Ceuce, ac Sigant vniuersa in explicatione aut determinatione obscurissimæ scripturæ Literatorum ingenia fregerat, cum vnus ex media illorum classe qui Chingini dicuntur Pechini olim Riccio amicus, animaduertit quædam illic agi quæ de Christi fide ex eo audiverat, ingentique mox folio, ductis ut solent è petra typis, inscriptionis integræ exemplum edidit, albo characterè nigra in area expresso; quod statim transmisit ad Doctorem Leonem à quo gestæ rei narrationem habemus fidissimam, & exempli eiusdem minora ectypa communibus studiis cum Doctore Paulo absque numero cusa sunt, adiunctis procermiis, & necessario facularum quarundam ad ea intelligenda præliis, quibus item me uti nonnunquam oportebit. Ne per cæcæ noctem Sinensis contextus verbatim ut licuit conuersi palpando gradiar. Interpretationes habeo penes me octo; omnes quoad summam, auctorum

petiti,

peritia, easdem; singulas, ex ancipitibus characterum quorundam acceptionibus in nonnullis diuersas; hanc verò extra illas octo, utcumque lectori, grata vel secus ventura sit visum est hic integram ponere. Si prius monuero, vbicunque occurrit vox Acin, Iudæam intelligi. Illustres, & legem doctrinamque illustrem; Christianos esse legemque Christianam. Sinarum Reges quos nominat (omnes de Tami familia). Mandarinum item & literarum & armorum, iisdem nominibus, eademque tum successuum tum annorum serie refertur ab antiquis Sinarum Historicis ex quibus colligas Christianismi, quem lapis memorat, in Sinas introitum ad annum Christi 636. pertinere; hoc vero illius marcoreum monumentum fuisse anno 782. positum, nisi forte quid tribui deceat Doctori Leoni, suis saltem in rebus eruditissimo, qui annorum numerum utrumque duobus quinquenniis anteuertit. Nouem itaque literarum quæ summam operis intra quadratam coronidem indicabant hæc erat sententia; [Lapis in monumentum erectus propagatæ in Regno Sinarum legis Illustris ex Tacin;] (hoc est Christianæ ex Iudæa profectæ) inferioris quadrati titulus [hæc proponit Chincin ex Tacin Sacerdos, & dicit;] fusa inde hoc sensu narratio.

[Incomprehensibilis, & sempiternus; semper immobilis, & semper verus, cuius retexendo quod fluxit, non inuenitur principium; profundissimus, & purissimus spiritus; cuius, futura pertexendo non inuenitur finis, nihilum accepit, creauitque ex ipso vniuersa, & perfectè sanctus, formauit ad laudem suam sanctos. Hæc est diuina Essentia, ex vna substantia in tribus perfectissima, & originis experti Dominus noster Olooya (opinor Eloha) partes mundi quatuor in Crucem diuisit; commouit Chaos; duas condidit virtutes seu principia, (materiam, & formam) correxit obscurum aërem, cælum apparuit, & terra; iniere Sol & Luna gyros suos, & suas diem, & noctium vires. Sic absolutis omnibus, postremò primum hominem condidit, intelligentia, naturæ bonitate, & tranquilla intra se concordia præditum. Atque hic abyssi iactationes conlittere. Tranquilla erat hominis natura, & in affectus quorum erat capax, mala cupido nihil poterat. Suos ei laqueos tendit Suran (hoc est Satan) & in eos induxit miserum, scedauit itaque suæ innocentiae candorem, abruptit concordiam, qua secum ipse intima gaudebat; recessit à magna, facili, recta, & securâ naturæ leges; orta sunt sectarum capita trecenta sexaginta quinque. Certatim eæ sequaces ambire, iura illis dictare, illos adsciscere, omnes simul orbem vniuersum suis laqueis irretire. Alij creatis quæ pro libidine legerant, diuinos honores tribuere; defossi alijs in vacuo plurimi, duo inter extrema quiescebant, (se nempe de nihilo extitisse, & redituros in nihilum, quod est vulgare inter Orientales illos dogma) attenti alij fatorum decretis (seu propitiandæ potiùs fortunæ) sacrificabant, eaque inuocabant. Adhibebant quidam omnem industriam, in virtutibus simulandis ad fallendos ea specie incautos, sic

Q. o. o.

Hoc est plurima, quæ anni diebus indicantur.

mille erroribus implexa prudentia, vsusque bonæ rationis; & perturbationibus animi voluntas obcæcata, extra viam salutis errabant in tenebris, & in suis acquiescebant erroribus; cùm ex Trinitate nostra, nobilis & magnus Messias, velata sua vera maiestate, factusque homini similis apparuit, cuius lætitiæ nuntium Angelus attulit. Puella domestica (hoc est Virgo) sanctum illi peperit in regno Tacin (id est in Iudæa) splendida stella eius inditium Posu Regibus datura comparuit (Posu quid sit, nemo adhuc diuinat) qui ad eius conspectum, conuenere, tributum ei oblaturi. Reipsa hic præstitit quod viginti quatuor veteres prædixerant sancti, gubernaturum perfectò consilio regnum suum. Legem dedit nouam Vnius & Trini, & abique ambiguo strepituque verborum, veram fidem, rectamque operationem induxit, vnde terram absolutissima purgavit veritate. Beatitudines enarrauit octo. Ad sempiternas tres virtutes aperuit aditum: (Theologicas nempe) vitam dedit, & mortem peremit. Inde clarum diem ad expugnandam urbem tenebrarum eiusque habitatores demones peruenit (limbum videlicet) qui audacia deinceps & viribus casti remanserunt. Eductas illinc iustorum animas, misericordiæ suæ nati, tulit in regalem & splendidam aulam ad quam fuerant destinata; hoc modo naturam humanam restituit. Expletis deinde quæ agenda restabant, sub meridiem ascendit (in cælum videlicet) libros nobis relinquens viginti septem, & continuando eminentissimo operi conuersionis mundi baptismum aquæ & spiritus, qui purgat, & mundat, & in purum candorem reducit. Crucem habent illius Ministri pro sigillo, in quam orbis quas spectat partium quatuor, nationes, nulla excepta connectunt vniuersas, & voce eharitatis lucem ac spiritum omnibus tribuunt. Ad Orientem conuersi orant, vt iter ad vitam gloriosam in mentem reuocent. Barbam gerunt promissam, ne à communi hominum consuetudine discedant. Verticem capitis summum radunt, quo significantur, prauis omnes eorum animo reuulsi affectus. Mancipiorum obsequio non vtuntur, quod mortales inter se, omnes putent æquales, quanquam pauperes alios, alios locupletes; thesauros non congerunt, imò sua conferunt in commune. Ieiunant vt se ipsos doment, & vigiliis protrahant; vigilant, vt meditentur, & perfecti euadant. Orant, adorantque per diem septies: viuus patet succurrunt, & mortuis. Septimo quoque die sacrificant. Cor libe ablunt, redduntque suæ puritati & nitore. Vera est, mansuetaque perpetuum lex ista, nec potest nisi difficile, nomen fingi quod in eam quadret. Quod tamen clara sint illustriæque illius opera, & effecta. Chimehiao rectè (hoc est resplendentissima lex) nuncupetur. Ac si destituitur Regum præsidio diffundi non potest. Reges sine lege, nullius sunt pretij. Si probè cum lege Reges consentiant, totus illuminatur, & condecoratur orbis. Regnante igitur Sinarum Rege celebratissimo Taizun, cum clara, & purgata prudentia & integritate, fama que

famaque illius Tacinum (hoc est in Iudæam) perlata, eminenti virtute vir, Olopuen nomine, post examinatum nubium cursum, (iter nempe diligenter prouisum) per magna pericula, & molestias Doctrinam veram ad eum detulit, & anno Cincuo peruenit Ciangan (nunc Sigân Scensensis tunc Prouinciæ Regiam.) Colaum huic misit obuiam Imperator Famchiculim, extra occidentale muri latus, solenni habitu à quo benignè exceptus est, & in palatium deductus, ad translationem sacrorum Librorum. Eius interea doctrinam Rex nosse voluit ferreque de illa iudicium, quam ut rectam veramque comperit, promulgandam mox sequenti Rescripto censuit. Anno duodecimo Cincuo Taizun. Nomen proprium Lex non habet; nec eius Sancti (Prædicatores scilicet) fixam sedem, sed eam ut profint omnibus, quocumque circumferunt. Olopuen vir sublimi virtute, tam procul quam distat regnum Tacin (Iudæa) ad celsam hanc nostram Regiam, doctrinam, & imagines tulit. Nos eius doctrinæ fundamenta, inde ab his quæ tradit de orbe condito, accurato examini subiecta, rem esse præclaram comperimus, non loquacem ac streperam, sed rationibus innixam solidis, cunctisque profuturam, eoque dignam quæ cupctis promulgetur. Post iussit ab vno è primis proceribus, eo Regiæ in loco qui Nimsam dicitur, ædificari templum ingens quod Tacini templum vocaretur, haberetque Ministros vnum & viginti, Regiæ Ceu familiæ vbi virtus, & imperium defecit, Laota (sive Laozum) quidam, sectæ auctor fulco inuectus curra in Occidentem profectus est (exiuit nempe extra Sinas) Regnante nunc illustri & magna familia Tam, afflavit ab Oriente (loco scilicet benè ominato) aura, quæ legis allatæ doctrina nos moueret, & refrigeraret. Post hæc mandauit Rex suam effigiem templi parietibus appingi, ex qua emicantes gloriæ radij portas illius Ecclesiæ illustrabant, mundoque vniuerso splendebit eius memoria. Considerate descriptiones terræ ab occasu, & chronica familiarum Han, & Guei. Tacin (i. Iudæa) regnum Coralliorum (i. mare rubrum) ab austro habet. Ab aquilone ad montes gemmarum excurrit. Ab occasu sunt montes florum in terra amenissima. Ab ortu Cianfun, & languentes aquæ (maris mortui.) Texturæ ignitæ pannos regio producit (purpuram & cocuni) odores quibus spiritus refouentur (balsamum, & aromata) & gemmas quæ noctu scintillant (carbunculos) non tolerantur illic grafatores, non futes, non lex alia præter illustrem (Christianam) nec honor dignitatum nisi merito virtutum conceditur. Lata illic omnia, & tranquilla. Terra ampla, spatiosæ habitationes, pulchra omnia, & magnifica. Successit imperio Caozun, & magnas aui cogitationes Patrique ingens opus sapienter promouit. In Prouinciis singulis ædificari iussit Ecclesias, Olopuenum, habuit in honore; illumque magnæ legis constituit Dominum, quâ Sinarum imperium regitur, quæ tunc per decem Sinarum Prouincias fusa est. Centum muros (vrbes

Anno Chr.
636.Anno Chr.
639.Hic loquitur
Chim -
cin.

654

Q. O. O. 2.

619. nuratas) Ecclesiæ implerunt, Regnum literis & morum præstantia floruit. Sed anno Seinlié, simulachrorum sacrifici in Tunceu, magna vi linguas in transuersum egerunt ad opprimendam calumniis, & conuitiis legem Christianam & anno Sientien exeunte graues in Sicao, iniurias fidei intulerunt. Erat tunc Scelohan (Ioannes) Sacerdotum antistes, & Chielie quidam, & alij ex regione aurea nobiles, Sacerdotes altissimi, & à caducorum cupiditate alieni. Hi rete simul resumere, rupta fila nodis adstringere, soluta retexere, illudque demum mittere (hoc est Euangelij prædicationem instaurare, vexatione duplici interceptam) indixit magnanimus Hiuenzuncitao Imperator, Principibus quinque ut stationi felici (Ecclesiæ) per se præsentem se fitterent, & repararent altaria; sic restituta est in sedem columna, (Christianæ legis) cum aliquamdiu prostrata iacuisset, erectaque in altum firmiter, caput gloriosius extulit. Sub initium anni Tienpao iustus est Caoliesu, veras Imperatorum quinque effigies (ex profapia Tam, quorum erat Hiuen numero sextus) in Ecclesia collocare, quibus illuminata est ut sole terra, & quod celebrius id perageretur, solidos centum ex serico pannos Ecclesiæ offerre. Quanquam præsens non adsit draconis barba adsunt eius arcus, & gladij. (Videtur inuere, imaginibus Regum solis, quorum est tesserarium scutum Draco, abundè inesse ad defensionem, quantumuis ij absint. Anno tertio Tienpao, Sacerdos Chieho stellarum ductu in Regno Taciti (Iudeæ) ad nascentem solem (versus Orientem) in Sinas iter instituit, eoque peruenit. Mandauit Imperator Sacerdotibus Lohan, & Pulun (Ioanni, & Paulo) septemque aliis, & sublimi virtute Chieho, ut in Himchin, locum palatij regij conuenirent ad ritus suos obeundos. Pendebant illic in tabulis draconis literæ (Imperatoris verba in fidei commendationem) pretiosæ, purpureo, & cœruleo digestæ, stylus Regius (rescriptum regium) aræ spatium implebat, splendebatque ex loco edito inibat solis. Tantum beneficium, ac donum æquat altitudinem montium ad austrum (incertum quos montes intelligat) & profundum Orientalis Oceani. Nihil dicta lex quod non sit factu dignum; nec potest iustus quin eam obseruet, eamque obseruando gloriosam memoriam assequatur. Imperator Sozum insistens vestigiis, extrui præcepit Ecclesiæ illustri legis (Christianæ) in Limuu, & quinque aliis vrbibus. Felicem exegit ætatem eiusque opera in gloriosis numerantur. Taizun Imperator prosperitatem in sua tempora renexit, & placida pace rexit imperium. Natali quolibet (Regis, an Christi ignoratur) mittebat odorum cœlestium ingentem copiam, ad renouandam memoriam magnorum operum, & cunctis illustribus (Christianæ legis) ut honoraret illos prolixius, sustentationem assignabat (de mensa sua cibos) ita res habet, & cum cœli natura corporatur sanctus (Rex cœlum imitatur) utque cœlum producit omnia, & largè dispensat, simili modo Rex in suorum sustentationem. Nostro æuo Chiencium, modis octo claros & obsecuro

Cœpit regnare 719.

Ann. 757.

Ann. 764.

Ann. 781.

ros (bonos & reos) remunerat , & plectit ; sed nouem alios vsurpat , ad amplificandam Illustrem legem (i. Christianam) vnde in regiones cœruelas (longinquas) se portexit . Bene illi precemur ; id enim fecisse cor eius pudore haudquaquam erubescet . Ad summam enasit virtutis absolutæ , humilis , quietis amans , procliuus ad veniam , in omnes misericors , & tantæ liberalitatis vt ab ea excludatur nemo . Mirabilia sunt legis nostræ effecta , & opera vt habet cœlum constanti pulchrô que ordine statas , velut scalæ vnus gradus , pluuiarum vices , ac temporum , sic probè in ea educati , omnes sunt perfecti viuentes virtute , defuncti læticia . Inest illustri legi hæc vis , & hoc meritum , quamdiu in iis qui eam profitentur , cum præceptis facta rectè consentiunt . Ysu Sacerdoti dignitates & titulos Chinzu &c. attribuit , vestem illi dedit purpuream (alij interpretantur violaceam) erat autem Ysu legis strenuus propagator , pacificus , gaudens benè omnibus facere , operarius diligens in omni virtute . Venit in Sinas ex Vamsceecim (nescitur quis locus sit) magnitudine animi , nominatissimas peruasit generationes ; scientias promouit in decem Prouinciis ; habitauit primum in Regia , postmodum etiam locum inter Regum inuenit monumenta . Supremum agebat armorum Præfectum in exercitu Sofan , domini Tuemyami , nomine Cozuy . Socium illi Rex Sozun attribuit , & contubernalem eiusdem tentorij militaris Ysum , sed viuendi formam Cozuy gratia minimè mutauit . Dentibus sibi & vnguibus valebat ; exercitui oculis , & auribus . Rem sibi haudquaquam faciebat , imò in alios quicquid haberet elargiebatur . Ecclesiæ Lingen vasarium obtulit pretiosum ; Ecclesiæ Cechi , tapetes ex auro contextos , & serico . Instaurauit vetustas aedes sacras ; fundauit Domum legis (dicendæ foisitana , aut populo tradendæ) eiusque porticus , atria , & cameras ornauit tanquam Phasianos , qui multiplici colore turmatim volant . Et in operibus beneficentiæ se exercuit , alios non minus quàm seipsum amando vt à Porta Illustri (hoc est Magisterio legis Christianæ) Ecclesiarum quatuor , quotannis cogebat Sacerdotes , ministrabatque illis ex intimo corde , suggerens iis magna veneratione quod erat iis in dies quinquaginta necessarium ad fouendam vitam , quotquot ad eum ventissent reficiebat famelicos ; vestiebat nudos , curam gerebat ægrotorum , sepulturam defunctis , & requiem satagebat Taso , (Bonzius antiquus largitionibus in pauperes insignis) magnam suis misericordiis assecutus est famam , sed eò minimè perueniunt quò viri huius Ysu misericordias vident pertigisse candidarum vestium illustres (Neophyti scilicet) quare congruum fuit , eius hoc in saxo statuere splendidum & durabile monumentum .

Resumo igitur & aio , carentem principio verum Deum , immobilem , purissimum , sempiternum , creando , rebus dedisse principium , nudasse terram , cœlum extulisse ; vnã ex personis (diuinis) factam generatione visibilem , in hominem corporatam , & solis instar orientis

Eadem sed breuius reperuntur.

exterminasse Tenebrosum (Dæmonem) & stabilisse ex omni parte altam profundam veritatem. Splendidum Regem, inter primos Regum iure primum, occasione hac sapienter vsum difficultates complanasse; exporrexisse se cœlum, terram extendisse. Potita imperio stirpe Tam, venisse pariter illustrem Christianorum legem, ædificatas Ecclesias, ipsūque pro nauī, viuīs & mortuis fuisse, auctam per eum faustitatem, conqueuissē orbem totum. Caorum imitatorum aui sui, templis nouis ponendis insitisse, pacisque palatiis, quæ resplenduerē latissimē, terræque medium impleuere (sic Sinas appellant Sineses. Legis veræ lux se latē distendit. Eius capita riuulis, tranquillitate populos ornauit, & gaudio ab omni turbatione alieno. Hiuenzum Rex sapiens veram Recti viam prudenter tenuit, quas Ecclesiæ donauit tabulæ, erant aspectu mirabiles, in iis enim florebat literæ cœlestis ipsius scripturæ, & pretiosæ Regum fulgebant imagines, reuerentur illas proceres, laudabat populus, omnes læti spectabant. Regnans Sozun ipsemet (in Ecclesiam) venit. Videndum se præbuit sanctus Sol, & noctem aura prospera serenauit, rediit in domum Regiam felicitas, euauere miseriæ in perpetuum, & similitatibus sublati, terra nostra pacem obtinuit. Taizun obedientem sui virtus cœlo, & terræ æquauit. Vitam populo dedit, & secundo recessu iniuit. Odores mittebat (in Ecclesiam) meriti testes: magni erat animi atque munifici. Conuenere in eum Sol & Luna, (1. ab ortu, & occasu Reges ad tributum illi exsoluendum) Rex Chiensium à Septentrione ad austrum imperans, prosperè agit in magna virtute. Maria quatuor eius armis turbantur, decem confinium millia; eius sapientia illustrantur. Splendet quasi facula in hominum interioribus, & videt omnia, sibi velut in speculo expressa. Orbem quaquauersum luce omnem perfundit, & nationibus omnibus barbarorum regulam dicat. O quanta & quam perfecta lex quæ se ad omnia porrigit; tentari equidem indere illi nomen, sed quo tres nomine appellem qui unus sunt. Regia præstare opera penes Reges fuit; mihi subiecto hæc ea dicere. Quare hunc lapidem ad felicitatis summæ laudem, & memoriam erexi. Secundo anno Chiensium Regis, ex magna, & imperatoria domo Tam, mense septimo autumnali, die septimo (dominico) fulgente sole statutum est hoc marmor; regente Ninsien illustres omnes Orientis (1. totam Sinarum Christianitatem) Liu Sicoyan Mandarinus, Ciaoylan munus tunc obiens, antea Sufuzaichium in Taicou, propria illud inscripsit manu.] Hactenus Sinesis character, & scriptura, præter quam marginibus eiusdem marmoris, incisæ videbantur lineæ ferè duodecim quas nec Patres legere potuerunt, nec Sinæ cuius esset character agnoscere, qui Romam propterea missus, compertus est esse antiquus Syriacus, & in hanc sententiam traductus [Adamus Presbyter, & Archiepiscopus, & summæ inter Sinas dignitatis, Patre Patrum Hanan Iesua vniuersali Patriarcha sedente, anno 1901. Græcorum

Græcorum. Dominus Idbuzad Presbyter, & Archiepiscopus Cumdami quæ regni est ciuitas, Mili filius (cui apud Deum pax) Belchh Presbyteri in vrbe Tahurstan, hanc tabulam posuit, in qua legitur descripta Redemptoris nostri administratio, & Patrum nostrorum prædicatio, qui post Reges Sinarum vixerunt] sequuntur aliorum Archipræfulum duorum nomina; vnus Archidiaconi; & Sacerdotum complurium, Syrorum, Æthiopum, & ex Prouinciis Ægypti variis. Discrimen verò Chronologum Syrorum, quod annis discrepat à Sinensi decem & trecentis, numerandi regula efficit non error. Sinarum annos à Christi ortu computamus; Syri cum Græcis à morte Alexandri, quæ Christum annis decem & trecentis præcessit; annus itaque mortui Alexandri tertius decimus in Christi primum cadens illam tollit trecentorum & decem intercapedinem annorum quam Syriacus inducit textus. Oportandum hic foret, possèmq; vrinam, in lucem eruere, cuius tam immensi potentia factum sit vt florentis Sinarum imperio Christianitatis, superstes vestigium nusquam relictum sit præter hoc tot sæculis seruum, & fortuitum marmor; totusque ille annorum centum quinquaginta religionis Christianæ flos, & splendor sic euauerit, vt nec liquidò satis coniciatur extitisse, nisi lapidis indicio. Et silet hic planè Sinarum Chronicon, fide alioqui, & diligentia celebre, nec in Regibus Sinarum quos censet tabula, vllam facit Christianismi suscepti mentionem. Scripserit sanè ex Sinis non nemo, illorum historias de omnibus agere, quæ inscriptio tabulæ repræsentat, sed certè clausis viderit oculis non item legerit, quod negant nostri potuisse legendo se deprehendere. Ac ne statui quidem potest citra vllam dubitationem, fueritne is qui tunc viguit Christianismi flos, à fœtore purus errorum Orientalium; & secta Nestorianorum quam in Cambalu sua Marcus Polus inuenit, an miserum quoddam extiterit cæterarum Ecclesiarum post ruinam & dissectionem analectum. Nec suspicionem eluit, probatæ doctrinæ inscriptio, cum nihil habeat de duabus in vnam personam naturis; solumque nominet Virginem, non vero etiam contra Nestorium, Dei Matrem; ac nisi quos nominat Syriaca scriptio Alexandria forent quàm Constantinopoli proprios, malè is quicumque fuerit audiret Hanan Iesua Patriarcha vniuersalis, quem in Ioanne honoris titulum, Gregorius Magnus tantoperè reprehendit, paulò ante quàm Sinis Olopuen Euangelium inferret. Sed detur quod licet coniecturis, vbi firmius aliquid non occurrit; sequamur nunc Patres in eandem Prouinciam Scensiensem, & annos simul duos 25. & 26. vna opera complectamur, quando implicatior inter se rerum nexus, non sinit illos inuicem seiungi. De statione nostrorum Pechinensi, dici iure potest quicquid alibi metebatur, fuisse illic satum, ob illum quem olim narraui immunerabilem vndique in aulam Magistratum concursum, qui nostrorum imbuti sermonibus Christianismum plurimj probabant, & admirabantur; interdum aliqui admittebant; in omnes ferè patrias, seu Prouincias reuerfi

2.
An. tab. hæc
sit certè ca-
tholic.

3.
Propagatio
fidei præci-
pue ex regia
Pechinensi.

uerſi tuebantur, & fauoris ſui præſidio maximè iuabant. Hinc iſte fidei ſacroſanctæ in tres Prouincias felix introitus. Erat in Scenſienſi Prouincia Doct̃or Van Philippus, & repetita Sanuyen patria, deſunctæ matri parentabat; diſtabat hand procul Gian Paulus, Siuzaij gradu inſignitus, Patre natus palatij Præſide, quem Sinæ vocitant cæli Mandarinum. Quod eius ſit muneris Regi ſuggerere quos Magiſtribus varijs idoneos ſenſerit, quibus Sinæ de cælo nihil putant, poſſe venire beatiùs. Doct̃or Philippus Chriſti negotium in Prouincia illa prouecturus, dari ſibi ex vicina Trigaultium impetrat, eumque ab Aprili, menſes quinque ſolidos ægrotantem, ac ſua demùm charitate incomparabili vitibus redditum, Sigantum ducit cum Ciam Paulo; ad fundandam illic Eccleſiam & collocandam ſtationem, cõ illum ſummis inſinuat eius aulæ Præfectis, & Literatorum primarijs. Domum quandam ſuam Paulus ei hoſpitiõ commodat, in qua Patris ſui Mandarinum ſuprema gratia & auctõritate tutus eſſet ab omni iniuria. Primos illo ex agro, rudi planè hæcenusque intacto, proinde operoſo legebat fructus, cum caſu non admodum faulto diem clauſit; eius tamen laborum pretium fũere noſtrorum Chiancei ſtatio, & nouæ initia Chriſtianitatis. Iacet hæc ciuitas in Prouincia Scenſienſi; huc è Scenſienſi contigua Vagnonius tranſiit, in conuerſionibus animarum à Trigaultio cõceptis ſtrenuè ſudaturus, tantus tamen agendo, & diligentia cum eſſet tam infractæ, vt multorum facile impleret vicem, vix parti operis ſat erat dimidia. Fecerat ſiquidem legis quam docebat, peruagata vicinos ſanctitas, & Literatorum conuerſiones ad Deum numeroſæ, paſſimque celebris Neophytorum virtus, & mira interdum quibus ſupra naturæ ordinem patrandis, doctrinam fidei confirmabat Chriſtus, vt euocaretur à multis populis, angereturque grauiùs quod negare ſe plurimis cogere, quorum multitudini par non erat, quàm gauderet paucorum quibus ſufficiebat inſtitutione. Menſes decem Chiancei nondum egerat, cum diuina edoctos myſteria ducentos, Chriſtianis adiunxit, in quibus ſexaginta Literati, & ex his nouem iam inaugurati primo gradu, præter Vanſuos non paucos, hoc eſt, ortos ſecundo gentis regij ianguinis. Verum anno ſequenti quinto & vigefimo æui huius, quingentos ex idololatriæ ſacro baptiſmate expiauit. Excurſiones autem ſacræ cuiuſmodi fuerint vnus ſucceſſu colligatur. Pagus fuit militari- bus Chianceo non plus duodecim, illuc Vagnonius cum veniſſet Chriſtianum reperit neminem, trecentos abiens reliquit, & Cathæcumenos totidem; in perfectam frugem quoad rediret maturandos, eum verò ignem hauſerant cum baptiſmo, vt quod inde ad nos ſcribebatur, toti ſpiritu arderent: ægrè verba infantes formare didicerant, & iam fidei tenebant rudimenta, multo que gratia lepore recitabant. Pagum noctu turmatim obibant pueri Chriſtianæ doctrine concinentes carmen. Solitæque ad penſa operum feminae in cæru equalium.

æqualium conuenire, cantu idololatræ profano, Christianæ seorsum pio, laborem leuabant; ne ipsa quidem formiorum obiecta carebant diuinis quæ vaporato per diem animo noctu recurrerant. Sed cuncta præcallebat virtus, in Neophytis veterana; cuius exemplo erant Germani, Thomas & Stephanus qui Pechino Chianceum in patriam reduces, illuc vocarant Trigaultium, idque breui tulere charitatis in patriam præmium, ut exiguo numero, quem Deo Trigaultius inuenerat; succedente Vagonio accederet alij cateruatim, & Christianismum confertim ambiret. Restat Alenio quid factum, quid Colao le videamus, quid data fide, ab Alenio Colao reuifendi; iuandi Alenium, ad profeminandum Euangelium à Colao. Nam promissis vterque bellè stetit. Habet Prouincia Fochiensis omnium fortè Sinenfium minima, ciuitates sex supra quinquaginta, in iis octo dignitate & amplitudine, regionis habentur capita. Arces regie frequentes, portubus, sinibus, & fluminum faucibus ab ortu in austrum imminet, qua extraneas insulas in prospectu cernit. Asperis natura montibus interiora omnia occupantur, sed arte atque industria domitis, & in vsum planorum conformatis. Cum enim oriza qua fere aluntur nisi planis locis, & aquis residibus nusquam maturefcat, artem ingenio suggessit necessitas ut plana in montibus conderet; illæ tamen syluis quarum lignatio nullibi quam illic vtilior ob perpetuam nauigationem; ima ergo decliua montium, ad eorum radices in pianum deducunt sementis capax quam designant, muro rustico illud cingunt quæ videtur terra nimium pensilis, ob eluiones imbrium ruinam minari. Post hoc aliud inferiori angustius coæquant in loco editiori planum, & muro itidem fulciunt, aliæque deinceps gradatim, pro montis ingenio, arctiora; quæ suis aptum anabathris theatrum pulchra specie exhibent, maximè vbi sacra verticibus montium propiora syluis nutantibus coronantur. Cum autem interiecto mari Iaponiam, pauloque vterius Formosam à fronte, ad austrum spectent Fochienses, nec patriis legibus teneri potèere, nec Oceani hortore, quem tanquam certum naufragium Sinenfes vulgò timent, quin externas illas adirent regiones, & periculorum assuetudine audaces, in Iauam, Cocincinam, Sianum, Cambogiam Moscum, serica, gemmas, argentum viuum & chalybem ferrent; cuius habent locupletes venas, & insignes fabros, naues quidem illorum, quas Cianpanes dicunt, non sunt vilo modo cum machinamento oneratarum nostrarum conferendæ, sed hoc ipso suam in iis regendis artem, & fortes animos ad eundem typhonibus, & tempestatibus, gloriosius afferunt, quæ ab Iaponia Malacam infestissimum nauigantibus habent mare. Illarum nauium quam sine numero infinitus sit numerus, inditio saltem sit eius hyperbole, qui scripsit moturo aduersus Iaponiam, Sinarum Regi Fochienses vltro detulisse, iuncturos se Iaponiæ Sinas, nauium ponte continuo, qui milliariibus ferè centum ipsius exercitum eò transmitteret. Ambiebant hanc pridem operarij nostri Prouinciam, quod cæca nocte idololatræ

4.
Fochiens.
naues sine
numero, ars
nauig. mira.

altius defossa, à spe salutis abesset longius, nec absterrebantur, propria quadam & agresti eius barbarie; nec idiomatis pro multitudine urbium diuersis; nec turpitudinum fecunditate, nusquam alibi apud Sinas propudiosius grassante; nam alia ex parte, aditus in Sinas dabatur per eam facilis, quod assueta cum exteris extra Sinas, non aegre apud se illos ferret, & cernefet; præterquam quod hac Patres subituri essent in regnum commodius, si Cantonienfis Prouincia fieret prorsus impenetrabilis. Nam deformitate libidinum, idcirco patum mouebantur, quod animaduertent Iapones eadem infames lasciuia, repente in Angelos, Christiano lauacro transformari. Nec nostros frustrata est sapiens, & pia coniectura: urbem hodie vix habent Fochiensis villas nominis quàm religiosa Christianitas non illustret, & Patrum curæ non excolant; quamuis principio, auarè fruges sementem pensauerint & Alenius multum ludans, multaque expectans diu, pauca misuerit. Sed is fidei memor Colao Ié datæ, dierum itinere duorum ac viginti hominem requirens Focœum aduenit, (Lusitani, qua causa nihil refert Cinceum nominant) vrbs est amplitudine, & ædificiis superba diues commerciis, dignaque Prouinciæ Primatu. In ea potius visitur sesquipertica latus, longus centum quinquaginta, ornatus vtriusque peribolo stata densè per spatia, variis leonum & elegantibus statuis distincto. Omnia ex candido marmore. Appulsum illuc Alenium tria validè perculerunt, quæ exturbare hominem conceptis consiliis singula poterant. Aberat Colaui diei itinere, sed mente quàm terra longinquior. Terrebat Colaui Eunuchi Gueicuni supremum in aula imperium, nec ambigebat tanto se ab hoste re omni exutum, transportatum iri Pechinum in vinculis si (quod explorabat) comperisset Colaui extraneo fauere. Resciuit ad hæc Alenius Protegem aduentus sui præmonitum; dixisse, malis auibus venturum, quod sectator esset Batauorum. Batauos enim ante biennium eò audacia traxerat vt pyratice cataphractis, nidularentur in exigua insula, Fochienis obuersa littori, nec vlli Sinarum, habitata, nec ad habitandam curiam permiffa. Inde aliquot sensim extructis domibus, meditabatur arcem Macao similem, armatisque consiliis nauibus deprædabatur Fochiensis nondum illorum hospitium, & dominium iam nudi. Quibus excitati denique Fochiensis, in eos ducunt, nauim vnã incendunt, desiciunt alias in fugam, & dirutis omnium domibus, cædi superstitis, ferro vinctos Pechinum mittunt, vbi animam inellicem in carnificum manibus posuere. Hinc pronum creditu Protegei fuit, esse nostros eiusdem farinae cum Batauis quod ab Occidente vtrique aduenissent, nec nosset magis vtrorumvis patrias, quàm terram incognitam. Tertium accessit, quod Focœi librum spargebat Literatus, quem in Christi legem & Patres edidit, tam execrandis factum calumniis, vt propterea nostri Hancœ pellerentur; eum verò scelestus Mandarinis liberalissimè diuidebat.

vt quibus patris sui memoria (illic olim Proregis) cum faceret gratiosum.

In eas redactus angustias, fecit Alenius, quod fieri Deus ab ipso voluit, seque illi committens, ex eius vnus fiducia opem habere suspensam voluit, quam aliunde frustra expectasset. Dio igitur facto Pentecostes in humilem casam peregrinus diuertit, Collocato altari sacrificat, recurrentique mysterio congruam spiritus sancti lucem calamitosi populis exposcit; & sibi ad eos Deo mancipandos eius ignis scintillam, quo quondam in Apostolos effuso pluerat, quorum ipse dumtaxat officio fungeretur, dotibus, & merito careret. Hæc orans cum lachrymis, erigi se animo sensit, quàmque in spes minimè vacuas, etiam post paulum expertus est. Nondum biennium fluxerat ex quo Partes Ceum, ex baptismo Melchiorem Christo pepererant, portentosi virum ingenij, Michaëlis Doctores filiorum Præfectum eruditioni, ea verò scientiæ omnis præstantia, vt ex eius furtiua lucubratione Literatus quidam, primas in examine Pechini adeptus sit inter illos trecentos qui Doctores lauream ambiabant. Nominatusque sit de more, toto imperio tanquam ingeniorum Phoenix, ac fraude licet paulò post deprehensa, pari vterque gradus omnis petendi multatus sit interdictione, alius innocens, alius furti reus; famam tamen, & decus in summa hominum admiratione Ceus retinuit, nec erat inter Mandarinos qui pro magno viro illum non coleret. Christianus effectus vt erat acuta ad intelligenda diuina perspicacitatis, & ardore non segni ad ea euulganda, cœpit in natali Fochiensis Prouinciæ oppido, prima legis susceptæ semina iacere, inde cognito Alenij aduentu, Focœum illic ad eum contendit, vbi obeundis cum eodem obsequiorum officiis apud singulos Magistratus prædicauit eum ita magnificè in illa non modo Prouinciæ, sed scientiarum Metropoli, vt excellentia virtutum & doctrinæ cunctis esset venerationi; sub hæc etiam illi comes esse ad Colaum Ié voluit, qui miliaribus triginta distans in secessu suo rustico exploratorum vitabat oculos ab hoste capitalissimo Gueicuno sibi perpetuò incumbentes. Ac visendi quidem officio Colaui, hilaritate respondit ad speciem ficta, Eunuchi videlicet terrore nunquam non anxius, vt cui promptius nihil esset quàm suis odiis sacrificare hominem, iam priuatum; Patris tamen paulatim aspectu, animosior effectus, pristinas resumpsit ad eum inuandum cogitationes, & lucem diuinam Fochiensi Prouinciæ inferendam. Cœna illum dignatus est sumptuosa & splendida, cum Melchiore deductore; fratris inde filio commisit, vnâque ardentem ad Externorum Focœi Præsidem commendatitias, quibus Præsides omninò liberaliter satisfacit; inuisit enim confestim Alenium, & suo arctatum diuersorolo in ædes transtulit, quas aduentum procerum non aspernarentur superba fastidia. Defensionem eius in se ipse suscepit, & paratocinium concessit Focœi habitationis. Hinc diu, noctuque post Præ-

5.
Focœi res
diffic. Euan-
gelij pro-
pag. S. Spiri-
tus P. Alenio
complanat
illic mira
præstat.

fidem Mandarinorum frequentia, qui percurati hominem altiùs, cum deprehendissent maiorem famam, & Melchioris claro præconio; amicitias cum eo iunxere arctissimas. Ipseque adeò Colaùs Patris benevolentia pellectus imperare sibi non putuit quin Foceum veniret, & tunc illum adiret, cum solenni sua nobilis comitatus, & donorum magnificentia, parui ducens aliis commendasse, nisi suam & ipse operam illi commodaret. Leuia enim hæc videri poterant ad ea quæ Alenio parabat, velum nempe ex serico peramplum, Christianæ legis encomio, & laude Alenij, sua ipsius manu atque ingenio grandibus inscriptum literis, quibus significabat [ab Alenio persuaderi sanctam legem, dicendo & tacendo; rationum scilicet, efficacitate, & sanctorum viuendi, seque suo vtrumque testimonio affirmare.] Quamvis verò id esset ad Christianam rem vel inde conficitur quod præter alia nemo foret tam amens, & impudens, qui legem damnaret, quam suo Chirographo, testimonio, & fide comprobasset, totius per annos octodecim, Præfectus imperij, & Administrator; Bonziorum nemo qui Alenium calumnia peteret, tanto laudatum oraculo. Nec diu solum pendit hoc velum in aula & omnium oculis, summus rituum Præfex huic aliud addidit, aliud vnus ex Assessoribus, alij alia; Colaam imitati; quæ nolim perinde accipi vti apud nos æstimantur, gratuita, & blanda, speciosaque mendacia; suum illic habent tanquam decoratorij pondus iudicij, iisque attonitus Mandarinaster ille, qui famoso libello Christi legem indignè secuerat, ac virorum tantorum laudatione tantumnon iuridica pro diuina lege, & Alenio, damnatus, infamis libelli quotquot retrahere potuit ectypa combussit, errorisque veniam, & ignorantia Colao coram, ab Alenio rogauit. Supererat vltimum conciliandus Prorex Alenio, & pernicioso errore liberandus. persuasum illi fuerat eum cum Batauis eiusdem & gentis, & religionis esse, cuius erroris absurdum multiplex, classis qua debellati fuerant Bataui, Præfecto sibi valde amico, demonstrabat Alenius, ex Geographicis descriptionibus; hic verò locorum ignaros dedocens, confirmabat etiam longiùs professione legis ab iis dissidere quàm longinquitate regionum, quæ dùm amici & veri gratia inculcaret; venit Ciuenceum modesta legatio ab reliquijs Batauorum qui ea quam dirimus proxima insula depulsi, mare interiùs ad Formosam tenebant. Poscebant commercij fœdus ab ea ciuitate mutuis conditionibus fidelitatis, & amicitia. Urbis Rectores octoviri, cum inclinarent animum ad hoc fœdus publico quæstuosum, mittitur à Prorege qui rem disturberet idem classis Præfectus, qui partim suorum ciuium, præsentis Alenio frui optantium; partim ipsius Alenij studio illum duxit eadem secum nauis Prætoria, & iis tanquam fraternæ benevolentia argumentis vt ambigeret nemo illum à Batauis longè esse diuersum, quem Batauorum hostis, & domitor tam comiter & familiariter adhiberet. Sedem ergo Focei Alenius triplici metu expeditam, vt sensir consistere,

laxavit mox Apostolico igni quo insigniter ardebat viam, sed ea moderatione, ne præcipitando assequi præmatura, etiam partis excideret: quod in negotio Gueicuni Eunuchi præclarè ab eo seruatim videbimus.

Primus vltro campus se illi obrulit ferendus, Academia Foecensis ingeniorum medulla, & delibatus Literatorum cremor, quibus morum vnà, & politica virtutes tradebat Magister eximius. Is inter primos Alenium adiens post vrbanos ritus salutationum, summam ex eo petit sapientiæ Christianæ, tum contemplatricis, tum in actiones, vsúmque prodeuntis, quàm perfectum veri, & recti canonem minimè dubitabat quòd suo dignam sublimi præconio Colaus Ié illam iudicasset. Motem gessit quærenti Alenius, audientis tam plena lætæque approbatione, vt diceret, quicquid inerat Confusio boni, Christianæ legis excellentia contineri, cuius de Deo & decalogo verba, Confusij dogmatis confirmabat. Postridiè verò suis stipatus Academicis cum rediisset, rogauit Alenium omnium nomine ne grauaretur sua præsentia cohonestare primum illorum cœtum, verbæque ad illos facere, quod magistris arrogans, & inuidendum munus cessisset nemini nisi quem animo concepisset, omnis sapientiæ opibus affluentem. Eo se confert Alenius & prolixis vtrîque obsequiis obitis, post ciuilitates proclinationum ad Confusij nomen exhibitas, quod aureis literis sublimè splendebat, cum iis cõsedit; inde symphonix grauis cantus, ad serenandas mentes, & rebus dicendis, tranquillitate, docili præparandas; surgit cantu silente lector ex Academicis, & textum Confusij seu fortuitum, siue ad hoc studiosè quæsitum recitat alta voce, cuius hæc erant verba [legem cœli, naturæ legem dici; huius directionem, vocari viam; huius partitiones, & dispositionem, legis positivæ censerî nomine.] Sub hæc librum Alenio defert qui ab Academia Præsidi rogatus in ea dicere, versòque in se nuda omnium inuitatus, pro legitima Sinarum in admittendis honoribus restitutione, diu ac sæpiùs renuit, tenuitatem suam, & muneris pondus, confessusque doctissimi verecundiam excusans; quibus vicissim à Præsidi humanissimè dilutis, tunc veluti iustus, & vi beuola coactus, aggressus est dicere [cœlum ex quo illa in nobis, communis naturæ lex, haudquaquam id esse quod suspicimus oculis, sublimè, concretum, volubile, quod constanti vertigine circumfertur, & vario cœlestium luminum obiectu, flexuque stellarum errantium, solis potissimum, anni vices quater, mundi scenam quotidie mutantis; Palmare intelligentiæ, ac mentis opus esse, legem rationis hominibus iusticæ, quod dictari non potuit à natura, rationis, intelligentiæ animæque experti, nec suis motibus viuendi regulam valenti nobis describere. Significari ergo illo textu, cœli Dominum, cœli vocabulo, fuisseque Confusij hanc mentem, ex multis eius Philosophiæ locis euidenter probari, quibus sibi est visus nomen idoneum diuinitati tribuere, cum rei supremæ, atque amplissimæ; nobilissimæ ac summè

6.
Rogatus
verba facit
Academicis.

beneficæ, appellationem ei attribuit. Iam vero à Deo summè bono, cum nihil potuerit nisi bonum creari, hominem profectò bonum similiter ab eo conditum, & hanc ipsi legem bonitatis impressam penitus, fuisse ab initio perfectam, caruisseque difficultatibus quibus in recti perspicua cæcutimus, & in boni executione laboramus.] hic in culpam Adami necessariò digressus, eius docuit pœnas, & refusam ex eo in eius posteros diram tabem; cæcitatem ignorantia, confusationem nobiscum intestinam, & turbam malorum quibus miseri iactamur & perimus, nisi præsidio Religionis Christianæ ab iis asseramur. Primum hoc Alenij specimen acri versatum est impugnatione, non ostentatione quidem ingenij, aut confidentia, sed intelligendi studio ac sciendi & sapientia illos miris modis incendit ad sapientiam legis Christianæ inedicatam veteribus ipsorum principiis, & dictaminibus optimæ rationis, quam ipsorum Magister Confusius, sectatus fuerat Magistram. Multos addixit Alenio experimentum hoc de se iis præbitum, ut imbuerentur ab eo diuinis penitiis, & conditionibus animi sempiternis. Latè verò per urbem, & magnificè celebratus, ea cœpit, Doctorum præsertim, frequentia, consuetudine, & amicitii obrui, ut impar oneri ægrotaret. Dedit primigenius eius labor fontis, quinque ac viginti, Siuzaios Literatos, & senem à puero Deorum cultui incoctum, qui fortè obiter Alenium audiens de vnus Dei agerem maiestate ac necessitate, Diis aliis iratus, quos sibi diu multos quæsierat, omnes congeffit in aceruum, subiectisque pro fomite, quæ caro à Bonziis emerat in futurum æuum diplomatis, cremavit, & sparsit in auras cinere, lætus Patrem rogavit fieri Christianus, quando iam ethnicum exuisset. Quadrimestrem Foeci stationem abrupte vicinarum urbium Mandarinum, quibus Alenium enixè petentibus perere, nimium quantum intererat ad stabiliendam in ea Prouincia, veteræ doctrinæ propagationem, & patrocinium. Habere illum apud se alij quatuor, alij dies sex aut plures, octo mensium spatio, raptimque ad se certatim, audierunt, cum incredibili approbatione sanctimonie Christianæ, & desiderio præmiorum quibus immensis auctoratur, sed animo ad ea pusillo & impari. Oprassent sibi Christianorum mortem, & vitam ethnicorum. Lucro tamen fuit ad communem salutem haud sanè mediocri, clara illa solidèque assera religionis veræ notitia quam Magistratibus etiam supremis, & Literatis omnibus reliquit, ne quando rerum ignorantia, scriptis illam aut edictis vexarent. Mandarinum saltem quinquaginta, ordinis quoque gradusque amplissimi, Christianæ rei defensores addixit, & patronos, tulitque ab iis & eorum manu luculenta eius palam probatæ elogia, publicè proponenda & præfigendas librorum frontibus commendationes, quos de vario credendi, viuendique argumento in publicum miserat. Demùm regni potentem administrum conciliauit sibi tam constanti affectu, ut imperij, statim post Colaui, Christianismi, & Patrum causa nihil non egerit.

Senex ab eodem repetitive conuertitur.

egerit; ac nisi aded fuissent suspecta tunc, & lubrica tempora primores quidam inter Literatos conuenerant de ædificanda nobis domo, & Christianis templo, eorum largitas, Gueicuni Eunuchi suspicaci, & fera gubernatione elisa concidit; omnes enim cœtus (de virtute, aut Deo agerent) insectabatur crudeliter, complures denique in variis urbibus, Himhoæ potissimum, Cathecumenos signauit Alenius, de quibus plenius, dicendum recurret.

Tribus his quæ dixi prædiis, fixas obtinebamus & apertas sedes in Prouinciis septem; intra Cataium aquilonem versus, in Pechinensi, Sciansensi, & Scensiana; intra Manginum austrique inferiora, in Nanchinensi, Fochiensi, Cechiana, Chiansensi. Has excolebant Prouincias è nostris viginti tres, nouem stationibus diuisi. Sinenses quatuor insignes Carechistæ, reliqui Sacerdotes, diuersis in Europa ex nationibus oriundi, & iuuenes decem Macaenses, quos educabamus in spem Societatis promerendæ; tincti fonte diuino ultra numerum sesquimille haud multum exiêre; quod non fuerit triplo maior, tyrannis obstitit Gueicuni, cui cœtus omnes etiam modici, erant immaniter capitales. De quo felicitatis aulicæ ludibrio, & fortunæ pila, vetat nos gestorum consequens à nobis omitti, quæ illum egeret tam altè præcipitem vt in aureo scrinio, missum inueniret elidendis sibi met faucibus laqueum, & gratiæ loco, morte vna periret qui sexcentas esset commertus. Erat hic semivir ex pago Prouinciæ Honanæ; quo patre ignoratur. Pechinum profectus in spem tunc macram meliorum; Eunuchis palatij se dedit in famulum, quos inter, & greges feminarum, nemo masculus extra Regem: cordatum huic & acce ingenium præ quàm soleat adolescentibus, è luto & triuio natis; qualis tota illa fœx spadonum, quantumuis potens, & populis timenda. Verum catè aduertens hæsurum se semper in sordibus ministerij famularis, si omnium rudis, solis manibus niteretur, ingenium quo multum valebat tentauit literis expetiri, sibi que prope vna discipulus, & Magister, illam breui attigit elegantiam scribendi sublimem ac nobilem, quæ vna Regi legenda obicitur. Hinc iam habilis mente, & consilio suo vti, gradum promouit vltierius, seque inter Eunuchos Principis secundogeniti, solerti captatione penetrauit, quem nihilominus præfensione quadam tacita diuinabat rerum quandoque potiturum, posseque si gnauiter ageret, famuli nomine in eius dominum transire. Callidè igitur ingenium Principis obseruare, omnes eius amplecti, & venerari nutus, ad omnem eius se morum, colorem flexumque fingere, mutare denique amicitia seruitutem, cuius amicitia nexum, tantum abest potitus Regno Princeps laxauerit, vt multo etiam quam ante arctius strinxerit. Inerant Principi duo quædam præclara & imperio digna; Iustitiæ neruus, & Clementiæ amor, cœpitque hoc vtroque brachia susceptæ; Monarchiæ sic amplecti molem, vt parem vbique antiquis Regibus censerent vniuersi, & hac item

vtraque

7.
Gueicuni
Eunuchi Sciansiana fortuna.

utraque sibi via eundem intelligens Vaser Eunuchus, quocumque penderet Dominus eo ferebatur, sic tamen vt publica omnia in prae-
 tum suum commodum exirent. Quibus artibus id affectus est, vt
 quo illum insani tollebant ambitus, reipsa regnaret, Regis vacuum
 nomen gereret Imperator. Populis tributa intolerabilia remisit; as-
 slictis Prouincijs de Regis aerario succurrit. Reductum militem ab
 expeditione in Tartaros, etiam tum Sinis infestos, pœnis, aut præ-
 mijs pro cuiusque merito affectit. Magistratu fungentes Mandarinos,
 iniuriarum in populos, dantes sibi vicissim veniam & accipientes, alios
 redegit in ordinem, alios ita castigauit; nemo vt deinceps ad integri-
 tatem gubernationis noua egeret admonitione. Nemo sibi secretum
 sat tutum sponderet ad impunitatem: percrebuerat vulgò rumor, ge-
 nijs quidecim familiaribus illum vt, qui sub noctem quotidie ad
 eum referrent, quicquid eo die in assignata sibi Prouincia non modo fa-
 ctum, sed prope cogitatum esset. Erant hi genij, exploiatores infi-
 niti, quorum lyncea indagatiõne, palatio clausus, introspiciebat vni-
 uersa. Tantùm porrò vbique præferebat sinceri, aut ficti erga Regem
 amotis, tam ardentem eius studebat famæ, ac bono nomini, vt si rem
 filij, non domini gereret. Vice versa Rex prosequatur semivirum sibi
 affectu, & Patris nomenclatione, quæ iam latè vulgata pro monstro est
 habita non minùs ab omni decoro, quàm ab omni natura alieno.

Sed forè amotis impotentiam excusare, Ministri utilis poterat
 opera, nisi proiectæ confidentiæ amenti studio, totum se illi cum Re-
 gno permisisset; quod ei ius summæ potestatis, immane, & insolens
 ne quis Gueicuno contenderet æmulus, Prætoria sex tractandis publi-
 cis instituta; Colaõsque ipsos, sapientes senes, Regum ab æuo mo-
 nitores & Patres Spadoni subiecit, cui tunc supremos imperij verticem
 sublimè calcanti, non satis caput integrè constitit. Dementem se pri-
 mum & iudicio captum exhibuit, postea crudelem. Palmaris fuit stul-
 ti hominis conatus, vt gradum sibi scelere stabiliret, quem erat adeptus
 probitate. Ratus enim quod erat, non passuros tot regni Ministros
 Principes, vilissimi homuli indigna imperia, enervandam sibi statuit
 eorum, potestatem, vt alieno si saperent malo, sin minùs proprio dis-
 cerent se nihil esse; nihil posse nisi à Gueicuno, penes quem omnia,
 expectare. Prodendi huius consilij articulum præbuit, demandata il-
 li ad Regum sepulchra peregrinatio, huius parem superbæ, & im-
 pudenti pompæ nemo vnquam spectarat mortalium, quod præter
 alia, vni sacrum, & debitum Regi honorem vsurpasset, sternenda-
 rum sibi arenis flauentibus viarum ad miliaria duodecim, quanta erat
 illa peregrinatio: rediturum excepit ipsa Regis sedes, comitatùque lon-
 gè quàm priùs mirabiliori Pechinum detulit; aduentanti aula ex more
 obuiam dum pordit, iubet nutu superbo procul stolidum animal;
 (eius apparitores armis) illos Regni supremos Præsides, gestatorias
 suas omittete, ac sibi de genibus, fronte humi abiecta procumbete.

Offendit

Offendit ea res grauitè Pechinum vniuersam, multisque iam iratos nominibus Mandarinos egit ad laxandam querelis indignationem; per calcata regni primaria capita ingressum vrbein vile mancipium; abiectos ad pedes lecticiorum imperij Rectores, ab homuncione quem Regis gratia non posset in tantum apicem tollere vt natiuo illum ex quo esset concretus, cæno ablueret; palam factò fecisse agresti, & sordido, quàm esset impar fortunæ nobili, & magnæ. Prouidam sane bonamque naturam quæ sterilitate, monstra talia damnaisset, fore alioqui vitam hominum miseram, nisi belluina istorum improbitas cum iis interiret. His & similibus quæ sagacem Eunuchum minimè lauerunt, vindictam reposuit inter Sinas, si quæ alia, grauem & acerbam; Mandarinos omnes gestatorio interdixit quod insigne honoris præcipui, quo super populum, humeris hominum ferebantur iis detrahère, nihil erat aliud, quàm illos plebeiis æquare, malebantque, vt sunt exquisitissimo læsæ dignitatis & gloriæ sensu, domi se claudere quam notas exuti suis gradibus solennes, in publico cerni. Depressio nem nobilium fœdam, secuta est fœdior lutulentæ fœcis prouectio, Eunuchorum scilicet omnium, qui perinde ac forent in suo Queicuno Regis Patres, ima licet è classe seruulorum insolecebant palam ferocius: huic mancipiorum abiectorum impudentiæ inhibendæ, Mandarinis maioribus ausis maiores duos ex iis iuridicè cædere vilissimos, & à trulla seruos; pœnam hanc Queicunus apud Regem criminatus est tam dolenter, vt milites cum carnificibus illicò mitteret ad inquirendos Mandarinos pœnæ illius auctores æquissimos. Ex iis qui primus in manus illorum incidit, fustuuario publicè est necatus; alter iis se viuam sepeliit latebris vt nunquam postea visus sit; infamem reliqui carnificis manum, morte spontanea sceleratius præuerterunt, fuitque hic primus sanguinolentæ missus tragediæ qua amplissimus Literatorum Ordo Queicuni gratiæ litauit. Stragis causam breuiter hictango, quod nostris quoque cum rebus coniuncta sit.

Paucis ab hinc annis Literati, Vulsuæ vrbe Nanchino proxima, coierant in Academiam, in qua de moribus tractabant; & optima gubernatione, quod institutum & fama celebre, & fructu euident, propagatum est cœterum numero in varias vrbes australium partium, velut membra viuis corporis, nec erat ferè Mandarinus alicuius notæ in illo quatuor Prouinciarum tractu vasto quæ præcipuè studiis, & ingenis florebat, quin iis sodalitiis nomen daret. Præerant quibudam Doctores Christiani, Leo, Paulus, & Michaël; laudabant ea Patres maiorem in modum quòd Academicis Christianum sensim afflarent spiritum qui præter diuina, motum quoque iisdem incumbit documētis, sed in præstantiori argumento. Præclarum denique inuentum eò plausus tulit, & approbatio, vt sumptu liberali ædificaretur etiam Pechini ornareturque magnificè instituti illius formæque sodalitas, cuius docti circum parietes vitorum Illustrium fulgebant scriptionibus eruditis in

8.
Academia
Litt. ethnico-
rum vti-
lis, Christiani-
simo.

laudem virtutum diuersarum quarum eximia commendatione celebrabatur potissimam Colaui Ié, reliquorum Magister, & parens. Hæc ergo ex Academia Mandarinus grauis, qua boni publici detrimento, qua regni dedecore diu indignatus, quod imperij Sinenfis immensa machina semiviri vnus indocti & vilis ministerio & libidini versata crederetur, libellum Regi obtulit supplicem, quo illi diferte censetur incommoda, quæ imperitia Eunuuchi arrogantis & potentia impotens Regno inuexerat, nunquam antea ex omni memoria solito nisi sapientum, & Doctorum consiliis permitti. Rex inficiari ea incommoda nec valens, quod manifestius tenerentur; nec culpam damnare cuius erat ipse auctor primarius, silentio respondit, quo illic molesti interpellatores plectantur à Regibus. Sed eo silentio nihil exterritus vitæ factis, alterum Regi libellum ingerit priori acriorem, & exaggeratum grauioribus querelis, quo Rex item in reiectitiisposito superiorem Mandarinos maximè offendit quorum magna pars, Academici præsertim libellis materiam suppeditauerant. Ergo hinc veri nimium augeres, malorum in dies ingrauescentium inter se statuunt ab aula secedere, iacturæque omnium dignitatum præuertere maculam quæ apud posteros erat iis hæcura quod ruinas imperij sub Rege femina, & spædote ministro spectassent otiosi, cuius probri erat tanta indignitas, ut esset crimen ab eius aspectu procul non fugere, multoque atrocius, eius in publicum quotidiana damna patienter ferre. Eam ob rem permulti singulis libellis sed communi consensu supplicant, liceret sibi abire Magistratu, & priuata domi, atque ingloria, sed infonti vita contentis viuere. Multitudine illustrium supplicum consternatus Gæicunus interibat, nisi sua illi fauisset vafrities trita sceleribus, & vsu doctissima Imperatorem iuuentem quod veller flectere. Siste illi se mæstus, & humilis, ac siue præmij, seu gratiæ loco infimè supplicat, leuari honoris pondere cui se sentiret nimium imparem; missionem sibi cõcederet si minus extra palatium, saltem inter familiæ onera. Fore illi facilem iacturam seruuli, cui nihil inesset ad vsum boni, nisi quod vita sua plus eum amaret, iussâque ad hæc adiungens lachrymas, quid enim, ait, hominis sum; ad Mandarinos tot ac tantos, quorum alioqui diuinam prudentiam frustra requireret administratio publicorum, si velle pergeret sua cùmque opera in iis vti. Atque hic productis Mandarinorum codicibus, postulate eorum Regi explicuit, seu minas, inquit, quibus meam in aula stationem discessu suo vlturi sunt. Iteratæque contestatione tenuitatis, & fidelitatis, Regi auctores libellorum de nomine censuit; qui conturbatior primum postulatis, mox causa illorum cognita qua se dolebat in Gæicuno speratam, indignabundus libellis subseribit; abirene si vellent, se nihil verare, imò si nolent etiam abirent, illos ab se vitro ex aula pelli, honorem insignibus, titulis, & iure spoliari, Mandarinum officium ac nomen iis in perpetuum abrogari, classèque inter opifices artifices; & plebeios æternum ignobili, cum parentibus & familiis

familiis damnati. Quas pœnas Sinæ, putant vulgò tam sævas vt mālunt dementes, nec voluntaria defungi quàm huic dedecori superstites vivere. Sortem isti suam in speciem miseram, causâ gloria læti solabantur. Sedes illorum vacuas sibi emeruit competitorum turba venalium. Quicunq; adulatione eiusque sequacium; quin se magnam quoque ab eo putarunt gratiam inituros Academici de quibus diximus in sensu prius Gueicuno, illique inuisi, si pulsos ab eo insectarentur velut hostes, staréntque ab huius partibus. Illam enim Gueicunus non Lireratorum, sed perduellium academiam vocitabat qui regni habenas Regi molitentur eripere, & veterum temporum prisco vtu eas Philosophis tradere. Scidit ea res Pechinum in Academicas factiones, & nata est illic Academia priori contraria, quam aquilonarem, à situ nominarunt, vt priorem illam nuncupabant australem; aquilonares Eunucho addicti, proiecto pudore, nundinabantur seruales ambitus captandis honoribus, & beatitatem suam omnem habebant, in mancipij superbi affectatione repositam, susceptâque pro illo inimicitias, non fetto à quo Sinæ abhorrent, sed crudelibus libellis exercebant quibus apud Regem proscindebant australes, referebantque ab eo semper exulcerati in eos animi, rescripta; quale inter alia fuit, cum sex perillustres ex ea Academia Mandarinis diu exercuciatos necavit in carcere, alium verò gradu celsiorem, carnificis publici fœdo Ministerio fracta gula, proiecit canibus inhumatum. Quam barbariem, etiam post fata læuicentem, hausto alij veneno occuparunt, vt necem suam Gueicuno præriperent; & cadaueris contumeliam, inimicis, morte, sibi post mortem vt quidem fingeant, intolerabilius perferendam; alij parato quo mox effertentur sarcophago, fauces laqueo eliserunt. Redacti sunt in proletarios toto imperio trecenti triginta præter Pechinenses, auctique nonnullis Colai tres pœnam deprecari, Magistratus summi abrogationem, pro meriti præmio retulerunt, inter loco motos fuere Doctores Paulus, & Michaël vt qui essent afflictæ Academicæ patroni; & quanquam Paulum palam Christianum sacrilegus ethnicus, fidei odio in casum impulit, cecidit tamen cæteris mollius. Vt tantum exatus Assessoris quem in tribunali Rituum gerebat, honores eius omnes, & notas honorum retinuit. Michaëlem vitæ integritas diu ventilata extra suspitionem culpæ posuerat, cum nouo iure ob ea damnatus est quæ olim eius admiserant propinqui, & quidem tam leuia, & quæ sita vt addendum iis fuerit annorum pondus octo & sexaginta, cuius gratia videretur Magistratu leuandus quem tunc obtinebat, & Proregis quem semestri post operiebatur. Nobis eandem ob Academicam, Christianæ rei fructuosissimam, in præcipiti, & lubrico trepidis tanta in lapsum incubuit libellorum ad Regem librorum in publicum turba; defensionis beneuolæ tanta raritas, vix vt alias vnquam ab ingressu in Sinas perspectum sit clariùs, quòd obseruaremur, & plautum haberemus non esse nostræ sollicitudini, & doctrinæ sed peculiari

Dei patrocínio tribuendum : aduertitque non semel , Sun ille Ignatius Assessor consilij bellici , suos sibi videri Mandarinorum ad nostrorum aspectum cæcutire , nec animaduertere præsentibus ; cùmque tunc impluerent densius à Magistratu Cantonensi Lusitanorum accusationes affectantium Sinarum imperium , & eo consilio nostros quotidie immittentium in Sinas , quinque illos minimè cernere qui versabantur in aula oculis ; sed de iis perinde præsentibus , vt si forent longinqui tractare. Verum de tragicis Pechini casibus dum anno proximo recurrat dicere , debetur hic locus Francisco Sambiasio , cui Sinarum salutem quàm alteri cuius stetit cariùs video , nam præter labores Apostolicæ in itineribus , & difficultatibus aliis operæ , pœnis se tam dure frangebatur vltionis , vt quod viueret , ac valeret , non tam esset naturæ quàm gratiæ. Vrbes duas , & quinque oppida , pagosque complures , & villas excolebat , ipsamque ab iis non ita distantem Sciamaiaum , vbi quamuis duo ex Patribus degerent , sed illorum vices tam diu obiit quoad iis ægrotis aliunde venirent suppetiæ , & centum octoginta huius sæculi anno vigesimo quinto illic sacris abluti , eius bona ex parte , de schola prodierunt. Ibat pedes semper nec illum aut imbes , aut viarum abrupta morabantur quò minus decimo eoque longius milliarum , moribundis ferret postrema solatia , eo in illos studio caritatis , sui que contemptu , cuius velsola pulcherrima species magnum viram ab infidelibus ad Christianos transtulit : quocumque aduenisset , opatissimus Neophytis aderat , omnes ad se trahebant hospitem , obstrictum se tamen piæ comitati , omnibus professus , ommissisque domorum commodis , ruguriolum pagi despiciatissimum , sibi legebat in diuersorium. Sed has corporis ærumnas pensabat Deus , voluptatibus animi haud parò maioribus ; lætis potissimum messibus quibus iactam ab eo sementem ubique fortunabat. Sunchiani (vrbiū altera sibi creditarum) centum nonaginta vnias familiæ inuenit , ad baptismum paratos , & in iis Sunchianos quinque ac viginti , hoc est infimæ classis Literatos : paucis ibidem post mensibus octoginta nouem baptismo lustravit. Breui de pago in pagum alium transgressu dum à via errat , cum duodecim ethnicis Deo interim partis in viam rediit. Illic non rarè diuinitus actus est , quo ipse minimè tendebat , prædestinationis arcana manifesta miracula vel spectaturus ipse vel operaturus ; Deo illi perfectæ corporis retinere omnium , pro salute animarum despicientiæ iucundissimum hoc honorarium tribuente. Colebant vt sanctum ethnici pariter , & amabant. Suauitati enim amoris in omnes teneri , comes erat in eo vbanitas , non ad supercilium morata fastus odiosi , quo multi perperam nituntur auctoritatem sibi colligere sed multum amabilis , & grata. Eius & comitum disiunctissimis locis bene gesta , longius fuerit enarrare habentque non pauca , superiorea naturæ viribus , quibus dum firmius stabant in Christo Neophyti , cæca ethnicorum obstinatio daminabatur , ac ne omnia prætermittam ; vidit phthisi consumptum hominem

9.
P. Sambiasij
labores exi-
mij.

populus

populus integer, Sciamhaium contendere leucis ferè distantem quatuor, ad dandum Christo nomen, & impetrandum à Patribus baptismum. Obfirmatum ad iter amici diu frustra reluctantes, salutant cum lachrimis, velut nunquam in viuis reuisuri, quod iam cadaueri, quam agro similior, aliorum potius brachiis quàm suis pedibus ferretur. At ecce tam sanus, tam succi plenus & benè habitus post octiduum ad suos reuertitur, vt fidem oculis negare non possent, & prodigium tam contra spem editum, alteri quam Christianismo, & sacro baptismati assignare, cuius tesseraarium Symbolum precatoriam coronam de collo gestabat. Traxit multos ad Christum, prodigium insolens quibus confirmandis accessit alterum nihilo inferius priori; spectarunt enim per solidum mensem limpidae lucis geminas faculas, impendentes Neophyti adibus, ab solis occasu ad mediam noctem cerni ab omnibus, præterquam ab ipso (quod mirabilius) illo Neophyto, illuminandis nimirum tenebris ea luce, qua tunc Neophytus fruebatur. Excursionum hic solùm memorabo, maximè omnium longinquam, minúsq; cæteris feracem; Nanhium versus suscepta est dierum itinere quindecim ad regenerandos Christo ethnicos non plus septem, & recreandos illic residuos, olim Riccij alumnos quibus ne qua decissent præsidia quæ aliis vquam Christianorum cætib; præbebantur, nec labori vnquam nec sumptibus parcitum.

Conuersiones memoria & scitu digniores, tres aut quatuor fuere. Scienhaij prima, vbi septuaginta annorum senex vitam dudum agebat, omni largitatis, & ieiuniorum, cultusque erga Deos assiduitate, ac profusione exercitam, nam idolis templum, cœnobium Bonziis ædificauerat, expilabatque se in copiam odorum quibus Deos suos acerra prodiga vaporabat. Quoties vero domum nostram (quod frequens illi erat) præteriret, atque vt est prona curiositas in externos, introspectaret attentè quæcumque poterat; semper illic & in Catechistis, & in familiaribus cæteris calligatum quiddam, & modestum notabat, quod alibi frustra requireret; conuersaque ab nostris obseruatione in omnes Christianos, hunc esse reperit communem omnium characterem, conformatione modesta corporis, oculorum, & linguæ impressum, quo illos ab aliis facillè secernebat; dolensque, proh! quantum nostri sunt, aiebat, à Christianis dissimiles, non laici modo, sed ipsi Bonziji: vnde illis hoc decus tam pulchræ virtutis si vero Deo, & lege vera carent? nobis vero qui sit, vt desit eadem modestiæ tessera, cum Diis optimis, & lege optima viuamus? nec sese ab ea dubitatione extricabat. Quæ tunc illum adstrinxit paulò post actius, periculosè ex morbo decumbens cœpit ambigere quid tandem se fieret, quàm tuto spes suas in ea beneficentia locasset, cui beatitatem in futurum reponendam pro se docebant Bonziji: an vero illa beatitas ad Christianos pertineret, quorum esset nemo qui Bonzios omnes præstantia morum non vinceret, quæ profecto non videbatur posse aliunde quam à lege ipsorum proficisci, fan-

10.
Conuersio-
nes miræ ad
Christ.

10.
Modestiae,
& Castim.
Christ in-
gens pondus
ad conuers.

ctiore instinctu illos intèrius animante quam possit doctrina Bonziorum. Hoc re ipsa si foret, nimum quantum interesse, fieri tunc saltem de certiore; si minus quærere, & inuestigare. Hæc probæ mentis argumentatio perpulit bonum senem, ut sua cum vxore, supersticiosa pietate haudquaquam à viro absimili, audiret de Deo & idolis quid esset necessarium tenendum, quibus dilucidè perceptis Christianos se statim professi sunt. Ac vir quidem iam valens & præfixo die ad baptismum se sistens, ingentem coram suorum struem combussit idolorum, & lycophantias mille singrapharum quas in aliam vitam, captationum eiusmodi sacrilegus artifex, Bonziorum venter illi confixerat. Quibus magno gaudio peractis, vitæ tamen dura ieiunia, sed fructu, & merito casta desistere satis non poterat. Ut autem Christo fortunatum senem, obseruata Christianorum modestia peperit, sic eorum castimonia complures alios, hæc efficacius, quod est eius virtutis haud paulo maior difficultas, & ex consequenti maior apud Sinenses admirabiliras. Quare minimum quidvis in hoc genere Patres tanti faciebant, ut si omnis inde religionis veræ existimatio penderet, foretque idem esse professione Christianum; & moribus angelum. Alebat hanc firmam nostrorum cautio, in excepiendis feminarum confessionibus, quæ Sinis cum esset admirationi, eicit tandem ut mariti vxores, filii parentes (quibus vnis fas erat nec id sine causa eas aspiciere) ad confessionem ipsimet deducerent, & quod initio impossibile habebant, paulatim fieret expeditum. Quod seruabatur Chiatini à nostris in templum non erat, indicio sit quid alibi fieret. Sun Ignatii domus, religioso cœnobio prope par, aulam grandem claudebat, confessionibus addictam feminarum, Sacerdotem ab iis, & earum aspectu crassa storea diuidebat; iusto illic spatio spectabat, Præfectus domus, nota virtute Christianus. Qua cura nostri prudenter scrupulosa tantam sui fecere Sinis fiduciam, ut ipsi etiam ethnici, ad vxores suas Christianas enixè illos rogarent, ac ducerent, nec possent satis prædicare, quod nollent Patres, etiam prope moribundas nisi sub oculis maritorum audire. Adeo tamen nihil oberat, Christiano illarum profectui breuitas institutionis, quàm non agrè tùm libri, tùm vitæ tùm parentes, tùm Dei præfertim spiritus supplebant; ut in demandis inedia, vigiliis, flagellis & reliquo asperitatum genere corporibus, maritorum æquarent duritiem, & earum nonnullæ cum fortè inaudissent de seueritate nostri ieiunij, tacitè ad nos mitterent exploratum, quem seruaremus in eo modum, seque ad eundem stringerent, solitæ alioqui, ut illic vulgò fit, mensam quater in die ponere. Iam conuersionum quas proposueram altera, hominis fuit octogenarij rustici, pauperis, & ignari, sed dempta idololatria, probi, ac simplicis. Mouere hominem Christiani cuiusdam popularis, de salute animi rationes, ut vellet de iis cognoscere amplius; absque mora Sciamhaium cum eo milliaribus duodecim contendit pedes, vbi ad-

11.
Conuers. Senij
notab.

missus cum aliis ad explicationem diuinorum, hærebat ad singula, stupens, & admirans; totusque præ gaudio extra se versusque subinde ad ductorem suum, thesauri agebat gratias, cuius illum in partem vocasset. dicto demùm die sub auroram ad sacrum fontem cum venisset, ea vi lachrymarum, singultans, & exclamans, lamentari pergebat & dolore aded non consolabili damnare annos octoginta, quos ethnicus egerat, vt ei baptismum accelerarent Patres, ne ruptus vehementia doloris, subita morte illum præuereret. Mox vt tinctum se vidit, tanquam cœli iam compos, serenis deinceps, & lætis fletibus, eiulatus mutauit, votorumque adeptus summam pagum reperiit; præstolaturus illic placidè, quod vnum supererat, mortem iam minimè timendam. Iisdem oculis respexit diuina bonitas inueteratarum cruciatibus sui senem in Prouincia Fochiensi, qui ex annis vitæ duobus, & septuaginta, leguminibus, olusculis, & aqua pura, quadraginta totos contentus vixerat; commentusque apud se celsiorem quendam virtutis apicem, cum discipulis aliquot, scalarum adminiculo, in montem euaserat, subterraneis passim vaporariis fumosum; & nactus in vertice aliquid boni soli, orizam seuerat, tuguriola lignea fabricarat, precationibus, at iis cuiusmodi: diei partem conterebat, magna cum suis concordia; quoad visu sensim caligante, oculorum amisit vsum, fuitque Focuum Prouinciæ illius urbem primariam ad curationem reportandus, illic multa illius & molestia & sumptu, dum multa inaniter Medici satagunt, contigit ad eum referri nescio quid de nouo Deo, & noua eius lege, quam traderet peregrinus quidam vir apprimè doctus. Sciendi auidus, quid tandem id esset, cognouit aliqua ex Christiano quem interrogarat, probauitque tantoperè, vt suos illic ex solitudine euocaret, plenius secum de iis audituros. Adit cum iis P. Alenius, rogatque cupidè ex eo discere, quod ille ardentius docere cupiebat. Verum ad prima de Deo effata cæcus senex, iussis tantisper abesse discipulis, quæsiuit ex Patre, soline essent ac sine arbitris? confirmantèque illo adesse neminem; benè habet, inquit, nec enim diuina fas esse nisi duorum auribus committi, cum ne hominum quidem arcana credi pluribus deceret. Absit enim verò, infert Alenius, absit à me id crimen vt hominibus diuina inuideam, quin optem potius toto orbe vulgari, reuocatisque eius discipulis, abundè cum eo ritèque eruditos, sacro baptisinate Christianis adiunxit, inter quos etiam haudquaquam iis defuit quod admirarentur si solitudinis amore, & afflictationum gaudere pergerent, aded illos Alenius, ardens & ipse diuino igne, heroa virtute excolebat: præ aliis tamen sodalitem cui præerat Melchior, (de quo multa non pridem) cuius omnes sodales ita effinixerat vt licet in fide tirores, possent accedentibus ad Christum pro Magistris proponi; iis thecas reliquiarias egentissimus omnium Alenius cum dare non possèt, religioso inuento singuli, odorato ex ligno tessellas sibi læuigarunt,

laeuigarunt, quibus duas hinc inde, ut cuique cordi erat inscriptas sententias ad pectus gestabant quarum praecipue studio caperentur. Deum exempli causa pra omnibus dilige; ama proximum ut teipsum, coeterasque eiusdem pietatis: religiosos coegebant coetus apud Ioannem, Christianum in paucis egregium; aula iis dicata, picturis carebat, et quibus oblectamenti plus in oculos redit, quam utilitatis in animum. sed uestiebatur cartaceis tabulis eleganti, & grandi charactere, praecpta decalogi, & variarum officia virtutum repraesentantibus. Ac ne cui verbum excideret, loci reuerentia minus dignum, hac epigrapha Ioannes, supremas fores munierat. Hic nisi de Deo (fratres) non agitur, mundana seponite. Nihil habet tertia quam statueram narrare ad Christum conuersio, illustre per se, aut memorabile, praeter obsequium charitatis in matrem ita singulare, ut visus sit Deus ad filij salutem eius quanquam civilis non paruam duxisse rationem. Orbatus parente altero iuuenis in aetate, ingenij, ac studiorum primo vere, primum statuit (quod Sinæ execrantur) omni coniugio abstinere, ne vel studio vxoris deesset matri; vel foerum vxor ut vulgo fit, sperneret; multos celebs annos tenax propositi exegit, inter quos tam saeuus iactatus est casibus, ut laborioso tandem officio, nobilis, sed omnium egenus locaret manus ad alendam matrem. Quam cum etiam morbus septuagenaria lecto affigeret, tam constanter languentem, consolatione, subsidio, praesentia iuuuit, vix ut vnquam domo esseret pede, victum interea muliebri opere, voluendo coram fuso illi patiter & sibi emeret. Sed molestam occupationem, quanquam filij optimi patientia leuiorem, excepit aliud eo acerbius, quod leniri remedio nequibat, congelauit post triennium anus exhausta senio, ut pannis calentibus subinde recreata; eodem mox frigore rigeret: inuenit tamen huic etiam malo solatium filius quod vel vnicum fuit, vel excogitare filij optimi sola erga matrem sollicita, & industria pietas valuit. Decumbat is a matris pedes, & applicitas aperto pectori eius plantas suo tandem natiuo calore, panorumque ac manuum complexu resouebat, quoad sensim depulso rigore indormiret. Sed facti laudem auxit longinquitas annos sex totos, & viginti durauit in eo filius, matremque hac sedulitate ad hunc annum perduxit, seculi huius vigesimum quintum, aetatis illius duodecentesimum. Virum ergo tam utilis ad patientiam, & charitatem parentum documentis, Ludouicus quidam Neophytus, sed avidissimus salutis alienae, desiderio incendit, cognoscendi de Christo plura quam quae ipse summatim indicabat. Eo Sambiasum conuenit qui vsus indolis bonitate, facile peruenit quanto nobis deberet Dei conditoris, Redemptoris & Patris quam parentum amor pleris esse, paucisque scholis apprimè eruditum, baptizauit; quae ipse dum scriberet, matrem addebat parari ad baptismum, a centenaria aetatis proximè distantem. Contigere hoc biennio multa similia, quorum specimen dedisse sat habeo; strictiorem quoque in Cocincina bre-

12.
Insign. pietas filij in matrem.

uitatis modū seruaturis, etsi cum aliqua operariorum iniuria, sed coacta; ut quorum res sesquianno gesta, cuiuscumque sit culpa, petierint.

Huius Regni tres ad Austrum Prouincias curabat P. Buzomius, e statione Nuocmanensi, Quagninam, Pulocambim, Ranranam, qui ut erat strenuissimæ pariter, & felicissimæ operæ, Christianorum cæteribus omnia implebat, paruis numero, sed mox in alios propagandis, etiam ampliores, ex commearum vltro citroque consuetudine nascentes; quorum alioqui cuttando & sudando multitudini deinceps impatem, necessitas docuit, quo pacto deesset nemini. Delectum habuit antiquiorum inter Christianos, quos maturitas virtutis, & iudicij commendaret, formauitque accurata manu in Magistrōs, quibus vices suas securè crederet; iis quidem ut prima baptismum poscentibus traderent rudimenta; illis ut cogerent baptizatos, & in vsu virtutum pietatisque promouerent; quibusdam, Macao recentes operarios ex nostris linguæ, seripcionis, & rituum cognitione instruerent; tam copiosis accessionibus ad fidem, hic, & in Prouincia Cacia, corroborandis, & augendis, adiunt Macao P. Gabriel de Matos Prouinciæ Inspector, Antonius Fontes, Manuel Gonzalez, Gaspar Luigius, & Alexander Rhodius, qui iuncti veteribus operarios quindecim præstabant; vndecim Sacerdotes, quatuor Adiuutores, sed ad Catechesim expeditissimos; quibus alios Deus ex indigenis adiunxit, salutis animarum, suæque imprimis studio sic exercitatos, ut non minùs fidenter adhiberi possent quam si forent à puero nobiscum educati. Duo in iis fuere eximij. Alter nomine Petrus; Regis olim Consiliarius pari vir pietate, ac prudentia, nostrorum in linguæ peritia Magister, in diuinis discipulus, quibus illum Exercitia S. Ignacij sic altè imbuerant, ut de profano, & vitiiis dedito prorsus in alium fingerent. Secundus Manuël, ex Bonzio quondam, hoc est vita scelesto, exemplis peiori, doctrina dererrimo; tunc religiosus quantum fas laico, Christianus. Nam se paupertatis, & castimonie vinculis Deo obstrinxerat, & præstandæ, nostrorum Reçtori obedientie, quibus ad cumulum perfectæ charitatis votum addiderat, nulli se unquam labori parciturum, quem posse crederet ad promouendam Christi gloriam conferre. Ac Matos quidem, Cocincinensibus lingua illorum prodesse non valens Iaponiis se dedit penitus, qui urbem Faifum incolebant, ut qui linguam illorum in promptu haberet, diuque in Iaponia versatus; calleret optimè quibus essent potissimum iuandi, edificauit Faifi Christianis templum, nostris domum; sed his intentum curis; confixit ingens dolor, ex promulgato Nangafachi recens, post in cunctis Iaponiæ portibus edicto Imperatoris Xongunsamæ, quo prohibebantur exire regno Christiani, nisi publicè fidem eiurassent; qua edictione, minuebatur quotidie Christianitas Faifensis. Quod autem illas tam olim felices, nunc tam inopes diuinorum, Iaponiæ insulas S. Xaucius Societati colendas transmisisset, ex illa identidem esse aliqui penetrabant, opem miseris laturi, quam aliundè vndeuis defi-

12.
Gesta in
Regn. Cocin-
cinæ Fracif-
cus Pulocā-
bim.

petabant. Quare Matos, cum P. Machio Michaële Iapone Cambogiam nauigauit, vt illic opitulareretur Iaponiis mercaturæ causa in id regnum aduectis. Quassam Faiisi conscendit barcam, nunquam velis, nec arte paucorum nauatarum, ex tempestatibus emerfuram, & insidiis Batauorum nisi Deo seruante, & defixis repente malatia Batauis, auram illi vt ante prosperam afflante. Misere iis obuiam Iapones nauigium grandius pronò anni Mecone milliaribus ducentis; quò post octiduum, aduerso fluminae applicuere Chiribonum, vbi Cambogiae Rex non pridem aulam statuerat, & secutis Regem Iaponiis ægrè solum & casula ad habitandum erant. Illic assiduo Sacrorum vsu, & serio, instaurata est eorum pietas, reuocati mores in integrum, matrimonia emendata, reconciliati Ecclesiae, à quibus oretenus tormentorum horror, defæta fidei professionem extorserat. Diuturna institutione puerilis ætas informata est credendis, & seruandis; cautum lege constanti, sanis, & ægtoris; morti proximis, & defunctis ne animorum subsidia desissent. Cui operi Machius suo loco præfecit Chinzaemonem Leonem, re pauperem, sanctimonia locupletem, Christianis cæteris venerandum; lætis demùm onustus manipulis, repetiturus Iaponiam, Macaam contendit. Inspector Patres è stationibus Faiisum, censuit cogendos vt decerneretur in commune de nonnullis scitu ad vsum pernecessariis. Vnum erat, quid esset defunctis deferendum, & qua significatione nostræ in illos charitatis, ne inferiores ethnicis videremur qui se iusticè iis obsequiis iactabant. Pio igitur huic officio (si Roma annuaret) dictus est dies Septembris alter, quòd Nouembris secundo Cocincina omnium aquarum nataret restagnatione. Modus verò præscriptus, qui & functorum leuaret pœnas, & Christianam ethnicis proderet pietatem, intimo quidem animatam religionis sensu, at sacra, & nobili specie reuerendam, quale nihil inerat ritibus ethnicorum profus inconditis & abiectis; in quibus præterea cum essent quædam superstitionum sanctius timidis, quàm prudenter cautis vna sententia omnes damnarentur, ac dùm arcebanur eorum vsu Christiani, cantionum scommatis publicè luderentur, veluti avari, & maioribus ingrati; secundo loco superstitio seiuncta est à ciuilitate; ceremonie ciuiles, & humanæ Christianorum permixtae exequiis; execrables aut suspectæ, detestatione perpetua sunt proscriptæ. Tertio, post nouum Examen vulgatæ sunt preces Cocincino idiomate conuersæ; integratæque disputatione ac decreto Theologorum nostrorum Sinensium, vox *Tien-ciu*, seu *Dominus cali*, restituta est suo iuri, soluta interdictione moderatoris tum linguæ ignari, tum nimium creduli Iaponensibus Catechistis, qui ex iis quæ norant in rebus Iaponiæ, etsi erant probi non tamen idonei ad ferendum de rebus Sinarum iudicium.

His dùm Patres incumbunt quæ censent conducere teneræ Christianitati, versabat animo Rex de illa id solum retinere quod Iuero suo conducere.

19.
Consult. PP.
de Exequiis,
& Tienciu,
&c.

conduceret. Petgere si quidem Lusitanos in fallenda fide, de oneraria, Macao quotannis illuc ad commercium mittenda, ex quo magni redibant ad Regem & in Regnum quæstus; vetari à Patribus parentales vsus ab ævo solennes, nec festi modo quod Io dicitur, solenne, & functorum animas epulo recreat; verum etiam quotidianæ sepultura; antiquos Regni Deos honore spoliari; ac ne pati quidem illos, Deo Christianorum pares esse; quamvis autem Rex de lege Christiana sublimè aliquid sentiret, & diceret, verum temper addebat, non esse popularem; sed hominum quos multa scientia ornaret, proinde ferebat periniquè, illam Regno suo quàm vellet vberius diffundi. Accessit huic vlceri vaquus, simplicitas homuli, temerè præfidentis, qui artis medicæ planè rudis, suscepit se Regem à lepra sanaturum; postque indictas illi de genibus ad Christi effigiem adoraciones, quibus precum suarum longam ipse addebat recitationem; tandem balneum præscripsit, ex quo dum nouum expectat Constantinum, Regem sua vt ante squalentem lepra; grauique insuper affectum insomnia recepit. Has omnes ob causas edixit Rex publicè, Faifum oeyus conuenirent, quotquot variis in regno locis Patres habitabant; illic ædem haberent sacram, domum, & ministeria libera, sed alibi nusquam. Quod extra Rescriptum professus est se nostri amore edicere, quibus passim disunctis mors imminebat à Bonziis odio contra nos occulto furentibus. Id si contingeret, magno sibi mœrori futuram tum nostri iacturam; tum fumendas de homicidijs pœnas. Ad hæc eodem edicto vetuit suorum quenquam diebus festis ab operibus vacare; Christianos verò coronas habere de collo pensiles; domi sacratas imagines; in propatulo cruces, quod iis Bonzijs functorum animas fabularentur ingressu ædium, vrbiumque arceri, quibus ferrent aliquid faustitatis; hoc Regi quanquam pro anili erat; sed obturbati sibi nolebat nostra causa, multo minus dissidia in populo seri. Nanciani edictum pependit Decembri mense anno 1625. qui dies Pinnae interitu Christianis iam erat maximè luctuosus. Lembo enim tenui farinam, & vinum ad sacrificia, ex alto mari referentem, vbi Lusitani stabant in anchoris; mare subito euersum obruit in ore portus Ciampelli ex quo exierat. Prosecuti sunt mortuum Christiani amaro luctu, & honestiores ex iis viginti, mutatis vicibus ad sepulturam Faifum extulere. Cui nec ipse Princeps à quo plurimum amabatur officio defuit, Cacionem enim per fisci Præfectum odoramenta cum facibus misit ad cohonestandas eius exequias. Erat Pinna genere Lusitanus, annorum quadraginta, ethnicis propterea carus, quod eorum lingua nihilo indotius loqueretur quam si foret inter illos natus. Pietatis verò in ministerio animorum adeo strenuæ, vt magna ex parte Cacionensis Ecclesia illi debeat. Quam iuuit etiam mortuus non parum. Denuntiato enim Cacioni, parentis edicto, Princeps filius nostris indulget nihilominus, vt centum diebus Cacioni, Pinnae parentalia celebra-

14.
Rex Cocin.
edic. contra
Christ.

rent, quibus elapsis nec ipsi abiēre, nec sunt ab vllō de Edicti lege admoniti; nec abstiterē muneribus solitis, & conuersionibus ethnicorum. Iussis dumtaxat amoueri à vulgi oculis quæ ad pectus pendeant coronis Deiparæ. Nam foris veriti, ne qua iniuria sacras imagines & cruces violarent Bonzj, & hanc iniuriam, violati à nobis Edicti Regij vindicta prætexerent, misere in pagos & vicina Manuēlem, illum quem nuper meminimus feruidum Catecheseos Ministrum, vt eas à publico domum subtrahi mandaret, quod interpretati Neophyti debilitatis suæ dissidentia fieri, tamdiu restitarunt, dūm iis nouo mandato constaret, alia omnino, & necessaria de causa fieri. Nuocmanum, & Prouinciam Pulocambim, crudius habuit facinerosus Mandarinus, qui vt solent Præfecti cū absunt à Rege longius, pro Rege se gerens, quicquid libitum erat Edicto attexuit, leges, pœnas, minas, mortēque aded, si quod inditium Christianismi quis publicè præferret. Terruit aliquos hic metus, plures centuplo animauit, ardere illi diuino instinctu; minas reposcere; vitam ad quæuis supplicia, mortēque obiectare; Mandarino ius vitæ, ac necis deerat, quod pessimum potuit aliquos, Sinarum more, in Prætorio cæcidit. Sed barbariem hominis Caciano accurrens Principis scriba edomuit. Etsi enim addictus simulachris, magnos nostris de rebus hauserat ab vxore Christiana sensus. Ergo fallarium, Edicti Regij Mandarinum acerbillimè obiurgauit, pœnæ sibi ab aula venturæ anxia expectatione, à Christianis vexandis absterruit; negans Regis hanc mentem fuisse, vt aboleretur Christianorum lex, sed moderatiùs agerent, & affectantia publicum, nonnulla eius insignia remouerentur ab oculis ethnicorum, quod iis sibi crederent insultari. In Pulocambi verò, dictis factique se magnificentius extulit generositas Christiana, & fortitudinis clarum ostentum dedit, qua foret inter gladios & ignes duratura, si quando in Christum grassari tyranos contingeret. Nec erat quicquam hisce timidiùs à Prouincia Rantana expectandum, si minus sibi, rebusque Christianis Buzomius Præfectum eius, addictum habuisset, tametsi ethnicum. Denunciando itaque Regio Edicto, nedū exigendo, non supersedit modo, quod non ambigeret violentis extortum calumniis; sed apud subiectos sibi Administros, & Prouinciæ Mandarinum defensorem egit Christianæ legis, & Patrum laudatorem; in aula verò apud Regem, illa eos ornatu commendatione, vt quamuis species leuitatis Regem auerterit, ab Rescripti sui abrogatione; haud tamen eo imperata exegerit; ac postmodum Sinoæ Gabriele de Matos, & Buzomium perhonorificè admissos, iuratus fecerit intimæ suæ beneuolentiæ certiores. Quibus nihilominus studiis parum satisfecit irato Numini, quare damna fidei sacrosanctæ, ablatamque illi quam donauerat libertatem, morte Principis filij præmatura exsoluit. Esto manum cadentis, & causam vulneris præ cæcitate non cerneret. Luxit mortuum dolore non consolabili, non modo vt filium, sed vniuersis amabilem,

amabilem, cordatum, magnanimum, & regno maturum non solum propugnando aduersus Tunchinenses, sed amplificando. Fauebat is Princeps Patribus, & rei Christianæ, quantum Regis parentis obseruantia sineret. Audiuit interdum & aliqua de conditionibus animæ futuris; sed concubinæ amore infano ac perditio, captum, demeratumque pectus, satus illos diuinos aure tenus admittit; eius morbo, & morte in rabiem actus, parum absuit quin eam sequeretur, sui que carnifex immoreretur vltro eius cadaveri. At succurrit illi à quodam asmodeo qui posset illam secum retinere. Eius sibi curauit statuam, cuius caput argento fufum, corpus reliquum ex calamba infiniti pretij arbore. Cum hoc trunco vtrumque magicis artibus animato, noctes ducebat solidas, infomnis, flens, gemens, impos sui amoris, quoad exsucco iam longa infomnia cerebro, exhaustione spirituum, & mæroris pondere oppressus interijt, confirmans in parente quod illic iam inualuerat manifestis sancitum, & terribilibus exemplis, cum iis pessimè, & calamitose tandem agi qui Christianorum Deo eiusque famulis non dubitarent manus conferere. Orbatos dehinc Principis tutela, consolatus est Deus Reginæ baptismate quæ vt filium haberet castum, optarat fieri Christianum, habitura vtrique simul viuum & sanum. Hæc sublimes de rebus Christianis opinione capta, contestabatur se vna Regis ac Domini reuerentia teneri, quo minus se, quod mente iam erat, palam proderet Christianam; mittebat festis solemnioribus, quæ ad splendorem illorum facerent; nec ferebat quenquam Christianis de rebus nisi cum honore se coram loqui; & quos habebat in aula Christianos, iubebat templum frequentare, hortabaturque ad præcepta diuina, & normam viuendi professionis suæ dignam sanctitate.

Præter hoc infelicissimum Edictum, quod morte Principis vindicatum, opinati sunt Christiani, cursum item Euangelij retardauit belli apparatus ad Regem Tunchini repellendum qui terra, marique Cocincinam exercitu duplici adoriebatur (de quo erit inferius dicendum) passim nihilominus ingenti numero ethnici ad Christum accessere, hic duo supra sexaginta; sedecim illic supra octingentos, mille ducenti triginta tres alibi, & quidem nonnulli literis, & nobilitate præcipui, quos inter vidua defuncti Regis, Mariæ nomen ex baptismate sortita, ingenij supra feminam acuti, Sinarum scientiis ornata, proin nostrarum etiam cupida; quare librum auidè perlegens idioma Sinarum elegantissimo, ab nostris compositum, tota inhorruit ad noctem ignorantie faneftam, qua se vidit inuolui, ne scintilla quidem ex iis quas triserat literis, Deum sibi monstrante à quo esset, & finem quod tenderet. Hoc demum agnito Christianam professa, communem proborum læticiam accessione nobili cumulauit. Viam inijt Deus mirabiliorem ad conuersionem alterius in Prouincia Rantana. Matrum habuerat, famosum ex sanctissimis illis Bonziis lycophantam, qui structo sibi ex animantium ossibus; rostris & capitibus auium, altari, prodigiosum

13.
Rex Cocin.
morte filij
sui, edictum
impium fuit,
Regina bap-
tistatur.

quiddam inde afflari prædicabat in sacrificia quæ illi altari imponeret. Sed hæc Buzomio narrabat, in extremis agentem, fuisse spiritu correptum cuius nullum unquam indicium, dederat & diserte sibi affirmasse, legem in qua catenus vixisset totam esse ex dolis, falsisque compactam; te vero, subdebat, fortunatam! quæ paucis hinc annis habitura es Doctorem æternæ salutis, illustrem peregrinum, postremo ex orbe per maria omnia huc appulsum. Si quid tibi coræ anima est, & animæ salus, docenti aures dato; & morem eius consiliis gerito. Hæc verò locutum expirasse: ipsa triennio, ad vaticinijs exitum suspensa, non dubitavit Buzomium ab eo sibi descriptum fuisse, illo igitur audito, propensè admodum Christo nomen dedit. Ibidem puer Christianus medico suo vitam dedit, à quo pronuntiabatur proximè moriturus. Parentes Neophyti, quibus erat oculis carior, tam sæuo perculsi nuntio, fletu, & precibus vitam illi posebant à Deo, cuius erga complures alios ostenta potentia, & clementia orando retractabant (erat certè Deus in Rantanos fideles, miraculorum liberalissimus.) Ego vero inquit medicus, illi Deo, à quo id petitis, quod nisi à Deo fieri non potest, iuratus me obligo, si puer nocte hac moriturus, nocte hac sanetur, fore me postridiè Christianum, post quæ summo mane in euentum arrectus puerum reuifit, quem ut vidit valentem, & vegetum sibi obuiam prodire, obstupuit scilicet magnitudine portenti, & viam extemplo multis cum lacrimis ceterens ad Patrem adiit, Christi vnâ futurus & discipulus, & præco, & testis oculatus, nec esse alium à Christo Deum, cui natura pareret vniuersa. Transeamus nunc ad beatas mortes, puerorum imprimis baptismi candorem in cælum ferentium. Erant eæ tam crebræ, vt legem Christianam, mortuorum legem vocarent ethnici, & quantum vitæ metuebant caducæ & fragili, tantum sibi cauendum ab æterna miseri statuabant; Sciabinus ille, de quo nuper, Regi à consilijs intimos, & multis legationibus probatus, tam potens fuit religionis Christianæ, ac tam nobile ornamentum, vt cum in Senatu graue, si quod in regno, negotium, illi omnes mandarent, vna abiudicaret ab eo ethnici, quod tam suspectum negotium Christiano malè crederetur; imo, ait Regi, qui aderat filius, non possunt melius eius momenti negotia quam Christianis credi, quod præter altam prudentiam, fidem exigant summam cum summa æquitate, qualem Christi lex iubet, & Paulus ex ea vitam agens; luculenter obseruat. Enimvero ad munus impostum, Exercitijs S. Ignatij comparauit sese; fusi que tanti apud Deum vt in legatione Sianensi tempestatem sedaret, cunctis horæ sibi supremæ exitium instare gementibus: regressus enim in cellulam, vbi diem fecerando transigebat, post cruentam sui flagellationem foras prodit, & demissis in mare sacris reliquijs, breui fluctus turbatos composuit. Hic ergo (quem iniquum fuit non saltem obiter meminisse) dum in cellulam à Rege reuocatur, nocte compellitur in angustum mapale succedere.

14.
Lex Christi.
lex mortuorum.

illic hominem videri senectute ac morbo ad extrema redactum, interpretatur quod illuc propterea caelitus adductum, aeternas illi aperit, & denuntiat poenas, si quod proximè aberat, ethnicus moriatur; beatam contra immortalitatem si Christianus; & sacra, vt licuit, doctrinam imbuto, baptismum confert; de vxore item decrepita; sed sana tunc minus sollicitus, quod necessaria doceri, tam breui non poterat; verum illam cui altè infederat, quanti interesset Christianum, aut ethnicum mori; baptismi, ait, mi Domine promisso me recreas, postquam interea dum hac redis, scienda didicero; promitte sodes similiter, me tunc etiam in viuis futuram: hoc si negas te posse promittere, vt quid in discrimen miseram coniciis eius boni perdendi, quod sero vales non fuisse dilatum, ego frustra doleam amissum? animaduertens Paulus animum hanc à se haudquaquam eloqui, posthabito scrupulo eam baptizauit, paucisque post diebus reuertens, paruo utrumque interuallo comperit obiisse. Sed felici morte nemo par seui, mihi occurreret annorum septem supra sexaginta; Turone ad filium ibat diebus decem itinere in Rantana Prouincia distitum, & dabat aetati vires amor, & desiderium filij reuiscendi; sed longè aliò diuina benignitas hominem ferebat; fortè contigit eo deueniret vbi Buzonius multitudini ethnicorum diuina tradebat rudimenta. Et audiret quaedam de beatitudine sempiterna, cuiusque per baptismum adeptione prona, & facili. Quod persuasum est illi tam indubitanter vt tanquam caelitus ad hoc sciendum missus substiterit, & post Catechesim baptismi compus effectus sit, ex quo illi tam larga, & affluens felicitatis eius asserat fiducia, vt praesentia omnia fastidiret, Deumque compellans diceret. Caeli iam haeres, in terris mi Domine! quid ago? quod meum est redde, meque hinc amoue. Nec inanis fuit precantis simplicitas; dum hanc eadem petit ore ac manibus in caelum intentis; claudit repente oculos, caput in pectus quasi lassum deponit, & moritur, gestitentibus Christianis felicissima eius sorte, quam sibi cum illo sperabant communem: funus ab iis eo apparatu, iisque laetitibus curatum, vt eius spectaculi perspecta solum causa, nullo praeter hanc argumento, duos infregerit pertinacissimos ethnicos, vt Christianis statim accederent. Vidit alio ex pago Catechista quo Buzonius utebatur, ipsa obitus hora, fortunati lenis scandentem in caelum animam magnam cum gloria, & sibi aded liquere censuit hanc esse Iacobi animam (quod ei nomen baptismus indiderat) vt magno pietatis prouentu, visum late vulgare; quod cum esset Turonem perlatum, vnde senex in viam se dederat, incesit filium quem illic habebat cupido improba interrogandi Necromantem de illius statu (quo genere curiositatis, nihil eo in regno crebrius, ethnicis, suorum post mortem colloquia seu daemonum potius, qui defunctorum personam sustinent frequenter petentibus) sislit filio senem Necromantes, siue quis alius fuerit qui Patrem ageret; seugrè is filium velut alter Samuël obiurgans, [malè abs te,

abs te, respondit, factum; nec me huius scelesti artes sacrilegæ hinc tibi adducunt, verum vt tibi ad salutem vertat, quod optasti vt me rescire; viuásque qualis sum mortuus. Christianus nimirum obij, & nunc apud Deum viuo, cuius felicissimo aspectu beatus sum. Tu tua abiectæ simulachra, & illorum sectas, vae! illic apud nos qui iis adherent. Require ex Patribus qui te sacra doctrina imbuant, & Christi purgatus baptisate, seruato illam diligenter.] Obtemperauit mortis filius, remque vt erat P. Maioricæ narrauit, quam item eadem recens fama in Rarana Prouincia confirmauit, iuuítque pierrimum ad vindicandum à stolta sed maligna calumnia baptismum quo fieri criminabantur, vt in occidente Lusitanorum serui denno nascerentur qui in Cocincina baptismo tincti essent, id autem haberi testimonio Christiani à Necromante suscitati; stulta quidem sed apta fabula ad deterrendos à Christo ethnicos, à Damone aliquo, vel Bonzio fabricata. Duorum qui sequuntur idem mortem seribo, ne vita in obliuio remaneat. Eorum alter senex sanctus, vocabulo Dauid, octennio illo quo lustrationi suæ superfuit eam adeptus est, consensionem animi cum Deo vt si annos duodeseptuaginta quos vixerat, diuina contéplans exegisset. Bonnam indolé sortitus, vitam ex conscientia dictatis, quamuis ethnicos decebat, sed semper inquietam. De futuris enim, & anima quæ Bonzj continebant, nullius continebat fidei; ab iis si vellet recedere, excogitare se non valebat, vbi fidei pedem tuto desigeret. Quamobrem secum abstinuit nuptiis, vt quod olim apud se agitarat, quacumque gentium, liber hominem quæreret probitatis laude, ac scientiis insignem ex quo intelligeret de Deo, & æterna vita; quod Bonzj omnes cetero sibi inquirere iurabant, nemo cum alio idem sentiebat, hoc ipso non obicant significabant vniuersi nihil sibi constare. Frustra ergo decursis Cocincinæ, & Tunchini Prouinciis omnibus, ne in Sinis quidem tranquillam animi reperit, solidum, & seipso contentum, quod peregrinando venabatur; sed meros andabatas, & ab insitæ rationis sereno lumine accessos. Errando fessus, & votum desperans, Tunchinum repetit, non illa diues quam ipse deperibat scientia immortalitatis, sed vitæ corporeibus in longum pferendæ, quam à damone acceptam, illius prologia testabantur naturæ vi qualibet maiora. Cetero Regem Tunchini, die ipso (ad artis ostentationem) antea predicto, à morte ac Medicis exemit incolumem, à quibus fuerat conclamatus. Hinc illi tantus apud Regem honos, vt par Principibus graderetur; haud tamen inquam sibi concors & gratus, & salutis suæ mordaci sollicitudine vacans ab cuius aditu abesse se nihilo propius quam multis cetero annis expectabatur; dumtaxat quiddam, incerto rumore, ortúque accepit, innotum aut traditum, venturos scilicet ab australi plaga in illam borealem, ex Cocincina, inquam, in Tunchinum, Magistros peregrinos, vitæ optinæ gloria, & doctrina claros, quorum inditio, ignotum illud ad salutem iter, pandi, terique inciperet. Quandonam porro? Deum nota

arcana id premere, apud quem propterea instabat supplex, eorum aduentum festinaret, aut mortem iuberet lentius ad se festinare, nec eorum sibi aduentum praeuertere. Tunchinum inter hæc, motus sciunt, & quatiunt ciuiles; Caccianum intra Cocincinam, senex amans quietis se subducit, cognoscit de Buzomio nouæ legis præcone, docentem audit, disceitque monente interius Deo hunc esse Doctorem illam peregrinum, & quam traderet legem, viam esse ad cælum, quam per tot errores Prouinciarum, & Philosophorum frustra tot annis indagasset; præter omnem tunc suam expectationem, inuenisset; & gratulabatur quidem sibi tantum boni profusione lacrimarum vberissima & iucunda nisi vehemens illas asperasset dolor, quod vitæ annis sexaginta in omni traductis opinionum prauitate, senex ægri id esset assecutus, quod semper à puero spectarat. Quare illo dolore exstimulabat sese ad inanes tot annos, paucorum qui restabant vsu strenuo compensandos. Fuit illi non plures quam octo, quibus totis vitæ in aliorum salutem actuosæ, & in-perficiendi sui curam contemplatiuæ, opposita studia ita copulauit vt in vtriusque emereret. Nullus ipsi nisi de diuinis, & æternis sermo, domi, foris; rogatus, importunus; domesticam, in circulis; vbiq; demum ad beatitatem miseris vocare, ducem iis ad illam se fidum præbere, præite illis ad Patres viam, à quibus doctrinæ instructu necessario exculti tingerentur. Hæc autem hominem à contemplatione ecclestium, ad eò nequaquam abstrahebant, vt potius ad illam acuerent, inceditandi sub serum quotidie ab nostris petebat capita, infumebatque illis bonam noctium partem, ea diuini spiritus affluentia & animi ardore, vt inde corpus ignesceret, tremere, in suspiria, clamores, copiam lacrimarum deficeret. Sequebatur sui acerrima diuerberatio, alique afflictationes, quas ætate neglecta moderabatur vegeta, & feruens pietas. Annam attigerat octauum à sexagesimo, cum in somnis moneretur de profectioe in vitam quam tot annis, & votis desiderauerat; vnum accersit ex Patribus narratque obiectum sibi visum, ex quo affirmabat dies sibi restare paucissimos quos in morte accuratius paranda, & ignitis cum Deo colloquiis occupauit. Postremò aduertens septem idololatriæ amicis lectulum, voce vt potuit viribusque collectis, admonuit ne vellet in certum exitium, & mortem, vitam suam æternam dare præcipitem, dum ipse viam secutus veritatis, vitæ sempiternæ foribus confidenter adstabat; quas breui post, piè ac placidè moriens iniuit. Post hunc annis duobus, hoc est 1626. Ondelinus Andreas Nuocmani in patria, sanctè vltimum diem clausit, nobilissimus inter Mandarinos; inter alumnos exquisitæ virtutis, maximè Buzomio carus, vnum lubet referre tantummodo, ex quo difficillimo, arduo, & perplexo, reliqua æstimetur herois Neophyti mensura. Solent die quot annis stato suburbanum in campum Patres familias convenire ad instaurandum Regi, suæ fidei sacramentum, confirmandumque messiam Quaram nonnulla penstatione. Ad sunt è pagis, S. l. l.

& oppidis, Nuocmano Metropoli subiectis ingenti numero alij; stant in medio inter lumina, & sufficit idola in aris frequentibus, ad quae tributum deponitur; digesti utrimque militum ordines, nobilitatis flos, & Mandarinorum Senatus amplissimus; ex quo lectus ab Rege, ipsumque referens tributo admittendo praestit, pompaeque Regia ex palatio suo in campum procedit. Delatum sibi ab Rege Andreas tanti muneris honorem non prius admittit, quam ex Buzomio intelligeret modum sic administrandi commissa obsequia, ne cultum probaret idololorum. Verum illa se ratus nimium arctari moderatione, à Buzomio expressit, festo illi Deorum sacrilego ita operam dare, ut in eorum caederet dedecus, & triumphum Christianitatis. Praemissa igitur ex palatio suo pompa ciuilibus, aulicis, & militaris comitatus; cum insignibus sui Magistratus, & subsequenter deinceps solenni ornatu Mandarinis; ipse demum in equo superbe phalerato, cultu Regio procelsum, dextra crucem attollens, eamque proclui capite, & oculis adorans. Anteibat equo iuuenis Christianus cultu pulcherrimo, tabulam praefrensus Christi Redemptoris, cui pone pendente umbellam pretiosam sustinebat honorarius ephabus. Hoc ille apparatu, inter organorum, & tympanorum cantus per totam Nuocmanum in locum labiit, admittendo tributo solennem. Illic iubet erigi altare ad hoc praedem paratum, crucem medio in altari cum Christi effigie locati, odores & lumina liberaliter incendi; tum equo exscendens cum humi pronus ea adorasset, conuersus ad multitudinem late circumfusam, eum se honorem, quo vno digna erant simulachris habere professus est, nempe tergo auerso contemptum praeterire, quando illa non possit confringere, vel quod tales deceret potius figuras demonum, ipsi abolere: alium non esse praeter Christianorum Deum, illum à se coli & adorari vnum, & (quo dicta conclusit) sibi prius caput reuulsum iri ex humeris, quam ut alteri Deo illud inflecteret. Inde ore semper in Christi altare reuerenter obuerso, tributa excepit, & quo ventur, splendore & ordine in urbem recessit. Sed erant ad Regem perferenda longo regni pane totius, hoc est quinque Prouinciarum tractu, quod ille iter ita instituit ut esset quoque perpetuus religionis verae triumphus. Nauem enim tributa portantem, pro augustissima & auspiciatissima tutela, regebat simul decorabatque Iesu nomen, in elegantibus vexillis auro radiatum, quod cum voluptate, Carcerum ab regni Principe, Sinoæ in aula ipsomet à Rege, spectatum, laudatum, celebratumque est, & gradu Magistratus eminentiori Ondelino Andreae repensum.

Sed de Cocincina scribi gratius nihil potest, quam quae anni huius vigesimi sexti, exitum coronauit, expeditio nostrorum in Tunchinum, ea iam tum suscepta faustitate, usque deinceps aucta profectibus, ut facilius nobis Tunchinenses mille ad Christum perductos, anni singuli numerent, quam Cocincinenses centum. Ea propter si decuplo grauius

& ærumnosius, & aduersantium maiori obstinatione (qua mente Deus scit) sudatum à nobis eo in regno foret, iuaret nihilo secius dicere, fuisse tanti; cum illic postremis his annis Christianorum trecenta plus millia censeamus Ecclesiæ sanctæ incrementum haud sanè ignobile de S. Ignacij prognatum voto, & spiritu, suorum post Deum urgente conatus ad amplificandos eius fines; cuius operæ fructus, aut beneficentiæ potius diuinæ, nouum identidem Pastori summo, aliquem offerunt Christianorum gregem, in desertis renatum Orientalis idololatriæ. Fuerunt eiusmodi (de quibus hætenus) Iapones, Sinæ, Cocincinenses, & nunc Tonchinenses, quos partem huius historiæ facit tributio conditio Sinis obnoxia. Ac doleo quidem, præter laboriosâ fundamenta, & constabilitam harum Ecclesiarum firmitatem, cogi alia filere quæ plus gloriæ habent ærumnarum minùs & periculorum, vt quæ ab anno æui huius quadragesimo gesta sunt, sed hunc mihi consultò scribendi limitem præfixi cum anno Societatis nostræ seculari.

Regnorum vicinitas inter se consinium Macaenses nostros in eam mentem induxerat, vt opinarentur Tunchini Regem facillè passurum, quod Sinæ, & Cocincinenses ferebant deinceps non grauatè, vt inoneraria Macaensi quæ portus eius frequentabat, ex Patribus aliquis mercatoribus adesset; qui Regis sensim captata gratia, & solerti studio popularitatis, sedem illic sibi; sociis aliquot subindè aditum impetraret; eamque postremò Euangelici præconij libertatem, quæ pulchre incepta suo in ortu non perderet. Hinc & Regni florentis ad Ecclesiæ accessum magnoperè expectandum, & paratum fore nouum illac nostris in Sinas ingressum, si Quanceensis (in dies arctior) penitus intercluderetur. Probauit consilium Hieronymus Rodriguez, Inspectorum Macai tunc agens, & Vectariæ Lusitanæ ex eo emporio Tunchinum soluenti, Iulianum Baldinotium imposuit, exploraturum dumtaxat Regis in nostros animum; & populi genium erga religionem Christianam; ac Lusitanos quidem supra quam optari poterat, Rex humanissimè accepit; donis dona rependit; amplam iis attribuit domum, quam ædificari iussit libera circum in area vt essent cum mercibus ab incendio tutiores. Cui obnoxia ferè est ædium omnium lignea materiatio. Ad hæc milites dedit qui diurnis æquè vt nocturnis excubiis, fures ab iis defenderent, assuetos conditò, ignem domibus subdere, opisque ferendæ specie illas expilare. Suo quoque Regem veneratus est Baldinotius peculiari dono, quod religiosam deferentis non dedecret manum. Et quamuis non alio quam Societatis, humili habitu adstaret; Lusitani, Præfectus maxime vt in similibus, superbo, & splendido, animaduertens Rex Præfecto ab iis inuisitata exhiberi obsequia, & Baldinotio Præfectum demissiora etiam deferre, verecundanti licet, & (contra quod solenne Bonziis) quam agrè illatam modestè ferenti; virum magnum putauit, & in religione sua sanctum; optassètque libenter de animi rebus dicentem audire, si linguam Tunchinensem im-

S. f. f. 2.

15.
Tunchin-
expeditio.

promptu habuisset; vetuit autem prudentia res tantas interpreti ethnico fidenter committere; quod vnum licuit, cum Regis Præceptore, magni nominis Bonzio amicitiam inuit ex crebra consuetudine, quam ei Regis præbebat comitas qui ad eum visendi gratia, sæpè Bonzium mittebat. Dùm lentè, nec lucris adèd commodis Lusitani mercimoniæ permutant, & distrahunt; totus erat Baldinotius, in explorandis moribus, introspectenda indole, notandis affectibus, genis, & habilitate quauis facili, aut secus, in Tunchinensibus, ad suscipiendam Christi fidem, cernebátque in dies clariùs, nulli solo Euangelij semina creditum iri fructuosius quàm Tunchino, seu naturæ spectares ingenium, seu cultum; vtròque in illa ituros quæ recta ratio iis indicaret ad æternam salutem esse necessaria. Hinc moras deuitans tanti boni per Macaenses procurandi, clam certum hominem in Cocincinam mittit, rogans ab eo qui nostris præerat Patres duos, Tunchinensibus de Christo docendis, & æternitate; sed proh! quantum aiebat prouentu absimili, & vberiori, quàm qui ex Cocincinensibus rediret. Respondit qui præerat, negans id esse sui iuris, & si foret, ab se non posse præteriri sine grauissimis suspicionibus regni vtriusque tunc in mutua odia, eladèsq; armati. Conducibiliùs futurum si Macao rectè quos petebat in Tunchinum acciret. At enim iam Deus ex Cocincina, Tunchinensibus Christianitatis sibi legerat fundatorem, P. Alexandrum Rhodium quem longè alias ob causas idem Rector Macaum potius idcirco reuexerat vt amoueret à Cocincina procul, quam vt eum Tunchino gratificaretur; etsi anamiticum sermonem expeditissimum biennij studio perfacile. Macaum ergo Baldinotius redit cum mercatoribus Lusitanis; de Tunchinensibus quæ præsens compererat disertè relatoris, ecclø priùs transmissis, infantibus quatuor feracissimi eius agri primigeniis floribus quos baptismum statim subsecuta mors, terra abstrahit. Nec verò alteri videbatur gloriosæ prædæ captura comperere, nisi qui prior illam indagasset; sed ignoratio linguæ Tunchinensibus magno vniuusu superanda, & Iaponicæ cui assueuerat in Tunchino vsus inutilis, in Iaponiâ pretiosus, cum martyrij ardore quo flagrabat, tunc inter lentos ignes proni, & obuij, Baldinotium cum aliis quatuor in Iaponiam verterunt. Generosè sanctèque ad martyrij meritum; ad martyrium, nequaquam; eius solam Deus admisit voluntatem, reiecta Macaum qua vehebatur nauis in portu frangitur; Baldinotius paulò post morbo extinguitur; exilitatem lucrorum anni præcedentis pertæsi mercatores, & quibusdam periculis territi Tunchino abstinent, eratque illic in hunc annum nauigatio nostrorum intercepta, nisi Ioannes Pintus Fossecæ Macaensis audentior cæteris, in discrimen vtrumque, animam obfirmasset, tùm suas metes in Tunchinum euentu ancipiti portandis; cum duos è Patribus suo sumpta, vt præclarè quoque in partè operis & ipse cum iis accederet. Armato igitur mediij modi nauigio Tunchinum vertus, Ma-

cao vela explicuit Martij duodecimo anni 1627. assumpto secum P. Alexandro Rhodio, & (quæ ei præfecit suffectus Hieronymo Rodrigues, Provinciae Inspector Palmerius, P. Petro Marchesio. Apostolicæ huius missionis honorem Rhodio conciliauit peritia linguæ Tunchinensis, virtus egregia claræque Palmerio perspecta. Potuitque omnino inter summos Euangelij præcones merito celebrari, si par studio animarum, & strenuitati operum indefessæ, prouidentia adfuisset, quæ Apostolici muneris pars est si minus primaria, certè primariis proxima. Hanc ipsi laudem aut abstulit aut multum imminuit, quod pietatis suæ feruidis motibus se tradens penitens, consecraretur ingenti animo præfentes solum quæstus; in futurum nihil prospiceret, nec pronis hinc sequi occurreret malis; ex quo etiam illa quæ benè ac mente optima geruntur, sæpè die vno multorum annorum labores decoquunt. Cùmque hoc malum morbus naturæ sit, proinde vix vnquam sanabilis, vnum id suppetit vt operariis qui eo laborant priuentur missiones, quod tandem Rhodio factum est, quanquam ne sic quidem obuiam itum damnis Macai ab illo, post Romæ, tùm alibi profectis, relicta vbiq; sui memoria parum laudabili, quod bonæ menti par, non afferret in rebus gerendis iudicium, seque vnum ad illas Consiliarium adhiberet. Navigatione vsi sunt maximè procellosa, præsertim ad Insulam Hainam, scopulis, syrtibus, & naufragiis famosam, semel deprimi fundo, & mergi cœptos, demissæ in aquas S. Xauerij seruarunt reliquiæ cui sua olim pericula orantes memorabant quibus mare illud toties consecrarat. Aliàs funestam ipso eius in ortu procellam, repentino Deo sereno discussit. Sexto die ad insulam applicant, seu montes dixeris præter quos nihil in ea soli, sinuque se sub insulæ angulum reducto muniunt aduersus tempestatem quam videbatur nox ingruens minari. Sudo postridiè, & aperto mane, mirantur se calu secundiori nauigasse, quàm arte industriæque potuissent, & ad ora Cuambangi consistere, portus capacis, & commodi quem duo scopuli duobus oppidis subiecti complectuntur. Hunc portum Iosephi nomine dixerunt, quod esset is dies Mattis Virginis sponso sacer, eadèmq; appellatione nobilitarunt ex oppidis alterum, à quo primum fuerant deprehensi: adsunt siquidem inde conuictum à Mandarinis viri in lembis leuibus; rogant qui? unde? quæ causa venerint? & si mercatores; cuiusmodi, cuiusve pretij merces ferant? satisfecerant rogatis Lusitani, cùm è sponda nauis Rhodius; & mihi sunt inquit, merces aliæ propriæ, quas nequaquam venales, sed gratuitas huc tuli, nihilo tamen viliores quàm animi salus, & sempiterna in cælo post mortem beatitas; securusque in idem argumentum aliquantò fusiùs dicere, attentissimum patiter, & mirabundum habuit auditorem quod tantis de rebus Tunchinensi lingua elegantissimè, homo externus loqueretur; cuius seminis grana tamen si per pauca videbimus fructa suo minimè caruisse. Hinc de præcipuis Mandarinus Comite Lusitano Regem adit, nunciaturus de appulsa nauis. Tunchinum

15.
P. Alex. Rhodius Tunchin. miss. fundater.

16.
Tunchini
Regnum, si-
tus, guber.
&c.

Rebellio in
Sinis aeterna

cuiusmodi regnum sit, quibus, illic populi moribus, legibus, reli-
gionibus, & artibus viuant, abundè opinor, ex iis patet quæ de Co-
cincina & Sinis præmissi, quorum olim pars fuere Tunchinenses; si-
quid erit peculiare Tunchino, iis locis reddam, ad quorum intelligentiam
fecerint. Hic illa tantùm breuiter indico vnde aditus fiat ad hanc
historiam clarior. Vt vox Pechin, aulam ad Septentrionem; Nan-
chin aulam ad austrum significat; sic Tunchin aulam ad Orientem si-
tam, haud quidem Sinarum comparatione, sed aliarum ab occasu mul-
tarum regionum, quæ retrò actis quondam seculis ad Sinas artino-
bant; quod enim non possent negotia confici, nisi mensium multorum
itineribus permolestis, seu Pechini forent, seu Nanchini tractanda,
(aulis regni eiusdem duabus) stabilita est aula Tunchinensis, seu iuri-
dicum tribunal ex quo causæ Occidentalium, & negotia penderent.
Diuisis autem longo temporum lapsu, ex Monarchia Sinarum, Regnis
bello partis, seque sibi suam in propriam ditionem subindè asserenti-
bus; vltimò Tunchinum rebellauit, quod rebellionem non tanta fauisset
longinquitas, octingentis ferè, quoad monumenta suggerunt, ab hinc
annis; idque repetendæ studio libertatis, tam pertinaci & deliberato,
vt Præfectorum Sinensium strage promiscua iugum excusserint; signis-
que professi manifesto aliam à Sinis originem, solutos nodo (quod ser-
uant hodièque) capillos à vertice, in humeros sparserint; calceos Sinas
pro gradu, & meritis varios, profus abiecerint, incedantque ex indè
nudis nunc etiam pedibus, quod nullo suo incommodo ita nostri vlu-
pant, plantis, aliquot post menses in callum duratis, vt iis deinòdè im-
pedimento sint calcei, aded est corpus vtramvis in partem docile. Mu-
tata, caput, & pedum velut scena, planèque Sinas à plantis ad ver-
ticem exuti nomen etiam Regno commutarunt, & Annam pro Tun-
chino dixerunt, quod australem quietem apud eos sonat. Qui verb
tunc Sinis imperabat, tranquillam segnitiam, bello anteponeus, Tun-
chinum & pacem tributo perpetuo trienni vendidit. Nisi forte melius
dixerim emisse: duplo enim Sinensi stant carius munera quæ Tunchi-
nensis muneribus rependit, & in eius legatos prodiga effundit maiesta-
te, quam Tunchinensi triennis illa cum tributo clientelæ suæ professio
Tunchinum igitur iam per se Regnum, lunam respicit à Septentrio-
ne, vnam ex quindecim Sinarum Prouinciis, cum parte aliqua Ciu-
canæ, quæ & ipsa quondam ad Tunchinum spectauit, nunc à se Re-
gnum efficit angustum, Quansienti Sinarum Prouinciæ contiguum.
Occidentem versus habet montium Moi tractus continentes; ab Austro
Cocincinam, rebellionem item ab eo scissam, & ab Oriente maris Si-
num, in quem capacibus ostiis influit ingens amnis qui urbem regiam
Checium alluit; miliaribus septem in longum porrectam; & fere to-
tidem in latum; & habitatorum millione vt scribunt confertam. Ne-
gant alij urbem esse, sed campestem aulam; habitatores, non ciues sed
aduenas; pro sua quemque libidine vel commodo mobiles, nunquam
dici

diu eisdem, demptis qui præsto sunt Regi militibus. Quod significari
 Patet Fontes refert ipso vocabulo, nec aliud esse Checium quam Mer-
 catum, ob continuas ut ait nundinas importantium multitudini tam
 immensæ vniuerso ex Regno commearus, Regi annua, & Reginis, &
 Mandacinis Rectoribus tributa, quorum alij triginta pagos, quadra-
 ginta & plures aliqui usufructuarios obtinent. Quicumque nihilo-
 minus de Checio scribunt, gratificantur illi titulum ciuitatis. Testem
 do P. Gasparem de Amaral Lusitanum datis illinc anno 1638. literis,
 non quod mea intersit vrbs an Emporium vocetur, sed quod mul-
 ta hinc scitu non inutilia discimus; atque illud imprimis quod
 ait, videri sibi Tunchinum Lusitania triplo ferè maius; sed decuplo &
 vltra frequentius. Verbes nullas habere præter Checium Regiam,
 dignam planè quæ cum amplissimis, & celeberrimis componatur,
 haud illa equidem vastitate, quam ei attribuant nonnulli, sed referre
 speciem campetris Regiæ, & hospitij castrensis, infinita vndique illam
 ambit, ducum, & militum multitudo; nec minor alia mercatorum;
 artificum alia & omnis generis, mediastinorum. At enim si (quod
 subindè fit) Præfectorum quisquam aut Regis propinquus arma & po-
 pulum in Regem mouerit, ignis ante omnia Checio subditur & spon-
 taneis suorum ciuium sic deletur flammis ut plus die vno non intersit
 inter urbem maximam, & nullam; solus nudo in Campo cum exercitu
 Rex hostem expectet, aduenis omnibus ab eo dilapsis. Rursus victo
 rebeli, & sancita pace, diebus paucissimis Checium è suis cineribus
 excitatur, & de nuda humo in urbem consurgens, multis populorum
 centenis millibus impletur. Iam situm illius prospicienter conditores
 metati sunt inter Prouincias quatuor, quæ nomen à quatuor quas spe-
 ctant mundi plagis, proprium duxerunt. Porro in forma imperij quod
 Rex apud nos, idem Bua Tunchinensibus quondam fuit, estque nunc
 etiam quoad speciem quandam supremæ potestatis, re prope vacuum.
 Tunchinum enim legitimo succedendi iure in Regem inciderat, volupta-
 ria, & turpi segnitie infamem; hoc vitam quadrupedis in Tigneia Pro-
 uincia viuente abiectis planè Regni curis; cliens eius quidam, Regnum
 eò vsque depositum, censuit esse primi occupantis, & Prouinciarum
 septem, ex numero, quatuor in illum, armavit, tam obtuso ad re-
 bellionem hanc sensu stupidum, ut ægrè Daci cuidam suo annuerit,
 militem facere, in hostem ducere, & captas Prouincias illi extorque-
 re, quod secundo Marte à Duce præstitum, cum inertem Buam & væ-
 cordem à propudiosa ignauia & Regni neglectu minimè dimoueret,
 qui ne tympani quidem sono interturbari sibi somnos per omne id bel-
 lum tolerat; Ciua hoc est summus militiae Præfectus, ut erat arma-
 tus, administrandum Regnum sibi asseruit; tenetque hoc etiam æuo
 idem vno in regno, duorum Regum, Officiorumque Buz & Ciua col-
 legium; representante altero Regis vmbra, & nomen, altero reipsa
 regnante; paucis tantumisque sterilibus, Buz permissis regni notis, &
 dispensa

17.
Initia operi
ab Rege pti-
mo die anni.

dispensatione honoris vacui, titulorum splendore illusi. Prima statim à Luna (quæ vti & Sinis Februarij quinto est propior, quò solstitium hibernū ab æquinoctio, hiemem à vere diuidunt) prodiit Bua sua è Regia (quæ vulgo Dan dicitur) comitatus innumerabilis superbo apparatu; Ciua ipso, procedentis latus, in cultu regifico tegente, præcedit militia omnis, cum Literario Magistratu, nobilitate, ac populo longis ordinibus; portatur, extrâque supra omnium capita suo in throno Bua, ea quam gereret simulachrum viuens tumidas maiestate. Exitur extra frequentiam ædiam in campum ceterimonix tantæ sacrum illic riu solenni cælo, & terræ Bua sacrificat; indè stiuamprehendit ornatissimi aratri, & iunctos illi boues, stimulo incitat, ductoque passum aliquot, breui sulco, in palatium suum reportatur, quo eius hortata tacito, rustica vbique omnes opera repetunt, agrôsque ad frugem excitant per hiemem desides, & à ligone ac vomere otiosos. De Sinarum exemplo veteri morem hunc annum retinent Tunchinenses, nec illum suis sepulti palatiis Sinarum Reges non obeant, nisi quo die inaugurantur corona imperij, sed habent aliquid in eo quam Tunchinenses illustrius. Sinarum Rex ipsemet agellum arat, & seminat Mandarini interea partem operæ, certatim, & sedulo inuicem præcipientibus, frangenda gleba, coæquandis sulcis, occanda semente, & sepelienda, cuius deindè in falcem, & trituram maturæ, purgata grana Regi offeruntur, velut eius laboris fructus, & pretium. Imperatrix quoque in agello eodem quem vetuit agricola maritus ad morum accedit, decerpitque ex ea ramis, quarit in iis folia nondum nata, quæ sapienter arbor nisi-fera non mittit. Vtque suo illo exemplo Rex viros, ad exercendos agros vocat, sic & feminas Imperatrix ad bombicum & sericæ curam, quo Regni eius locupletissimi præcipua opulencia fulcitur. Præter hanc Bua honorarij muneris functionem, Regem item Sinarum in eo æmulatur, quod ab eius in regnum aditu, nouus incipit toto regno annorum cardo, qui eius morte cum eo interit, alijsque ab eius successore duci ordo annorum incipit. Nomen præterea omisso veteri nouum sumit, longa aruolorum & Literatorum indagatione idcirco lectum, quod pendere ex eo maximè faustitatem publicam somniet, cogantque illum, si sterilitas aut pestis annum vexauerit, ominatum nomen, ominato mutare. Ad hæc Literarios confert gradus, & bi-
mense quouis, redeunte, & integra Luna, obsequiosis illis proclinationibus honoratur, eiusque nomine legati, ad Regem Sinarum cum tributo, triennis singulis mittuntur. Sed hinc tacito illo, vt quædam rem nostram perparum faciat; Ciuam deinceps Regem vocabimus, estque is omnino Tunchini Rex, & ductum à maioribus Regiæ dignitatis, potestatisque ius transmittit in filios. Quanta verò sit eius potentia fortassis hic non persuafero, sua est enim quibusque imperijs præuati & publici ratio, vtque illos ridemus cum sibi nostras regiones egenas & steriles; habitatores incultos, & aggresses fingant, sic ij non

18.
Bua Tunchi-
ni Rex in-
nis Ciua Rex
verus.

merito riserint, si fingere libeat, illos politica, militari, nautica, ceterisque ingenij & prudentiæ artibus, & dotibus cassos, nihil habere cum nostratibus conferendum, in hoc potissimum Annami Regno, quod rebellione regni nomen & decus maluit emere, quam Sinarum partem sextam & decimam facere. Iam Tonchini Rex Cocincina regnum ab austro cum habeat, ab aquilone Regnum Ciucani, vtrumque hostile, & viuacibus odiis mutui perduellionis semper ardens; nihil mirum si semper in armis teneat bellatorum millia quinquaginta, in regni præsidium; nullo præsertim suo ære, sed Prouinciarum quatuor pensitatione, qua illarum olim, de qua nuper, multata rebellio, emaciata est, ne in Regem denuo lasciuiret, & Rex confinibus euasit formidandus. Præter hæc, mari Tunchinum imminens, & magnis peruium annibus, instruxit necessitas armamentario nauali copiosissimo aduersus subitas irruptiones Piratarum; sed vnus tantum ad scalmum quemlibet remigis, vnde illorum naues (scribant licet quod volent quibus aliud placet) nostratibus ferè sunt dimidio minores, quod testatur, qui trecentas simul coram recensuit. Verùm iis nihil elegantius, intusque, ac foris, auri, & colorum varietate ornatus; rostro potissimum, quod Præfecti conclauæ ac sedes est. Hinc ille si ad manus venit frontem occupat pugnae, nec suorum se tegit corporibus, sed armis illos, & pectore velut clypeo tuetur, & præsentem exemplo non semota voce, pugnandi modum, furorémque illis dictat. Sic sua illic deprædicant. Præstant aliis triremes quæ Prætoriam stipant firmitate, ac mole; cultus verò magnificentia, tam compta, vt scribat, qui hoc anno præsens viginti quatuor numerauit, velis ætas fuisse ex tenuissima carbaso, manu phrygia pictis, & filo commissis purpureo. Naucleræ certè nusquam alibi maior habilitiorque peritia; ars enim illis est remigatio non pœna, & in multitudine triremium tam densa, valet mirum quantum, exemplum, & æmulatio, & triaræ remo perpetuo manus; aurèsq; baccillis assuetæ, quorum concussa ceterarum, remigationem, vt sibilo, apud nos regunt. Sed eam artem nihil æquè promouet, vt honor quaestuosissimus remigum Regiorum, in quem euehantur qui sunt in ea eximij. Vbi enim cum hoste confligendum, suspensio rema corripunt; vbi fugiendum, aut fugientibus instandum, repente ad scalmos reuolant, nec versi ad puppim, remis ad pectus adductis nauigant, sed proram versus rostrum perpetuo subigunt. Res sacra & publica à Sinenfi vix differt, suas habet Tunchinum sectas, Literatorum Magistro Confusio; idola colentium sub Xaca, magorum, & veneficorum sub dæmone, habent enim hi suos quoque seorsum cœtus. Gubernatio civilis in Prouinciis digesta, subiectas Prouinciis regiones, ditiones regionibus, ditionibus pagos, ita regit vt suus nulli loco desit proprius Mandarinus: apta verò gradatim tribunalia singulorum ad Prouinciæ Præsidem referantur. Emuntur ij Magistratu studiorum sudore, prærogatiua ingenij & sciens-

T r t.

19.
Milicia Tū-
ch. potens.

20.
Remigatio
Tunc ars est
honorifica
non pœna.

tiæ merito, stas (vt apud Sinas) examinibus perspectæ, ab imo Lectoreorum subfello ad summum apicem Doctorum, quo nullus superior, & fructuosior est gradus. Quæ particulatim de Tunchino ad nostra spectabunt, ea passim cum his narrabimus.

Dies abierant quindecim, ex quo Mandarinus, Comite Lusitano de appulsu nauis ad Regem pertulerant; quod etsi perbreue ad magna spatium, magnis conatibus Apostolici spiritus in conuersionem ethnicorum Rhodius occupauit, cui profecto vni post Deum integrè accepto ferenda sunt, quæcumque narrauerò de fundatione illius Christianitatis, ad quam Mendesium quanquam Rhodio Præfectus & socius, sed linguæ ignarus iuuare nihil potuit. Die Veneris sancto Aprilis secundo crucem statuit præcelsam, in montis vertice, vndequaue abrupti, litorisque proximè incumbentis, oportunitate situs procul omni ex parte spectabilem; vidit illam Rex ipse dum præteruehitur cum classe adinuadendam Cocincinam infeliciter comparata, didicitque magna voluptate, Christianorum signum esse, Lusitanis tam venerabile, vt proptas illuc hilariter verterent vbicumque illud conspicuum cernerent. Quâ motus persuasione, alter à primo Mandarinus qui pago præerat quem S. Iosephi de nomine dixerant, non solum Rhodio concessit facultatem eius erigendi, sed trabem etiam dono dedit ferri duritie, ad eam fabricandam in ea verò attollenda pompæ summam constituit Christianorum præsentia, speciménque non fictum veræ pietatis. Tulere illam mutatis vicibus in montem alij, secuti sunt supplicantiæ ordine reliqui; omnes in editissimo verticis post sacras aliquot depectam, & firmatam preces, crebro facie in terram proiecta religiose adorarunt, exiguum illud quod in eius cultum factitabant, consociantes obsequiis quibus tunc orbis Christianus Christum colebat patientem: crucem hanc Rhodius pro templo reliquit Neophytis, monens, præ ad illam peregrinarentur, præcelsque ad eam conuersi funderent, quod suo in pago promererentur ædem sacram. Adest postridie ab Rege Eunuchus, qui cum Lusitanis, & mercibus Patres, in aulam ducat. Dies erat Christo resurgenti sacer, cum se mari dedere, & inter scopulos & syrtes itinere bidui, fauces subière ingentis fluuij, emensque per aduersum amnem sex milliaria, prope Regiam consistere. Strabat in procinctu Rex cum classe aduersus sobrinum, vt Cocincinæ regno illum exueret, vindicaretque sibi iusta clientelaria, quæ is per aliquot annos detrectarat: classẽ gradu lento sequebatur terrestri exercitus ducentis potens elephantis, pugnam apprimè doctis, & ad pertrumpendos, dispuluerandosque ordines quantacumque vi ac numero firmatos, tunc verò machinas, & tormenta portantibus, pugnantorum millia centum, & viginti dicebantur ambos exercitus consistere, præter nauticæ turbæ, calonum, omnisque generis ac frugis seruatorum totidem millia. Naualem exercitum trecentarum, & vltra tritremium fuisse scribit Marchesius, (cui oculo, & prudenti, quàm alteri totius suscribo) quanquam eas subinde nauigia & phaselos vocat, quod

21.
Appulsus
Rhod. in
Tunch. crucis
erectio.

22.
Pompa Regie
classis
quasi nauticæ
titanum.

significationem vocabuli, molis amplitudine non æquarent; earum vexilla numero, picturis, auróque fulgentia; remigum pileus elegantissimæ venustatis, vestiaria tessera splendida, Reginam denique ad sponsum iurasses; non Regem in hostes vehere. Pone classem trecentum nauigia, (quingenta numerant alij) vrbicas Regis ferebant sarcinas, & feminarium onus, & impedimenta omnis generis tam multa vt videretur aulam Rex cum tota regia secum aliò transferre. Incessus tamen ordo ex arte digestas probèque consultus, antecibat velitum acies, post hanc media & robur exercitus, in quo Rex triremibus septus viginti-quatuor, omnium optimis, & munitissimis: claudebat agmen postrema acies, cum impedimentis, comiteatu & sarcinis procedebantque naues in versum quinæ: tam æquatis ad remum frontibus, vt rostrum alterius, palmo altera non præteret. Hic de Patrum aduentu, & Lusitanorum Rex monitus, duabus accitos triremibus, è sua Prætoria, conspectu salutauit, laudauit præstitam superioris anni fidem, de suo reddito; opratos sibi & gratos adesse confirmauit; ventum ad dona quibus nunquam fas est in accessu ad Regem parcere. Visâque sunt parum expectationi respondisse quæ ad illum miserant Macaenses, leui solum aspectu illa dignatus est; vertitque mox oculos ad ea quæ Patres attulerant, horologium rotatum, & arenarium, quæ illi nouitas vtriusque, & improuisus alterius sonus, fecit aliquantò gratiores; exin sequi se iussit Lusitanis, & Patribus, secundo flamine in mare subijt, octauoque post die, ad Timphæ radices substitit; vnius ex eius arcibus in Prouincia Tignoâ. Inde montem conscendit præruptum ad sacrificandum simulachro, quod in eius supercilio colebatur, vt emereret ab eo, eiusque vnâ Sacerdote ac templi Custode Bonzio (Tunchinensium lingua Saio) opinione omnium viro sancto, præceptam animo, de hoste victoriam, quæ ipsi præpostero Bonzij & idoli miraculo contigit, in hunc modum vt illac probrosè delusus remitteretur iter, vtraque ex acie terrestri, & nauali triremes, & milites reducens quibus nihil ad pugnam præter animum: dum factis tam bellè ac litato perfunctus terrestrem exercitum triduo præstolatur, venere in mentem Lusitani, de illorum requiritat mercibus, & præflorat quæcumque gratius in iis oculis morabantur, non tanquam venalia sed sua; nulla pretij mentione. Inter eadem illas moras, inexpectata superuenit à Lai Rege confini legatio, (etsi regno vtrique interiacet, longè vastissima soli emortui solitudo) inter alia dona, elephantés duos in præsentem belli mitrebat vsum, mole ac viribus insignes & ad omnem pugnae disciplinam eruditissimos. Placuit Regi probare quid possent. Sed alter mutato in decretorium ludicro extra campum erumpit qui ad batuendum descriptus bestiis fuerat, & barritu immani exterrens vniuersos, qua confertissimi spectabant illuc impetum facit cunctisque tumultuario hac illac dissilientibus, duos timor præpropetus & cæcus ex crepidine in qua stabant egit in subiecta præcipites vbi pro mortuis relictis iacuerunt.

T. I. I. 2.

241
Aditus Rhodij ad Regem Tunchi.

24.
Caritas
Christi. quã
ti sic ad con-
uers. eth.

Soli ad eos accurrunt Patres, vel ope aliqua iuuandos si adhuc spirarent; vel humo condendos, si obissent. Errare in iis aliquod vitæ residuum conspicati, admoris remediis sic breui excitant, vt regredere-
tur suis pedibus ad suos; iterque toto exercitu rumor, fuisse à Patri-
bus in vitam reuocatos; sed ambigeretur, an aliquo præpotentis reme-
dij arcano, an prodigio sanctitatis. Risere Patres errorem gregarium,
negaruntque fuisse mortuos; sed hæsit nihilominus magna vulgo de
illis existimatio, quod abiectis palam & miseris, nihilque ad se omni-
nò spectantibus benignè succurrissent; & modestè ab se ac fortiter ab-
iudicarent laudem ex communi errore, quam procliuiter Bonzij vel
suo aliquo sanguine licuissent. Nec Regem latuit rei summa & modus;
nostros & ipse laudauit plurimum, & vocatis ad se id vltro detulit, quod
nisi timidè ausuri non erant ex eo petere, nimirum, vt quamdin, &
vbiuis malleat, in regno suo incolæ degerent. Repetito hinc mari, vt
Chenum deuenit, aut urbem aut oppidum, Lusitanos illic & Patres
moratus est, tantisper aiebat, dum Cocincinam recipio, quod suo ad-
uentu spondebat sibi haud fore ferius; Eunucho interea illorum cu-
ram humaniter iniunxit, quam ille semivir, & semibestia ita gessit, vt
esset eius barbaries etiam approbanda ne deterius sæuiter, & narraui-
bus Lusitanis de comitate Regum ac Principum, quorum portus subibant,
sannas ore ac lingua reponeret, aiens omnes præ suo Domino ac
Rege, lutum esse ac luto viliores. Fabricauit illis extra oppidum ca-
sas rudi ascia, fabrisque agrestibus. Suam Patribus seorsim assignauit,
quam mediis tabulis in vsum domesticum, & sacrum partiti sunt; ac
partem quidem habitationi seruatam excoluere eo vsque ne sub dio cu-
barent. Alteram, vt potuit, in sacellum ornatam, altari posito consecra-
runt, ac ne præteriretur velut ignota, & profana, cruce in aditu erecta signa-
runt, cuius moti aspectu & fama ciues tanquã rei nouæ frequentes adesse
& interrogare illius causam, & arcanum. Præsto esse iis Rhodius huius
quauis; prospectantibus item foris verecundè, inferre se perhumaniter,
explicandòque crucis & redemptionis mysterio, curiositatem populæ
externis beneuoli, beneuolè semper & affabiliter, ac salubriter palce-
re. Capturæ nunquam expertis abibat piscatio; ex qua inter primos ceteræ
in prædam qui longissimè omnium abesse videbantur. Saij quidam seu
Bonzij, qui ad expiandas ædes suas igni, ab omni artium magicarum &
idolorum superleçtili Rhodium ad se perduxere, quibus ille in rogam
congestis, religiosè Vero Deo litauit; prorsus tamen tum istos, tum
alios, etiam feminas vehementius permoit senex annorum quinque
supra octoginta Deorum antistes, Xachæ defensor acerrimus, & do-
ctrinis Sinarum omnibus affatim vaporatus. Vna illi cum anu coniuge
penit summa sacrificando, suffiendo, laudandis rogandisque idolis,
quorum templo ad muros oppidi hærebat noctes diebus solidis addere.
Hunc sua ipsius curiositate diuina bonitas irretiuit; auens crucem ve-
dere, crucisque mysteria ex Rhodio discere, tam ardentem iis animum
præbuit.

25.
Contest
eximia à
Rhodio fa-
ctæ.

præbuit, ut una obstatet decrepita ætas quominus vicina omnia pari secum ardore incenderet. Ioachinus in nominalibus dictus est; nullum ad ethnicos Christo expugnandos argumentum illi fortius militavit quam quod foret ipsemet expugnatus. Natu scilicet grandem & fato proximum, omnium propè conscium sectarum, idololatriæ reconditoris Theologum, & Theologis Magistrum, haud vlla profectò seu Veri ac certi ignoratione, seu quæstus & commodi studio idola execratum, legem peregrinam, & ab inope allatam peregrino repente adamasse, sed quod salus animi æterna tantum pretio distabat ab idolorum servitute, quantum ab inferis beatorum in cælo felicitas, & hæc mente à se perspicui clariùs, quam ipse oculis, præsens ab iis cerneretur. Hoc Senis exemplo, & hortatu ad audiendum Patrem, cœpit Christianorum numero, domus nostræ pars esse angustior, quam transformarent Patres in sacram ædiculam, sed iis dolentibus hac loci incommoditate, aream donavit Ioachinus suæ contiguam domui in qua breui templum, & amplius, & durabilius excitavere Christiani, quod mense Maio die sanctæ Crucis inauguratum est primo sacro. Solenniis cum interfuisset admiranda ethnicorum turba, commodum incidit ut Christianæ caritatis, pretiosissimum specimen iis præberetur. Vidit Christianus militem egenum, ægrotum, abiectum in publico, morbo & fame, vltima spirantem, est enim cunctis Sinarum populis commune portentum, summa erga defunctos pietas cum summa & detestabili crudelitate in ægrotos; curationis molestias sumptuose pertæsi, aut metu exterriti, ne illorum post mortem animæ offensione aliqua irata redeant, & domum spectris, ac strepitu infestent, illos etsi cognatos, foras quolibet exportant haud aliter quam canes mortuos, nec lamentabilis eorum clamor, & gemitus prætereuntes ad aliud movet nisi ut quam citissimè ab iis fugiant. Sed enim miseri vicem dolens, animæ præsertim exitium, rogat Christianus, velitne Christo nomen dare, hoc est in filium à cæli Domino adoptari, & ab ærumnosa, fugacique hac vita transire in beatam verèque immortalem. Cui moribundus, (omnino ex iis quos propitio lumine æterna clementia sibi designarat.) Ah! quam, ait, libenter, & cupidè. Sed quam citissimè, te oro. Mox, infert Christianus, & cursu Rhodium accersit, aliosque cum illo Christianos; circumstare properi miserum, deportare in ædes unius illorum, lecto, & cardiaco, paulum respirantem cibo recreare, sedulitate tam alacri ut si suum quisque curaret fratrem. Attensus animæ Rhodius festinare illi necessariam Catechesim, statimque urgente periculo baptismum conferre; post quem inuocato cæli Domino; & animæ exitu Redemptori piè commendato, vivere desit. Visum hic Patribus, subducta in turum anima funus eo paratu instruire ut eliderentur calumniæ quas non dubitabant ve olim in Sinis & in Cocincina sic in Tonchino tunc spargendas à Bonziis de impietate Christianorum in defunctos, ad hoc pro-na iis fuit in decus fidei sacrosanctæ, pietas Lusitana. Supplicantium

ordo instruitur, cui crucem in hasta nudo capite præferebat, seu nautæ Præfectus, seu maximè omnium cultus splendore spectabilis; sequebantur tres cultu non dispari cum tabulis totidem, Christi Seruatoris, & Matris Virginis, quarum intendendis, exornandisque consopis, elegantissima serica, torques aurei, margaritæ, & quicquid erat in nautæ pulcherrimum, data opera selectum fuerat: Neophytorum primarij decem, vexilla gestabant ex serico, ad ritus ethnici pudorem, qui cartacea adhibuit Bonziorum chimeris, rudi colore deformata. Cingebant hi decem Sarcophagum succollantibus oneri quatuor honestissimis Lusitanis: pone duo habitu non planè laico, lustralem vrceolum ministrabant, & librum ritualem. Postremò Patres in castula, & sacerdotali stola. Omnium verò tum Neophytorum tum Lusitanorum cum accensis in manu funalibus, & precatoriis de collo coronis ea fuit incessus & modestiæ grauitas, vt numerosissimum populum, sola teneret admiratio & reuerentia, cætera mirum mutumque silentium. Posita demùm sandapyla, postque solitas preces, & cerimonias tumulo condita, verba Rhodius fecit ad promiscuam concionem de felicitate militis infelicis, & Christianorum sempiterna, quam cruciatibus ignem aptè opposuit quos essent ethnici absque vlllo sine apud inferos passuri. Excepit in præsens concionem & parentalia militis multorum conuersio, sed efficacius nationis illius inflexit animos ad Christum, illa in militem tam sincera Patrum, & integra caritas, vt nullius in eo meriti potuisset habere rationem, nisi quod Christianus obiisset. Iactabat ubique magnificè laus tanti operis; ipsa quæ aderat Regis seros, facti mirabilis perstricta nouitate, causam ex Rhodio intelligere voluit, & quæsiuit ex eo cuius accepti speratiue lucri merces esset impensa egenti, & ab suis proiecto, benignitas, & honorificus parentalium instructus: ad rogata, hoc paucis Rhodius ab egeno planeque ignoto, nihil beneficij potuisse erga ignotos proficisci; multo minùs à mortuo, quin ne vlllo quidem ab alio mortali se temporarium quicquam expectare; legem quam docebat dignioribus in cælo præmiis auctoratam, dedignari omnia infima, nec velle sibi mercede alia quam cælo, seruaram pensari alienæ animæ salutem, misericordiam cum esse cæperit venalis, mercimonium fieri, & deficere à virtute. Tum extra quæsitæ feminæ Principis assurgens, dixit de animæ pretio à cæli Domino creatæ, & cum eo victura beatam in cælo, & immortalem vitam, intulitque illius animam gregarij peditis tanti sibi esse, vt milliarium quindecim millium superatum, & enauigatum mare, pulchrè sibi censeret eius vnus repetitum lucri, etsi venerat ad beatitatem omnibus commonstrandam, qui eius ignoratione, ibant præcipites in miserias sine ac modo æternam carituras. Fleuit hic mulier; stolidi! quæ suæ haud magis animæ miserta quam si nullam haberet, dedit illas marito mortuo lacrimas, & sciscitata est ex Parte num quo valeret solatio vel auxilio leuari. Satisfecit.

tisfecit Pater condicione hominum explicata, omnes dum viuerent in stadio esse, ad felicitatem currere aut ignes perpetuos; posse hic errantes in viam reduci, confecto stadio, currendi spatium, fortemque cessare, quacumque illis esset meta, gloriosa, & felix vel cruciabilis, & horrenda aeternam fore. Quæ vox miro destinationis ad salutem anticipatæ documento, principem feminam nihil mouit; honorariam ex familiaribus comitem mutauit penitus, fecitque exinde deliberato proposito Christianam, eruditur, lustratur, Monicæ signatur appellatione, subsequas secum constantis exempli multas trahit, eodem in illas hoc argumento vsa quo ingeniosè ac solidè apud se digesto conuicta fuerat: non potest, aiebat, peregrinus hic non esse verax, in omnibus quæ docet, nec tot periculis spectasse aliud præter animi salutem quam nobis afferebat, dicturus alioqui Dominæ Principi, se virum illius ab inferis in beatorum transcripturum sedes, & promeriturns apud illam hac vna voce quantum honorum, opumque optasset, si eorum ambitu teneretur; nec asserenti se illum cælo vindicasse negari fides, & merces posset, cum vitæ alterius arcana sub nostros oculos non cadant. At is disertè professus est, Dominæ Principis, re nulla posse maritum iuari esseque illius salutem vndique desperatam; verax igitur æquè sit oportet, dum nobis hoc idem ingerit, & inculcat; & si ex veris certisque affirmat, patere omnibus liberum, ad beatam vitam, & supplitia aeterna iter, fixum mihi est ducentem sequi, & cum eo seruari, quod etiam extemplo præstitit. Nec minus isto improuisus, anus decerpitæ accessus ad Christi gratiam contigit, moxque vt spes est ad gloriam transitus, Socrus erat viduæ Principis, quæ salutantem se Rhodium in discessu, (dubio procul instincta cœlitus) rogauit illam vt viseret, quam norat scilicet à salute alienissimam morti: proximam offendit Rhodius præsentis, & aeternæ; sed misericordi destinari baptismi expectatione in viuis teneri, festinato docetur de beata, & immortalis vita, eiusque auctore, & reparatore Christo Iesu; post execrationem idolorum solennem, tingitur, sub Annæ appellatione, pauloque post, morte, iam non dolenda extinguitur. Augebat quotidie Rhodius suum gregem tam crebris accessionibus nobilium etiam, & Literatorum, vt rerum suarum decessui, tandemque exitio cauendum, inter se statuerent Bonziji. Fuit eorum consilij hæc summa: traducendam ludibrio, & probro doctrinam Patrum, reuincendos celebri disputatione, atterendosque adeo ignominiosè vt pudotis impatientia fugerent, vel silerent; incumbere hic tam præfidens, & arrogans tumor silicennio cuidam inter eos diuino, suffarcinato doctrinis omnibus tam abundè, vt exundarent in longè plurimas, tanquam loquacissimi oraculi lueubrationes. Multis apud illum precibus actum est, ne vellet negare Patribus hunc honorem vt eius dextra occumberent, & quo esset victoria clatior frequens vndequaue aduocatur, & accurrit spectator. Mittitur ad Patres prouocator; dies domi eorum dicitur. Præstolarentur

stolarentur illic Bonzios acerrima dimicatione rationem ab iis expressuros tūc falsitatis impactæ Bonziis, tūc arrogatæ soli Christianorum legi veritatis. Lectus pugnae Dux, magnanimus Bonzios, eloquij nimium artisque conscius cuius tam multos in arenam titeney lanista vetus produserat; in omnes tamen casus, scripto se munit laciniolo, & inepto quod ex sacrilegis in Deum vocibus, & vituperatione legis Christianæ, Patrumque scdissima contexuerat, eo sinum armatus, adest domi nostræ cum suis dicto die, vbi expectabatur à Patribus, & paucis Christianis. Ad mensam confederat obuertus Rhodius ad alteram sedenti, cum nutu eius sistit se medium ex sequacibus eius vnus, & sacco quem tulerat reuerenter soluto, fascem illi squalidum annosa illuue chartatum, in mensam effundit, quas ipse silens explicabat euoluebátque sigillatim, velut emerita doctrinae suæ monumenta, quibus cum magnoperè gestire, & applaudere videntur astantes ethnici; iubet Rhodius vicissim Catechistam profere sacros & Sacerdotales libros, quorum ornatus pulcherrimus, & arte quæritus præcipua, illaque concinnitas minutissimorum characterum, statim omnium aduertit, & perstrinxit oculos, etiam Bonziorum (illic elegantia codicum, cui Sinæ nihil habent affine, de excellentia doctrinae quam continent magnificè, officiosèque præiudicat) ipsemet Bonzios pugnae Dux, hærebat, pergebátque in suo silentio, cum pronocatoris personam induens Rhodius, idolorum cultum suis cæpit vexare argumentis. Ad quem senex superbè vel campum furo superbiae declinans, quis enim tu, ait, quem responso digner? nec ab se aliud exuendi passus est. Ergo inquit Pater, aut age, & dic; ego te tacitus audiam. Aut sile, & audi dum dicam, vt quid enim huc frustra conuenimus? nihilque Senis responsum moratus, sequebatur, vt instituerat, idolomaniam dicendo damnare, cum is dicentem interpellat, productamque de sinu compositionem quam dixi sacrilegam erectus in pedes magna cæpit voce intonare, cuius exordium cum esset Deo contumeliosum, vociferans & ipse Rhodius valenter inhibuit, aiens ab se domi admissum hominem de Deo acturum, non autem dæmonem, maledica declamatione insultaturum eius maiestati. Stimulare hic Bonzium sequaces, iret quæ cæperat, quod cernerent Rhodio agrè esse; minari e contrario Christiani sacrilego, si vlrerius tenderet; eratque res etiam extra verba in aliquid grauis exitura, nisi casu felici domum ex intima Regis familiaribus intrasset Eunuchus; eius metu dilabi Bonzij; abscondi causam diuersam obrendere; submisso interim murmure nullitate, occasionem minimè defuturam, disputatione obita meliorem. Et hanc ipsi occasionem repentè cadunt, oppidi Præfectum adeunt, & tam nefariis atque inauditis, vt sunt prorsus effrontes in calumniando, legem onerant Christianam, eiusque Præceptores, vt causam indefensam, iudicetam, incognitam, decreto barbaro damnarit quod hæc forma concepitum, per acceleratos præconum cantus, regionibus oppidi singulis

16.
Disput. cum
Bonz.

certa pœna edixit. [Patres homines esse malos ; doctrinam eorum similiter malam , proin illos & adiret nemo , & domum ad se nemo accerferet.] Quod ubi Monica , illa fororis Regis honoraria , rumore primùm , post certo nuntio accepit , indignitate iniuriæ in Christum , sic exarsit ut ægrè temperaret ab adeundo Præfecto imprudenti , & obiurganda per se illius præcipitantia , iisdem verbis quibus eius Ministrum increpavit ; cui coram ipsamet ad fores palatii vocato , fustes minata est , si verba impia edicti non esset veritus iterare. Nam vnde nobis aiebat hic de Præfecto Rex novus Rege superior , & maior , qui consuetudine civium eos interdicat , quibus illam Rex iussit esse liberam & communem ; quid autem is potest de illorum doctrina nosse , cuius ne verbum quidem audiuit vnquam ? recitatisque sub hæc voce clara decem legis diuinæ sententiis , si sunt inquit , illæ merito culpandæ , & proscriptioni obnoxia , sistat huc se Præfectus , & totidem proferat , de opposito illis suo dogmate æquales. Hæc præco , & qui audierant viri graues , cum renunciassent Præfecto Mandarinò , grande hinc sibi à potentissima femina instare periculum metuens edicti præcones dicto citius omnes reuocare ; rem factam pro infecta in vulgus spargere ; dissimulans Rhodius quicquid contigerat , priuatam institutionem publica mutare , & ante templi fores concionari quotidie , de vitæ post mortem æternis pœnis , & præmiis ; Christoque Salvatore cuius vnus clementia , illæ vitarentur , hæc obtinerentur.

Hæc dum gerantur è Cocincina Rex , quam confidentia præcoci iam deporauerat , infelices exercitus , reducit , inglorius ipse , & lucro deputans minimè spernendo , quod præter depressas aliquot trirèmes , & ter mille circiter militum , iacturam aliam non fecisset. Mea quidem nihil refert rei series , & modus ; sed redibat irarum in Lusitanos plenus , quos fama didicerat auxilio hostibus contra se fuisse , et si alij scribunt simulatè id factum ; insolescebant præterea etiam in Tunchino & eorum mancipia & serui indignis modis habebant indigenas , sanctitatèque nominis Christiani apud illos maximè deterebant. His Patres magnoperè anxij , qua fronte Rex visurus esset adeuntes , quòve erga se rediret animo hærebant , & an rescisurus incolendi regni quam iis concesserat facultatem. Sed qualiscumque erga Lusitanos , beneuolum in Patres seruauit animum quem adeunti se Rhodio declarauit , dignatus præsentem eiusque manusculum incredibili comitate. Erat manusculum de Sphæra liber , ab vno ex nostris apud Sinas , lingua editus Sinensi ; iussit illum ad se in Prætoriam scandere , sibi que proximè , & familiariter assidere , & horas duas , tametsi nox erat , de Sphæra , & cœli ordine , motuque stellarum dicere. Quæ cum appositè interpungeret Pater , de Creatore , & cœli Domino , Præfectum custodiæ Regiæ , Christo lucrifecit , aliòsque noræ primatiæ nonnullos , nec ita multo post ; Christiano lauacro expiauit. Visendi obsequia seinceps Rhodius apud Regem crebrius ite-

V u.

27.
Expedi-
tio
Regis Tun-
chin. in fau-
ita in Lusit.

tauit, magna semper illius affabilitate, quoad Lusitanis post macras nundinas Meacum proximè recessuris, vidit fortè Rex è sua Prætoria Patres, (agebatur dies Præcurfori Baptistæ sacer) & vocatis ad se, ex Rhodio intelligere voluit minutatim, artificium, vsum, & regimen horarj rotati quibus tantoperè captus est, vt vltro, nihil minùs cogitanti benignè detulerit, quod nemo ex illo tentasset petere; secum in Regiam veniret, vnúmque, aut alterum annum in ea traduceret. Cui Pater, actis Deo Regum Regi, tacite gratiis; prolixè professus est tantum sibi esse tanto Principi seruire, etiam si per omnem vitam, vt nihil sibi putaret posse in vita gratiùs, maiusvè contingere. At enim, subdit Rex, an etiam soli? linguam siquidem solus habebat promptam, Externus & solus, inquit Rhodius, dupliciter solus est, nec potest non tristis, & mœstus viuere; hic mihi, Marchesium indicans, & Præsul, & Pater, & natu grandior; idem socius est. Regi placuit responsum, & suis vtrumque adscripsit. Fausto illi trepidationis ambiguae eventu alacres, vela facturos salutant Lusitanos, dântque per illos Macaam literas, de concessa sibi Regis beneficio statione, & regno tam docili, & præstanti diuinis legibus imbuendo. Explicanti iam vela in altum Præfecto adstitit ab Rege nuucius epistolam ferens qua Inspectori nostrorum Andrææ Palmerio, decentes agebat gratias Alexandri Rhodij viri magni, in Tunchinum missi; quæ fuit honoris erga illum, plane immodici, rara in paucis significatio, præterquam quod enim, profusus aliud nihil epistolæ inerat, non satis decere censuerat, si eam in catta (vt consueuerat ad insignes viros) auro, & pigmentis mirabiliter exculpta scriberet; in argentea bractea presso scripta erat, aut sculpto caractere, quæ in se molliter conuoluta, serico tegebatur. Hanc Palmerius à prædonibus Hainan redemit, ad quam nauis allisæ quicquid mare non hauserat, ipsi rapuerant. In discessu cum Rege ducentos Rhodius ex variis oppidis Tignoæ Prouinciæ reliquit Christianos motu vtriusque comploratione, dolentium se ab eo desereri, & grauissime ferentis quod cogeretur eos deserere, pollicentisque illorum se fore memorem, curaturumque se illis aliquem suo loco si prohiberetur ad eos regredi, commisit interea nonnullis, institutione, virtute, ac iudicio maturioribus, fouendam illorum promouendamque pietatem præscriptis sibi ab ipso præfidiis. Die Iulij altero anni vigesimi septimi Tunchini Metropolitim, Chesium regiam, cum Rege & exercitibus attingere, vbi nobilis ethnicus Mauraj vocabulo, partem iis sui palatij habitandam liberaliter indulxit, in hac ædi faciæ elegerunt locam, parabat altare rei sacræ ipsemet Mauraius, & concionibus Rhodij semper intererat, quam eius indolis bonitatem remunerata est diuina munificentiâ vxoris Agathæ, filiorum, seruorum, tandemque ipse ad Deum accessu, paucis enim quàm obiret horis, decennio post, baptismo lustra, us vitam clausit. Hoc portò nostris in aulam aduentu occurrit aduertere prodigiosum morem, ex quo facilè conficiebatur, fuisse quondam

28.
Rex Tunch.
conc. Rhodio
in regia
degeret.

29.
Ethnici char.
rit. remuner.
diuin.

quondam Christi fidem ei regno illatam, si motus illius deprehendi origo potuisset. Pueri summa frons signata cernebatur Cruce nigra ritè sciteque conformata, sed diu sapius scitanti & requiritanti Rhodio ex matribus ethnicis, cuius esset hæc nota? quod eius arcantum? quis auctor, cui bono pueris vel conciliando, vel auerruncando ab iis malo? vnum tulit ab omnibus responsum. Hunc esse inter alios constantem Regni usum; transmitti à Patribus, perpetuarique in filios; ortus eius natali extate memoriam, peregrinus an indigena hunc instituisset, hoc item ignorari; magno antiquitatis eius argumento. Cæterum quicquid vel indicaretur, vel occultaretur eo signo, id certè efficit, cuius causa nunquam fas esset illud omittere, imprimendam esse necessariò illa nota puerorum frontem, priusquam sinerentur extra domum deferri. Eius enim adspèctu defigi dæmones motu cassos arcerique prorsus ab eorum accessu; malefactorum vero cantiones ne quid iis nocerent enervari; persuaderi denique hoc eius duplici, & constanti fructu rem esse maximè salutarem. Ego certè ex Sinis in Tunchinum perlatam conicio, dum esset Tunchinum Sinarum Prouincia apud quos vt diximus, florebat tunc Crucis, & Christi gloria.

Cæpta per innumerabilem populum vulgari fama inaudita de nouo Deo, nouo paradiso, nouis inferis lege noua doctrina, quam peregrinus Saius seu Bonzius ab vsque vltimo aduectam occidente, deprædicabat palam; omnis generis mortales etiam feminas, nouitatis fauor, & curiositas pellexit ad illum audiendum; accurrit & Princeps femina dissimulato quem tenebat secundo ab Regina gradu, erat enim ex Regis fororibus assimilata in vnam ex suis pedisse quis, ne posset Rhodius ab iis eam discernere; accurtissimo ingenio cum esset cunctisque Sinarum exculta scientiis, amœnioribus præsertim; animi gratia, studio peregrinitatis, & nobilitate argumenti ducta venit, auditura res quas absque dubio decebat tanti esse, quanti fuerat illac toto medio orbe, detulisse, & linguæ Tunchinensis molestiis incredibiliibus exhaustis, externo ab homulo enarrari, nulla prorsus mercede alia, quàm fidei, dictis eius præbenda. Audito itaque Rhodio, repente in alteram spiritu illo agente mutata est, sine quo & verba eduntur inaniter, & frustra obtundunt audientem, comperitque illa quæ docebat fuisse meritò iisdem, ac plaribus petenda periculis, & Oceani spatii, quàm vltro fuissent ab eo allata. Distabat miliarium eius palatium à Patrum ædibus, erat nihilo segnibus ad conciones assidua, diciturque ad eas nonnulla eius cunctatio, semel pio somnio excitata. Matriona illi ad stare visa est aspectu veneranda, & compellare nomine proprio, heus tu? cælum dies altè iam obtineret, tu adhuc in lectulo; expetiscere, & curre ad solitam de cæli Domino doctrinam. Excussò sopore, miratur somnium, & verecundata suam inertiam ad templum accurrit. Huic nomen Catharina in sacris fontibus à Patribus inditum ob nonnullam cum Alexandrina Martyre similitudinem; ac nisi obstitisset Apostolici muneris ratio

30.
Cruce infan-
tum fronti-
bus ab ethni-
cis inculp.

feminis vetita, longè vberius in religionis obsequio locasset operam, quod vnum licuit cum esset eximia & clarissima poëtria, Christianam doctrinam excellenti carmine complexa, ab orbe condito ad sancti spiritus in Apostolos descensum pertexuit, ipsūque Rhodium & Marchesium, post Euangelij fatores Apostolos celebravit, adiungens versui figuris musicis ad quas passim ubique ab Neophitis poëma cantabatur religiosa quidem voluptate, sed fructu in ethnicos maiori dū intelligere cupiant apertiore eius sententiam, eaque precepta baptizantur. Sed fuit Catharinæ gloriosior opera quod Matri Christianam persuasit, cultissimi quoque ingenij matronæ, & in mysteriis Decorum acute explicandis adeo eloquenti, vt eam Bonziz Magistram nuncuparent. Tamen verò nihil ita saxum atque indomitum vt in sacrilegum suo sunt Bonziz, sed hæc Principum feminatum quas norant esse literatissimas duplex ad Deum conuersio, adegit vel inuitos vt intelligerent equæ tantum tam potens ratio valuisset eas ab auitis sacrorum ritibus transferre ad sacra peregrina, peregrini suasi, & barbari hominibus? vrbis regio ad pontem decumanum habitabatur ab iis tūc Saurum Vais, hoc est Cœnobitis, & Monialibus; quorum statim ceteris & vtrisque communes Sajuia dicebantur, agebant in iis de rebus animi, & meritis operum, post vitam sibi profuturis, vt rebantur fore que in publici commodum fierent, cuiusmodi fuit viarum publicarum longitudo contrahere, vel asperitatem complanare; fossas, amos, torrentes pontibus iungere; Xenodochia gratuita peregrinantibus instruere, & his similia, quibus tūc ipsi, tūc iis deuoti; sumptus necessarios suggerebant. Ex his aliorum comparatione vt magis errantibus, sic minùs reis, cordatiores quidam senes conuenerunt ad explorandum Rhodij doctrinam de qua suo in cœtu magnificè postea reuelerunt, hinc magno numero, ad illum milliari altero venire, licet ætate decrepita nonnulli; eius disciplinam alacres poscere, abundeque ab eo eruditi, etiam sacrum fontem, cuius cerimonia solenni effectū compotes foundationem eius Ecclesiæ mirum quantum inuere, non modo quod Bonziz, & Archibonziz, & vulgo antea pro sanctis habiti, verum quod exemplo Christianæ virtutis eminentiori alios instammarent; iis potissimum debetur hospitalis domus quæ prima omnium in Tunchino ægrotis, & pauperibus instituta, etiam ethnicis; magno fuit ad eorum salutem præsidio.

Sed inter Bonzios seu Saios dignum est peculiari laude, vnus illorum peculiare decus, & illustre, agebat itinere bidui ab vrbe in castello Cufciæ nomine, quod suæ cuiusdam sceleratissimæ amicæ Rex beneficiarium dederat; illic spurca sus, & ex luto concreta sædissimo, demone tamen superior; superbificum sibi, tanquam Deæ templum posuerat propudiosi sui quæstus sumptu sacrilego & immani; medio in templo, velut sacrarium, elaboratum gemmis, omnique ad miraculum, opere, hoc sibi cœnosum & stolidum animal post mortem destitabat, Tunchinorum Venus, adorationibus populorum, admirabilitate

3^r.
Conu. Bon-
ziorum.

pulvinaris, nulloque honorum consortio simulachro Beatam se sola fore insanians. Procuratori templi locatis grandibus quem narro Bonzius fidam illi nauabat operam. Sed is aliquando cum vxore in aulam profectus, tam secunda fama legis nouæ, vitæque afflati sunt quam & Principes feminae, & doctissimi Bonziji sectarentur, vt eidem, & ipsi manus illico dederint, edoctique de illa fassus, & sacro baptismo purgati, noua ex eo, cum mentis nouitate hauserint nomina, ille Antonij hæc Paulæ, multorum vterque sempiterno bono delecti cælitus, parique ad illud promouendum generositate animi, & ardore. In pagum reuersi, templum impiæ meretricis quod cremare non poterat Antonius claudit, & Christo vitis, Paula mulieribus prædicando incumbunt tam prosperè, vt paucis diebus ad centum Rhodio mitterent baptizandos. Mutatione Antonij & templi sui solitudine, superba meretrix in furorem acta, fratri suo pagi præfecto mandat; hominem aduocet; acerbe coram reprehensum, iubeat Christum abiicere; minas addat si verbis non cesserit; etiam verbera, si nec minis. Publicè igitur in foro cæsus est, contestans nullis se mortibus à Christo, ad cultus dæmonum reuocandum, vxore magnanima viro suo gloriosam ignominiam inuidente. Post inclinantibus constanti amborum prædicatione in Christum paganis, ab impurissima Domina quæ nec vocem iis nec vitam eripere poterat, pagò eieci aliò transire, vnus sibi quibus tegebantur relictis vestibus, sed ita exilio alacres vt popularium animis concione quauis, beatitatem legemque Christianam efficacius commendarent. Pago indè collecti, ab humanissimo toparcha, nauisque liberum de diuinis & Christo sermonem palam breui fecere quantus ipsos ageret spiritus, attonito plurimum Rhodio, sisti sibi ab iis nunc viginti, post paulum triginta; octoginta interdum seu baptismi candidatos seu discipulos; eò planè successu mirabiliore, quò erant in iis non exiguo numero Literari, quibus solent illic, magno esse contemptui simplices, & ignari, qualem fermè sciebant Antonium.

Prosperante in hunc modum Deo suorum laboers, & domo iam nostra frequentæ impari, tum Christianorum, tum Christianismum prestantium, Regi supplicarunt quando eius populum in dies auctius ad salutem animæ vocabat Deus, dignaretur pro suo in eos amore, attribuere iis solum vbi numeri tanti capax ædificium poneretur, in quo cæli Dominum laudarent, & preces ad eum in sacris mysteriis pro illo funderent; quibus supra quam dici potest, Rex munificus & comis non aream modo, sed ædificium insuper annuit. Necessitatem illam laxandi spatijse iam antea vidisse, sibi que tunc rogante nemine decretum ei occurrere. Irent, & solum vbiuis in vrbe idoneum legerent, cætera sibi permitterent. Quod nihilo parcius ab eo præstitum quam promissum; Domo ad palatium constructa, vt esset à furibus, & incendiis tutior, eius pars maxima dedicata est sacris muneribus; Patres illuc sedem quarto quam aulam attigerant mense, transfulere. Dicebat illic ad populum

32.
Lustralis aquæ miracula innumera.

Rhodijs per diem quinques, subindè sexies frequenti auditore; lustrabat bis quot hebdomadis vitali fonte, cathecumenos vt minimum viginti, sæpius quadraginta, in quibus illustres, & Regni Primates; Magdalena ex Regis defuncti vxoribus; Iosephus & Anna, non angusti imperij dynastæ, Ignatius illorum filius natu maior, adoptiuæ Regis finæ deponfus. Michaël annorum viginti, Mandarino natus Regis demortui genero, cum matre, & fratre, imperantis tunc Regis ephobo; Praefectus cohortis prætorix, multique quod profus mirabile Bonzij, vt qui obstinatam flagitijs superstitionem cum ægerrimè deponant, simulachrorum tamen quibus alebantur abiectis pro Christo stipendijs alacriores mendicarent, quàm olim Deorum edulia, & idololatrarum patinas ructassent. Facile omitto alios nobiles, Literatos, Magistratibus varijs spectabiles qui nascentem illic Ecclesiam illustrarunt; iniquum arbitror præmittere Mandarinum, qui constructum à se sumptu magnifico templum ingens, audito Rhodio, Patribus donauit, intactum adhuc ab idolis, & cultu Deorum nefario, baptizatusque cum filio, & vxore, templi eiusdem Reginae Deiparæ sacrandi læta solennia cum Christianis celebrauit. Adolescentem hanc Neophytorum fidem, incredibile est quot miraculis, quam certis, atque perpetuis firmaret prodiga Christi manus; ethnicorum duritiem, quanta vi quæteret; omnis generis morbos, omnis ingenij dæmones, truculentos, asmodeos, familiares (qui suum videntur in Tunchino locasse paradysum, solutam videlicet maleficijs omnis facultatem) ex corporibus, ædibus, oppidis expellens; rerum ergo sacrarum vulgata efficacitate, acciti Patres sæpissimè etiam ab idololatris, malorum sibi remedia à Christo petentibus; adessè Neophyti Patribus comites; obseruare quid, & quomodo agerent, gnarique vim illam malorum omnium medicam, haud aliundè quam à Deo, lustrali aquæ sacrisque cæteris infundi, piè statuerunt, efficacix futura nihilo leuioris, si suis ipsimet eadem manibus adhiberent, quam plane illorum fiduciam ex æquo euentus sequebantur. Et inagnum quidem hinc Patribus temporis redempti compendium, magis necessarijs infumendi; hinc verò ethnicis religionis veræ argumentum ineluctabile, dùm cernunt ab hominibus heri suis, hodie Christianis illa patrari miracula, & multum inuitos reluctantesque dæmones fugari, virtute profecto non alia, quam eius cui parent, vniuersa; quod manifestius turba quædam veneficorum sensit. Ibat artes suas in pagum exertura Christianis nuper initiatum sacris; euntem media in sylua monet distincta vox, præsentè à quo procederet nemine, frustra illos esse; viam & operam perdere; nullus, inquit, ex nobis, residuus ibi est qui auxilio vobis sit, ita omnes illinc ad vnum pepulit à Christianis depacta crux, nec iam nostrum quicquam, adfuturus est illie ad vestras cantiones etsi millies repetitas; nec si adfuerit, quicquam vestra gratia tentaturus, cum exarmatos illa crux, etiam eneguarit. Pudebat nimirum dæmones, videri populo

fractos,

fractos, & debiles, petique ab se quod crucis imperio præstare ver-
tabantur.

Aquæ lustralis acceptæ à Patribus non possunt prodigia referri nisi
accruatim, aded multa sunt. Paulus nomine Christianus septuaginta
numeravit ab se paucis diebus, suoque in pago, eius aquæ beneficio
patrata; miles Simon dictus, tot prope in patria sanationes edidit
egrorum & infessorum à dæmone, quot erant stilla in vasculo, quod
secum à Patribus acceptum tulerat, à quibus, leucas tunc centum
distans, sacrum illum liquorem, ne tandem deesset guttatim dispensa-
bat; sed eo denique rogantium multitudine tantum non exhausto, illo-
rum misertus est, & religionis veræ honori studens, ausus confidere,
quod illi Deus euentu postea liberali sanxit; paucillum id quod aquæ
supererat capaciori infundit vasi, defertque ad fontem qui scaturiebat
ex vicino monte; replet ad oram fonte illo vas suum. Tum quod fieri
à Patribus viderat, quo poterat modo repræsentans, cruce sæpius vas
signat; salis tantulo miscet, addit orationem dominicam, & preces
alias Christianorum vulgo notas, poscit demùm à Deo vt (quas igno-
rabat) legitimas, per se ipse suppleret, quod religiosæ illius caritati
tam abunde ab eo indultum est vt aquæ copia, prioris residuo adiuncta,
iisdem miraculis nobilitaretur.

Illud ad fidem illustrius quod propius ab vrbe Regia patratum. Op-
pidum lues depopulabatur, Regis gener dynasta, orbari se subiectis
dolens, à Patribus petiit, paulùm quidpiam eius aquæ ad eos mitteret,
quam iis vt aliis tam multis sperabat fore salutarem. Leguntur ad hoc
Christiani sex feruidæ pietatis, instruuntur singuli sua cruce, precatio-
ria corona, sacra imagine, & aquæ lustralis vrceolo: profecti, ducentos
& septuaginta in oppido vident periculosè ex lue decumbere; mul-
tos periisse; dæmonem, vt clarè post patuit, ab initio homicidam,
suis mercedem hanc pendere, Deo forsitan minimè abnuente, quod
esset in augmentum fidei cessurum. Primum itaque egregij homines
docti à Patribus pugnam hanc potius aduersus Dæmones quàm
contra morbos institui, oppidi extrema, & medium tribus defixis cru-
cibus munire; tributis inde inter se domibus, in aditu statim, quicquid
idolorum, & superstitiosi ritus in iis esset coneremare; fastigijs illarum
cruces imponere; audiri voces interea dolentium dæmonum quod
exturbarentur ex iis Christi cruce; post hæc ad ægotum accedens
Christianus, crucem proferebat quam secum tulerat, vel sacram ima-
ginem, proiectusque ad illam in genua, preculas recitabat Christianis
communes, postremò aquæ lustricæ tantillum iacenti sorbendum por-
rigebat, quo in stomachum demisso, humorem vomitu, putridum
eiecitabat; sic intra octiduum septuaginta illos, & ducentos sanauit
aquæ sacre sorbitiuncula; dempto vno animam agentè cum eo venere
Christiani, sed cunctis opinor beatiùs sanato cum baptizatus obierit.
Paucis exia diebus alter pagus curatione consimili liberatus est ab
eadem

eadem lue ; in eo tredecim repente sanati sunt , valere melius reliqui cœperunt. Sed illi Senario quem missum diximus , ad prioris oppidi liberationem , inculcauerat Rhodius ne quid mercedis aut munerum vel peterent , vel admitterent oblatum , quod sanctè ab reliquis seruatum , vnus quem minus decuerat , in iis præcipuus violauit ; vestem pretiosam à dynasta , in beneficij gratiam recepit , quam eius socij constanter respuerant , & hoc qualecumque , auaritiæ aut sacrilegij , certè offensionis magnæ crimen , post dies aliquot vita luit. Sic ab eius socijs creditum , ex sequaci pœna reum notantibus , & in cœterorum salubre monitum , terroremque vulgatum. His adminiculis Christi regnum , in regno Tunchini Deus attollebat ; alijs libenter abstineo quæ visis , somnijs , & vocum auditu continentur , ad priuatam quorundam institutionem ; quod difficile & anceps iudicium habeant. Verum alia ex parte sibi dæmones haudquaquam deesse , cultoribus suis se dare speculabiles ; proritare illos verborum rabie contra Deum ; contentiones omnes in ipsum exerent , legem ipsius extirparent dum primis adhuc hæreticis radicibus ; cuiusque perdendæ initium facerēt à disturbanda illius prædicatione , indè Literati & Bonzij concionibus Rhodij interesse , audacter magis quam consultè mouere dubia , & simulato studio intelligendi veri , dicentem respondendo ; auditores sermōnum fabulis & clamoribus distingere. Quo animaduerso Rhodius , auditorij foribus hanc legem decumano inscripsit caractere ; ius esset nemini publicè querere , qui explicationem Catechismi per octiduum non audisset. Sed abactam à se iacturam hanc temporis malitiosam & molestam sensit calumnijs illico rependi , eò atrocius quò illarum auctores latebant occultius , & cartæ non erubescabant ; implent folium ingens (qualia interdum bicubitalibus ducunt ampliora) implent inquam sacrilegis in Deum Christianorum legem , & promulgatores illius Patres maledictis ; quibus è regione opponunt elogja Tunchinensium Deorum , ad stuporem popelli stolidi mirandum in modum apposita. Famofum commentum palatij foribus affigunt , quæ turba densior prætereuntium , commeabat , à quibus tandiu lectum est , dum contumeliæ in Deum factus certior Christianus ad locum aduolat , & præmonitis qui forte adstabant eius quod venerat acturus , defensione generosa , infame folium reuellit , & discerpit ; tùm qui factò se , inquit , meo læsum putat ; me conueniat apud Regem. Priusque ipsemet rationem edat infamata legis , cuius præconium Rex probat ; id vbi fecerit , edam & ego facti rationem si ex me poposcerit. Hinc se quidem tunc opposuit nemo ; sed æstum latentis odij contra Deum & Patres , (quod solent imbelles & timidi) linguarum telis Bonzij prodidère , quibus vt eminus , sic securius suo more pugnant. Nunquam seges tanta concionantium , tantus furor dicendi , tam eloquens rabies in Christum eiusque famulos , vt populo inuisi & Regni proceribus fierent. Ad hæc specimen daturi tractationis ignominiosæ qua digni essent ; agmen supplicantium

cantum ordinant cuius medium tenebant simulachra ex auro præcipua duo, velut triumphantia in ceruicibus Bonziorum, qui notis spatiis dum agmemisterent, instrumentorum, & vocum symphonia recreabatur. Decorum illorum surditas, & nares sine odoratu, incensio- ne suffituum copiosa; post hæc duæ ex carta statuae veniebant, affi- milatæ in Marchesium & Rhodium, gestabant illas baiuli dæmonum habitu; & subsiliebat circum cuneus Bonziorum, xertisque in eas lin- guis, insulitate omnis ludibrii, sanniones graphicè agebant, varia- bantque decentem hanc scenam vlularibus arreptitiorum; at his, malè conciliati, celebriorem fecere Rhodium, & patientia illius, vni con- dolens eorum exitio, sibi ne verbo quidem cauens, auditorum ipsi ma- iorem collegit frequentiam. Quare vltimos Dæmon intendit conatus, vt validissima suorum machinatione, Regis erga nos euerteret ani- mum, & ex beneuolo faceret inimicum, sed hæc sequentem ad an- num pertinent; huic verò, seculi 27. debentur quibus ægrè aliud me- morabilius Sinarum imperium vidit periclitatum diu sub Rege femina, & flagitiosissimo spadone; tunc versis in melius omnibus, ex præci- piti relurgens, & in pristinum decus reflorescens.

Gueicunum igitur hoc anno, vt ruina caderet grauiori, Rex in- summum extulit potestatis & iure supremi Domini titulòque ornauit; nec aded mirum sibi eum æquasse, cui se qua luberet agendum, tan- quam vile iumentum subiecerat; & vero illum ed egit vt in Prouinciis quindecim templa illi totidem sumptu magnifico ædificari pateretur, nec vlla honorem immodicum tardauit mora; certate Proreges æmula Gueicuni adulatione, quis prior operi admoueret manum; immanitate sumptuum, anteuertere inuicem, dicere perfectum, & Eunuchi sta- tua consecrate, ea splendori apparatus profusione, & insolentia quæ Sinas bearet, si foret vero illorum & cæli Domino instructus. Vna femiviro vtrumque Pechinum restitauit. Urbis enim angulos quatuor, eodem numero superbae templorum decorabant moles; medium Confu- siji Academia in templi modum fabricata quod sibi Gueicunus volebat cum eo fieri commune, suamque cum eius statua, in altari eodem col- locari. Visum Literatis atrogans facinus, indignitatis minimè tole- randæ, perindè vt brutum animal virorum sanctissimo, & doctissimo æquaretur; intercessum ab iis fortiter, compulere spadonem templo- locum alibi quærere, quod nihilo propè modestiùs è regione Academia: extruxit. Verum Literatos qui intercesserant, solenni sua in omnes barbarie quos suis nutibus non esset nactus morigeros, euerit fundi- tus, bonisque, honore, & Magistratum quos pridem obibant gradu: omni exutos, Pechino extruxit, qui fuit postremus, & iniquissimus: regnantis femiviri, & furentis actus. Ægrotauit Rex Septembri men- se, nec diu anxios tenuit medicos, aded illum assidua crapula pertinacii sagina premebat; & vitali exhauferat spiritu libido. Regis salute depo- sita, suam quoque Gueicunus desperauit, nisi fortè (quod rumor asse-

33.
Ignominio-
se Patres ha-
biti sed fru-
tuosè.

35.
Gueicuni au-
lici mors in-
famis & tra-
gica.

36.
Mors Reg.
Sin. inerti-
ssi-
mi, noui Re-
gis dotes e-
ximit.

rebat) veneno Regem petierat, acclamatum ite se Regem cogitans innumerabili eorum clientela quos sibi supremis Regni honoribus, & opibus emerat: quod si non falso iactatum est; falsus hic item fidelitatis simulator, verum patriciam, furo tegebat pietatis, qui super iargissima peregrinatum interea mitteret ad celeberrima idola, & supplicatum pro eius vita quem sceleratissime necabat. Vt cumque fuerit, ipsa grauitas mali, supremæ horæ nuncia Regi fuit, nec alio egnit ad festinandum monitorem. Fratrem Sinuam accersit Gueicuni artibus aulpsum, teneriterque flens queritur, cur se visendi officio iacentem, nunquam esset dignatus; veni, ait, mi Domine & Frater! quem ego vita plus diligo, veni ut viserem; & quidem sapiens, sed fuit qui semper excluderet. Gueicunum inuens; in casus tamen adhuc ancipites, oblectare & tacite; carebat Rex hærede imperij filio, quâ ut plurimum orbitate, effrenis Principum multatur lasciuia. Ad hunc eius fratrem successionis iure spectabat rerum summa. Huic imperium transcribit Rex moriens; Reginam coniugem, secundarias vxores duas, Gueicunum, & Vam Gueicuno intimum commendat. Morienti Princeps largè omnia promittit: quàm verè hic perparum interest; certè non potuit facinorosus Gueicunus quas breui luit pœnas, præterquam sibi tribuere; Celata enim Regis morte quæ contigerat Septembris ultimo solos Principes Mandarinos, & Ordinum capita in Senatum vocauit, retulitque ad illos paucis tantum ab horis orbatos Imperatore suo Sinas. Quid ergo, subdidit, opus facti? quem sumus illi successorem daturi? versansque pluribus deliberandi argumentum, ambigè licet; suspicionem fecit intelligentibus nimis claram, propendere se ad mouendum populum ut Regem peteret; id in se si caderet, non detrectaturum laboriosam ponderis tanti molem. At ipsi, præruptè, hoc erat, inquit, cui nos tractando aduocasti? & hic est aliquis consultandi locus? deest videlicet, Sinuam? simulque discessu, rogatam sententiam absolunt; sed vix palatio egressi Gueicunum in equo vident ad Sinuam immisissis habenis præcurrere, gratulatorum illi successionem imperij pari lætitia ut si eum crearet, & inauguraret. Vultum illi explicuit, sapiens iuuenis (annos vnde viginti nondum natus) comiterque acceptum, & paucis dimissum, subsecutus est hac voce, vnus qui proximè aderant percepta, proh frontè spadonis! quasi si hic alius à Gueicuno qui me fecit ab aula extorrem. Deductus inde in Regiam ordinum omnium gratulabundo comitatu, biduo post coronatus est Imperator; contestatus primùm stylo Sinarum rituali, vim amicam se pati, cogi se precum imperio, coronæ caput subicere formidabili, & tremendæ quam esset conatus semel, & iterum à se amoliri, sed nimis constanter Mandarinis in suam infelicitatem animum obstinasse; opus fuisse alio capite, maturitate annorum, iudicij, & experientia solidato, ad ferendum idoneus, imparem huic esse iuuenem, & periculosus, magnisque inexpectum; his & similibus de more, prælusis iocosa; modestia; simulachris, pa-

lita Sinuam appellatione, Zuncin nominatur, hoc est sublimis felicitas, quam fallaci vatum ominazione qui nominalibus his præfunt infelicitas docuit qua Regum nemo tristius argumentum futuris seculis plorandum reliquit, filia nubili suo Patris ipsius gladio confossa, vt petulantia latronum eam præriperet; se autem vitæ mox propriis manibus de horti sui arbore suspenso ad præuertendam contumeliam Tartarorum; ad quos aula & Regni pars maxima, eius morte deuenit. Breui tamen dedit sui specimen tam illustre, vt apud Mandarinos Rex totus ex virtute, & prudentia coneretur; apud populum, magnæ pacis cognominaretur Imperator. Et iis erat profectio dotibus ad regnandum, quæ vt Principem mitificè ornant, sic in iuvene sunt admodum raræ. Philosophiam morum, & ductum rationis amabat vnicè, illòque amplissimi Ordinis Mandarinos qui vitam omnem contriuerant in studio & vtu optimæ Gubernationis. Totam vero illam pessimè oderat spadonum colluuiem, quæ seruituti nata, vix pedem in palatium misit, cum dominium affectat; & vix Regno, si sunt votorum compotes, tyrannos gerunt non Dominos, quod & magnæ fortunæ moderari non norunt abiectæ animæ, & solis sibi tantum serant ac metant, regnum se alienum, publicamque rem ducunt. Quare ista Pechino imperatoris primordia nihil æquè laeta, & plaudenda effecit, vt spectaculum Eunuchorum quos vidit demisso capite, ad tertiam leucam ab aula exulare, cum illos vidisset paulò ante turmatim alacres Regem affectari tunc primum palatium intrantem, eique suas operas deferre.

Hac illum mente affecterant afflictissimi populi lamentabiles ærumnæ, oppressiones innocentium, & Mandarinorum probrosa deiectio, quæ dum extra Regiam viueret spectarat præfens, & gemens didicerat Gueicuno ubique grassante & inuidiosam Regi circumferente tyrannidem. Quamobrem suscepto statim imperio Patrem se populi exhibuit, & mensæ tunc primum accumbens vocem misit toto regno celebratissimam, eius enim splendore, & copia suspirans, quàm multæ, inquit, meorum familiæ inopes, & ieiunæ leuarent famem luxus huius superfluitate! nec fuit vox illa sterilis; ærarium Regium, & horrea effudit in gratuitam annonam Prouinciarum quas Tartarus vastabat, Mandarinos à Gueicuno deiectos, & obtritos, gradui, honoribusque restituit. Inuitatus ad aulæ comedos, respondit, laxaturum se iucundius animam consulendis Colais de publici bono quam spectandis Poëtarum commentis. Vxorem duxit quæ in spem prolis sat esset, vnicam; quod fuit ciuibus tam nouum, vt ioco an serio dictitaretur Christianismo se parare. Hærebat inter hæc alta mente Gueicunus, vel hoc solum indignus vita, quod tam multos necasset vita dignissimos; prouidè tamen cauit, ne magis arbitrio quàm iure damnatus videretur. Edixit itaque toto imperio ne cui fas esset nisi Regis assensu templum vlli mortalium ponere; si quis præterea læsum iniuria se doletet; fidenter prodiceret, auditum iri non grauatur, quibus de Gueicuno nartari fabulam,

37.
Regis æqui-
tas Iagax cō-
tra venal-
s
consiliarios.

templorum mentio persuasit, & audentiores cæteris Mandarini duo Taolij, libellum Regi aduersus Gueicunum porrigunt, Gueicunus Colaos de suo periculo admonet; qui minime dubij se cum illo casuros, cuius fortuna stabant, auctores Regi fiunt, in duobus illis exemplum edat iniqui ingenij, ne quid tale cæteri audeant, non posse imperij Ministros, maximè supremos, vitare odia; quin eo grauius his laborare, quo ipsi sanctius publicam rem gerunt, nisi eos defendat majestas Principis cuius causa priuatorum iras, & publici subeunt, futurum vt sibi potius quam publico caueant. Rescripsit Colais Rex, Mandarinos duos, indè potissimum commendans vnde illos iudicarent reos, ex quo facile intellectum quod erat proximè futurum: vt percipit de Rescripto, tùm verò impluere in aulam aduersus Gueicunum libelli, atrocium accusationum, quarum enormitas vbique notissima cognitione ampliori non egebat; præter alias peiores, sed non adeò notas. Quibus primum id actum, vt omnis illa fœx Gueicunæ spadanum factionis palatium purgaret. Indè gradu deiecti quos Mandarinarum indignos pedibus Gueicunus imposuerat eorum capitibus, iisque suffecti quos loco monerat; inter quos Præses consilij bellici in aulam reuocatus ex qua paulò ante, latrociniorum in patriam thesauros exportarat, ignominiaè impar eam, in reditu voluntario laqueo anteuerit: aurei duo milliones, latronis spoliū, fisco Regio addicti. Gueicuno commissum Regis mortui funus, ominosum ministerium homini palam reo; quod vtramvis in partem acceperit, stolidè profus ab Rege petit, vt turbam propinquorum quos in fastigia honorum extulerat, in lutum vernaculæ fortunæ remitteret, neque id illi rex abnuir; petenti concessit, quod pati debuit vel inuitus: haudquaquam tamen id assecutus est vt poenas miseri, eius criminum darent, & extinguerent in iis Regis ira; aliquantò post suspicionem sibi fortuitò motam Rex volens discutere, rationes thesauri Regij suscepit retractandas, quas vt comperita Gueicuno, pretiosissimis maiorum emunctas margaritis, quarum singulæ instar erant integri thesauri, deceroria sententia, trium pronunciauit reum, Potestatis regiae ambitiosè vsurpatæ; crudelitatis sanguinariæ adactis ad inferendas sibi manus, aut morte inhonesta punitis Mandarinis; thesauri denique Regij expilati. Ob hæc scelera iussit Fucianum patriam suam repetere in Prouincia Pechinensi; in eius conspectum venerat, cum dux præsidij militaris qui tuto ducendum acceperat, scriniolum ipsi offert perelegans, cum incluso ad fauces frangendas laqueo, & optione illius aut sibi aptandi sine mora; aut cerrè; reliqua verborum inductus repente carnifex conspectu suppleuit; Gueicunus esse sui carnifex maluit quo planè habere peiorem non potuit. Secutus est eum haud multò melior, alter Eunuchus; conquisiti, clausi torrique cognati, facti sunt de rebellionem quam moliebatur, hanc etsi tacuerant, ea solum affecti sunt pœna vt remitterentur in sua mapalia inopes & nudi, millionum octo aureorum summa, in

fiscum

38.
Gueicuni
aulici & Re-
gni admin.
scelera, la-
queus.

fiscum rediit ex vnius tantum spoliatione, quibus aliorum cum gaza immani coniunctis, diuitem se Princeps quilibet non falso iactasset; verum ad opes Gueicuni, tam nihili erant, ut qui eas computant scriptores, non in summam, sed in admirationem, stuporemque concludant. Morte scelestissimi hominis Pechini nuntiata iussit Rex templam famosissimi prædonis gloriæ, vbiuis constructa dirui; diuendi templorum materiam; statuas in cinerem redigi, eius honoris vestigia omnia aboleri, utpote regno contumeliosa; castigauit Proreges & alios qui virtuti eminentissimæ debita monumenta, vilitate mancipij, & tyranni sceleribus, adulatione improba fœdassent. Vindictam clausit dedecoris Regij, Chepea (Chepapam alij scripsere) Regis mortui nutrix, Gueicuno intima, forma & blanditiis potens, quo siue alio quouis philtro Regem irretierat suis amoribus euaseratque de amica in dominam, præ qua Rex uxorem Reginam habebat pro famula. Erubescibat Regnum, ad impudentissimi Scorti, quæ narrabantur propudja; quibus obtegendis, Regi Gueicunus edictum dictauerat, ne alia quam sanctæ Dominæ appellatione vocaretur. Postquam verò nouus Imperator, lue illa spadonum Gueicuno addictorum, Regiam liberauit; de Chepea etiam cognosci præcepit, quæ quod & femina, & Germani Regis demortui nutrix, inopia solum & exilio plectebatur, nec mutabat Rex clementem sententiam, etsi præter alia in eius thesauro, margaritarum immensitas pondus conficeret librarum quinque, & triginta; ut autem Reginæ diadema, etiam in iis comparuit (quod capitale est à quoquam teneri) præclusus est omnis ad misericordiam aditus. Centum plagis à Rege damnata est, quibus si adhuc superesset, quinquaginta iis adderentur, illa multò paucioribus quam centum necata est, Regina vidua pœnam adulteræ suis oculis bibente. Corpus à carnificibus extra palatium crematum; cinis extra urbem in auras sparsus.

Hic Tiencij Regis infelicissimus, Gueicuni, & Chepeæ gratiosorum eius finis, omnium exceptus gaudiis, iusta boni communis vindicta, priuatam misericordiam pellente. Christianis quoque Gueicuni mors magno lucro fuit, quod eo viuente fas esset nemini in cœtibus dicere, sed detineretur omnis Patrum labor priuatis colloquiis per quæ tamen ringentibus inferis nongentos octodecim ethnicos expiandere sacro baptisinate; inter novos campos, nouis initiatos Euangelij satibus, Rodrigus Figheredus illum aperuit quo in oppida & pagos Nimpò excursum est, è regione Iaponiæ. Decem illic & nouem diebus, ethnicos octoginta Christianis adiunxit, longè plurimos eodem desiderio incendit, quoad sibi aut alteri liceret incepta perficere. In Prouincia Scensij fudit se latius Christi fides, quod à Gueicuno, & aula distaret longinquius, templum illic ædificatum est in vrbe Chiancco, ab eo quem pridem meminimus Sephano viro sancto. Restituta demum noui Regis exordio Pechini, aulæ dignitate, redditisque vrbi

& gradui Mandarinis, amicos in iis nostros recepimus, Christiana res suos defensores, quorum tamen (sic Deo placitum) vnum nobis hic annus abstulit, toties dictum, nunquam satis laudatum Doctorem Michaëlem quo (si fortè Paulum excipies, nullus Societatis Patet amantior; Christianæ rei generosius exemplar; & memoria dignus quantacumque illum hoc anno valeo apud posteros ornare.

39.
Doctores
Michælis
virtutes he-
spice.

Hunc P. Lazarus Cattaneus; ab errore ad Dei notitiam transtulit, naclúsque animum intelligendi acumine, & amplitudine rectæ mentis singi ad sublimia, & magna idoneum, elaboravit illum peculiari cultu, eoque breui virtutis prouexit, vt suspicerent in illo Christiani religiosum virum habitu seculari, & Mandarinum ornatu Apostolum. Hinc illa eius propriè laus duplex, oïores nominis Christiani, odisse penitus; æstimatores & amicos, tametsi ethnicos obseruare magnique facere. Hanc denique ipsius patria tritum erat, inter viros Doctorem Michaëlem; inter feminas Leonis vxorem; eius aulæ esse sanctissimos, summæque venerandos. Ex quo illi beata & immortalia, Christiana in luce patuerunt, & quæ illuc eniti necessariò deberet; vidit simul quantos afferre animos oporteret, ad tenendam constanter sanctimoniam cursus propositi, & quicquid aliis fieret, sibi quanta secum pugnantem violentia, qui annos quinque supra quinquaginta, in simulachrorum obsequio egisset, solutissimis voluptatibus inquinatos, nec procliuitatem ad eas insanam, perinde aqua baptismi eluisset, vt Deorum errores planè absterferat. Eam ob rem ad robur gratiæ quam diuino ex fonte hauserat, confidebátque sibi fortiter adfuturam diffidentem sui duramque adiunxit custodiam, & sanctam in corpus velut domesticum proditorem iuravit barbariam, amoris procul non modo allucis, quibus illud mulisset illecebris, sed assiduo vexans domusque cilicio, sistensque se sibi habitu peccatoris. Cum enim Huguanam sub Protege administraret Prouinciã, tribunal conscensurus cilicio muniebat sese, vt conferto coram de genibus populo, ipsisque adè agnatis Regij sanguinis tremendus, memor esset, se quoque peccatorem, & diuino reum adstare tribunali, nec illa terribili & superba (qualis est apud Sinas) throni sui ebrius maiestate insoleceret aliquando. Prius tamen quam se rei cuiusdam applicaret, quotidie mane tempus non modicum cum Deo exigebat, digerebátque illo teste diei totius ordinem; sed accessuro ad sacrum epulum (quod nisi dierum aliquot afflictationibus variis paratus non solebat) precandi mensuram non describebat tempus sed ardor animi; ieiuniorum formam & spatia more nostro, ac modo retinuit semper, quanquam sint etiam solitariis illis sui carnificibus Bonziis ægrè tolerabilia, & priores duæ ieiunij maioris hebdomadæ, in vertentem annum apud Sinas cadant, flagrantque tunc, & narent conuiujs; nec ante annum septuagesimum, vllam adhibuit ieiunio suo moderationem, nisi monitu Patris quo animi sui ductore utebatur: quanta enim illi quicumque is foret religione pareret in omnibus,

vel

vel hinc sit evidens, quod cum amicorum etiam intimorum, nullis
 valuisset obsecrationibus adigi, ut suas Hancei quasdam ædes Guei-
 cuno venderet, formidoloso illi, & irritabili tyranno; acquieuit ex-
 templo Patri venditionem suadenti; dumtaxat rogavit, satim fas esset
 domos suas idololatæ vendere, quem luberet in vltim ab eo conferen-
 das; domabat ferè flagellis corpus d'ututnis & asperis, interdum etiam
 publicis, in palatij sacello cum omni familia, quam plus centum con-
 stabant Christiani, & incredibili eius cura continebantur intra metas
 decori, officiique Christiani. Cogebat illos statò quot mensibus tem-
 pore ac die; seorsum viros; vxores in aula seorsum, vbi extra con-
 spectum, de diuinis audirent: ipse Patris sermonem excipiens, enuclea-
 tius accommodabat eorum moribus, & necessitati. Alias puerorum par-
 ingeniosum, Christianam doctrinam recitabat quam à P. Marco Geor-
 gio in Dialogos conclusam, P. Rocca Sinenfi lingua ediderat; Recita-
 tionem interpungebat Pater, elucidando vbi opus esset, subdendisque
 salubribus monitis; honestabat Doctor Michael sua presentia, tan-
 quam puer adhuc in Christi schola rudis. Verum enim vero egregias
 istas priuatæ familiæ curas porrigebat in patriam Hanceum, in Pro-
 uinciam Cechianam, & alias in quibus gesserat Magistratum, & in
 Regnum denique vniuersum, quod piorum librorum ditribitione in-
 numerabili, ad Christi noticiam erudiuit, gratuitis suis, & liberalibus
 in editionem illorum impensis, nec quicquam prateriit quo posset
 mortales ad Dei cultum perducere. Scholam aperuit selectis ex inge-
 niorum flore iuuenibus iisque Magistrum excellentem honoratio con-
 gruo auctorauit, ut eorum quam posset plurimis, Christianorum in-
 sinuaret dogma, vel existimationem, & amorem, quo illos deinde
 prouecti ad honores, fauore suo tuerentur. Imò cum ars docendi lite-
 ras, summis quoque hominibus apud Sinas honorifica sit, docebat
 ipsemet aliquos, quorum disciplina Christianismum sperabat hono-
 randum. Illam item Gueicuno tam crudeliter inuisam *Academiam pie-
 tatis & bonarum Legum*, multos annos rexit, vbi centum & plures
 Mandarinum, viri grauissimi, expoliebantur studio æquitatis, & mo-
 rum præstantia, ut si minus fierent Christiani, euaderent saltem in
 Christi legem proniores, quæ longè plura & sublimiora de moribus,
 & tradebat verbis, & reipsa vivebat, cum Philosophia Sinarum vno
 esse oculorum ludibrio, & probi specie contenta. Iam verò Deum
 rationis instinctu certo demonstrari, & quidem vnum; non iis modo
 per vnum ex Patribus, suadebat, euincebatque pressè & solidè, men-
 strua quam instituerat concione; sed asserbat ipse tam crebra & for-
 ti disputatione, ut propterea libellos ad Regem accusatorios patere-
 tur; & contentiones inimicas magnorum aduersariorum, quibus nun-
 quam aded iectus est, ut vel digito gradum retraheret, quicquid sibi
 tandem inde esset futurum: quin ut nihil sibi professione Christiana
 gloriosius dicebat, ita nec eius assertionem patienti; accumbebat in-

ter Mandarinos conuiuio celebri, cum variè ut sic vagatus sermo in eos incidit, qui tunc Hancei uiuerent insignes viros, maximèque illustres; sed in iis, ait ex conuiuio vnus, mi Domine, sine controuersia eminebas, & tuis dotibus Hanceum coronabas; nunc postquam ad illam transtisti nescio quam à Domino cœli cognominatam legem, media ex parte decus illud præclarum obscurasti: cui grauitè simul & placidè Michaël; præ illius, inquit, professione, Domine mi nihil facio quicquid in me laudatur, tuque, idem mecum opinor senseris, si eam tu quoque exploraris. Erubuit scilicet inopino responso, censor audax, alij tacitè inuicem respectantes, aliò sermonem diuertentem. Nec priuata hic solum admonitione, & urbana, ignorantiam imprudentis, emendauit Christiana generositate, sed etiam publicè, vbi cumque res tulit, seditiosi populi posthabitis furiis Christianam loquendi libertatem seruauit inuictus. Documento sit, ne aliis immoretur, quod ob impugnatam acerrimè superstitionem Sinis admodum sanctam, Hancei populus concutitur furibundus ut viuum subiectis palatio facibus combureret; nec erat dubius facinoris exitus, nisi Doctor Martinus, grandi vir animo, parique pietate, manu armata occurrisset, intentisque hastis in furentium pectora, retrouertisset irruentes; ad hæc anno eodem vicesimo tertio nauigaturus in Prouinciam Huguanam periculossimo flumine quod maris filium vocitant, nautas ethnicos acerbè inuitos, pro potestate inhibuit ne sacrificarent dæmoni fluminis genio. Horas aliquot nauigant, cum nauis, ut sunt impositis domibus præaltæ, velisque item altioribus aguntur, vento pulsa in latus decubuit funditus, emeris tamen quod essent ad ripam omnibus. Naui organis, in carinam sublata, & ex vasario Doctoris quod retrahi potuit, nautas denuo inuadit sacrificandi amentia; vociferari hanc esse vindictam à spiritu fluminis, sacri sui omissione læso; si vitam Michaël negligeret propriam, non inuideret alienæ, cur enim perire insontes cogentur; quibus Michaël, ut antea serenus; Male, inquit, in alios errorem vestrum deriuatis. Nullus præter ventum, nauim spiritus euertit; nec sacrificiis eget ventus, sed prouisione oculorum, & contractione velorum celeri, quibus è contrario ventorum impetum collegistis. Præter artem vestram à vobis nihil desidero, ea utimini, & verò cautè deinceps illa vsi declinandis ventorum flatibus prosperè appulerunt. In vasarij iactura quod solet tantis virtis pretij esse notatis æstimandi, nihil ita doluit Michaël ut reliquiarum sacram thecam; opere triuiali, sed inclusi fiducia pignoris sibi carissimam, & ab vno è Patribus acceptam quam ut redimeret sperauit Deum precatione dierum trium exoratum iri, & ecce triduum precando absoluerat, cum ex altissimo amnis fundo extractam sic recepit, ut si diuinibus boni Angeli manu ad eum referretur. Verùm hanc orandi constantiam, quod valdè admittor hauriquaquam inuenio fuisse ab illo adhibitam, ad impetrandam Carolo filio suo vitam. Erat is annorum iam quatuor

Et triginta, raris omnino dotibus præditus, & præterquam quod familiae columen, in aulae ambitu & cursu honorum, summos æquaturus. Spectabat parens septuagenarius abiectum à Medicis, attem frustra omnem in eo expertis, & noster sacerdos parentis dolore non minus anxius quàm periculo filij; cepit in utrumque consolationem dividere. At senex in tanti filij iactura, quam nulla natio formidolosius Sinenſi exhorret, magno virtutis prodigio, de Carolo, inquit, nec volo aliquid à Dei placito diuersum nec sentio; eius illum gratia & dono possedi ad annos triginta quatuor; hunc si reperit modo, rem suam repetit, Dominus est; atque vnà Pater; qui nos apud nostraque omnia paterno affectu disponit. Hæc ille, nec oris alacritatem mutauit sanctus senex, sed prætulit etiam maiorem ex diligentia filij ad occupandam mortem prompta & facili; confessione multis cum lachrimis obita, humi contendit deiectus in genua absolui, nec vetando sat fuit sacerdos nisi parentis auctoritas accessisset. Inde se bido prædicens moriturum, (quod re ipsa euenit) sacro est oleo inunctus, sumptaque in manibus Christi morientis effigie, piis cum eo colloquiis, edendisque virtutum actibus tenentate mentis institit tam suauis, vt omnes cum illo vbertim flerent. Triumphabat his Michael, vidensque iam corpus examimum, mihi nunc, ait, filius natus est; verè mihi hodie primogenitum meum donauit Deus. Beatum me! filio beato patrem & morte tam pulchra æternum victuro! Ornato paulò post Doctoris, & Magistratus nota grauis sedit se nostro Sacerdoti, solita corporis proclinatione gratiam testaturus, impensæ filio ad bonam mortem feliciter operæ, qua sibi pariter vt suo tempore adesset rogauit. Tum corpus filij pretiosis indutum, & precatória Virginis corona, cruce, aliisque professionis Christianæ decorum insignibus, sarcophago clausit elegantissimo; ac velut prælagus se quoque à meta non longè abesse, supremum sui erga Patres amoris experimentum dedit, quod esse prorsus excellentissimum oportuit vt antecelleret rationum suarum vitæque neglectui quo Patres non raro cogebantur eam pro illo sollicitudinem gerere quam nostra causa ipse negligebat; cum fidelitate in Christum ardens, existimaret, ipsius gloriam pati passu ferri cum nostrorum incolumitate: aluit domi per annos vndecim suo sumptu, & periculo, quàm multos ex nostris habere potuit, imminere sibi per octennium tyranno Scin, à quo poterat euerſi funditus in pœnam eius hospitij, quod illo ad vltimum gradu Colai moto, continuauit nostris, in eius oculis, quamuis tunc etiam valde metuendi, nec cœpto destitit reliquis tribus annis, regnante licet pro libidine Guicuno, illique ob Academiam de qua narrauimus capitaliter irato, & cui pronius nihil erat quam accusatum vel leuiter, præbiti externis, & à Rege pulsus, hospitij, de medio tollere. Quamobrem propinqui, & familiares, dolentes cum nostra causa semper in lubrico pendere, nullos metus & veros & fictos, nullas preces, rationesque omisere, quo extra discrimen illum

40.
Eiusdem
perpetua in
Soc. & rem
Christ. me-
rita.

eruerent; contra ille rogabat, quo sibi amore essent solliciti eum in nos transferrent; quibus flagrarent pro securitate sua curis, eas conuerterent ad defendendam nostrorum salutem; facturóque id ultro, si ex vero nos nossent, nunc suo si saltem rogatu id facerent; maiorem à se gratiam inturos quam si vitam sibi ipsi seruarent. Hæc illum in nostros charitas huc adegit, vt Scino ipismet pro iis fieret supplex, nedum aliis Chritto medioeriter infensis. Iturus si quidem in Prouinciam Huguanam, armauit se ad eum expugnandum exercitiis S. Ignacij, & confessione à suscepto baptismo repetita; visentémque ex lege officiosi ritus, & multa prolixè deferentem, vnum sibi ab illo omnium maximum, instárque omnium respondit fore, si suo fauore Patres dignaretur, simul eorum in vitam, & laudes excurret magnificè, ille ad Patres, ait quod attinet, fidem pignori meam habe, nihil futurum iis in posterum quod à me caueant, nihil quod metuant; exindè profus erado illos ex animo, & quàm multi cumque aduenerint, per me quidem, perindè fuerint, vt si neque in Sinis, nec in viuis essent. Magnum planè, tantóque ab hoste inexpectatum munus; sed eo charitas Michaëlis ieiunè expleta, rogauit iis quoque ne fauorem negaret, eius enim excelsa generositate & Patrum meritis minús fore, si solum nocendo abstineret. Sabrisit huic Scin, nec tamen verbo villo se vteris obstrinxit. Verum quod erat pollicitus cum fide præstitit multis licet occasionibus in oppositum inuitatus. Proregum præterea, & Censurum qui ab aula destinabantur in Prouincias, Hancem attingebat nemo, cuius beneuolentiam non conciliaret Patribus Michaël, & laudis si posset, testimonium illustre, patentibus expressum tabulis, quæ præfiguntur superliminaribus domorum, & extraneos homines, impugnatores idololatriæ, aduersus odia populi, Bonziorum calumnias, & Mandarinorum violentiam muniunt. Postremò nostris ex Europa recentibus, characterum, & linguæ Magistros conducebat; docendis quin etiam ipsemet homo id ætatis horas quotidie aliquot patienter dabat. Qua tam multiplici & inuicta significatione intimi amoris, eum profiteretur apud illum vnus ex Patribus Societatem vniuersam, infinitis ipsi deuinctam nominibus, neque id nostros in Europa latere; præter pias lachrimas referrè nihil potuit; quas item ex eius oculis mutuas exciuit. Iam eius illud erga nos palmare, & vltimum quod proposueram meritum, & beneuolentiæ solidæ monumentum fuit, quod prodesse nobis etiam post mortem animo voluit tam deliberato, vt in hoc vitam posuerit. Patrum vitam & gesta scribenda susceperat quorum fuerat conscius, & testis exceptione omni superior, interseribat his de illorum doctrina tum sacra, morúmque sanctorum artifice, tum naturali, & Mathematica; mihi si quidem testi oculato, & familiari, & annorum vndecim hospiti, pronior, aiebat, apud omnes, quam vobis & certior futura est fides. Totus igitur in eo labore quem censebat fore Christianismo dilatarando maximè vtilem, bonam noctium partem

partem necessariæ quieti vir senex, & negotiosus detrahebat; crediturque vita Matthæi Ricci, auctore tacito in Sinitis vulgata eius opus esse. Accessit sub id tempus ex Gueicuni morte, actusque damnatis, oportunitas producendi Patres in publicum; ad hoc ampliam iis domum cœmit suo vicinam palatio, templumque ad illam designavit; decumanis templi statuendis columnis interfuit die S. Xaverij anniuersario, cum tota Mandarinatus sui gradusque maiestate, non cohonestandæ modo functioni sacratæ spectator honorarius, sed operarius, & adiutor, nam priori columnæ ceruicem ipsemet subiecit; alteri Ioannes ipsius filius, magno Sinensium stupore ad humilitatem Christianam tam illustris viri demissione triumphantem. In ea fabrica interdiu dum satagit; noctu scribendis incumbit Patrum gestis, legitur ad gradum in aula sublimem Hanceensis Mandarinus, hunc prouidens Michaël magnum fore Christianæ rei præsidium, si posset viro insinuari eius noticia ad conuiuium vocauit cum Literatis primariis duobus, & uno ex Patribus, cum quo sermonis cautè inferendi argumentum condixit de Deo, & Ohiistianismo. Processitque tam bellè, quærendo, respondendo, in horas aliquot productus sermo, vt noctis residuum recenti memoria Michaël sumeret in eo describendo, quod meditaretur in Patrum doctrinam illum inferere. Mensis erat December; hyems crudata; Hancei, vndecumque id fiat crudior etsi non plus fermè triginta gradibus Septentrioni subiaceat; sed occupatissimus, & flagrans senex pia scribendi voluptate, naturæ vim fieri non sensit; penso igitur absoluto, cælo prope albente, ad quietem secedens febrî corripitur, quæ statim initio mortis nimium cæcæ inditia præbuit. Quare die quarto, confessione accuratissima purgavit animum, ingrauescentèque mox febrî, mente aberrauit, sed immersa penitus, in templi fabrica virgenda; describendo illius ornatu, & supellectili destinanda. Nihil enim altius hærebat animo; auditusque fuerat adhuc sanus cum diceret, nullius æquè se religione vellicari, vt dilati per dies aliquot eius templi, quod potuisset à morte Gueicuni statim inchoare; eam culpam se caro luere; seque in vxoris, liberorum, & caducorum omnium factura facili, hoc solo angî, quod absoluendi meritum operis relinqueret alteri, cuius ipse tantum præ socordia inceptor esset. Aucto septimi diei accessione periculo; diuino viatico præmunitur, quod ne extra lectum de genibus sumeret, multum dolens, & querens fuit Patris imperio cogendus, sic, inquit, mi Pater! sicine apud te plaris sum, quam tui meique Domini maiestas & dignitas? vultuque velut inhorrescens, qui potest tantum audere homulus cum Deo? vna demum peruicax obedientia, demissis oculis pudorem illum hausit, nec lamentari destitit per diem proximè insequentem, irreuerenter factum, vt ipse interpretabatur. Demum oleo sancto delibutus, quo morti fiebat propior, eo iucundiùs beatitatis proximæ afficiebatur fiducia, Patrèmq; compellans qui semper lateri assidebat, quàm libenter,

407
Eiusdè mortis
sanctæ.

ait, pro cælo terra deseritur, suosque lecto circum adstantes videt, nec isti addebat, me plus tangunt quam si nihil ad me attinerent; nec mundi totius, perstringit grauius iactura, quam si planè in mundo non vixissem. Hos inter animi æterna spirantis affectus placidos, vitam cum voce pariter amisit sub finem anni vigesimi septimi, vel quod alij scribunt, initium sequentis. Religiosæ in Deum pietatis, & beneuolæ erga Patres hæredem reliquit filium Ioannem, qui utroque mox ceptis munere perfungi: horæ fluxerant non multæ, cum ethnica cingitur propinquorum turba, suadeturque ad iusta funebria tanti nominis vico digna, sed ritu Sinarum Bonziis committenda, domo primum eiectis, aut saltem dimissis Patribus. Responsum ex eo tulere, obisse Patrem Christianum; non decere illum exequias nisi ritu instructas Christiano; Patres illum seipso non minùs amasse; fore sibi eosdem vnice semper caros, & parentis loco singulos habiturum. Ac ne pacitati verteretur quod vacuos remitteret Bonzios, quod erat in eos impendi solitum, ad fores suarum ædium largè in pauperes erogant. Digestas interea ordo funeris à nostris quem ex iis vnus concione funebri concludit. Nec Hancei modo, sed vbicumque Sinarum fuere Christiani, parentatum est illi tanquam Patri nostrorum optimo, & legis sacrosanctæ inuictissimo defensori. Lubet hic vnum demissionis heroiæ ex laudatione illa funebri excerptum, posteris exemplo transmittere. Portabatur aliquando exaphoro per urbem, vt mos est Primatibus Mandarinis, & (quod ægrè in denso populo vitatur) in plebecum, tardiùs locum dantem lecticarij impingunt; is vel ictu attritus, vel alias dolens excanduit, & Doctorem Michaëlem probrosè ac rusticè verbis incescit contumeliosus, quæ dubio procul alius quilibet eius auctoritatis Mandarinus, repente coram verberatione sæuissima per satellites excogisset, Michaël in eum ruentes inhibuit obiurgans; & benignè, fatentem intuitus, præterit; qui placiditate illa nihil domitus, magna voce præteruecto Doctorei ocyma decantauit, sed nec eò vsque patientiam eius fregit, vt suis permitteret flagitioso larratori quod erat commertus pendere. Verum facti præclari rarissima gratia hæc fuit, quam Patri aperuit, animæ suæ consiliario, & ductori; sibi nempe nesci conuictiatis, maledictæ venisse gratissima, quotus enim quisque, vera mihi de me, quod disertè hic fecit, ausus esset in os obicere? absque numero alij, dum me laudant, tot gratificantur mihi mendacia quot verba.

41.
Neophyti
mors mira-
biliter Sua-
uis, Colij
ethnici for-
midabilis.

Sequuntur in rebus anni huius vicesimi septimi, trium mortes, memoria dignæ longè ab se diuersa. Prima Christiani quem Vagnonius Deo pepererat in pago Angelorum (sic illum nominat pagum) duodecim hominum millibus habitato. Magni profectò apud Deum fuisse meriti videtur cui mortem largitus est beatis eremi senibus inuidendam, etsi nondum egisset in Christianismo biennium. Sedenti enim de medio die in domus arca quam illic habebat amplam, & commodam,

vi sum

visum est repente cœlum discedere, ille vultu accenso quid hoc, in-
clamat, quod video? panduntur mihi paradisi fores; panduntur, inquam,
& ecce, Deus illinc me vocat. Si me vis Domine! præsto sum; nisi
placet fortassis tantillum differre, quoad, aiebat vir simplicissimus,
negotiola quædam ordinario; submoto ab oculis viso, regreditur intro
ex area; valere iubet quos domi habebat hospites, negotia expedit;
loco eodem postredie atque hora, vxore cum liberis adstante; idem sibi
affirmans quod pridie spectaculum obiici, seque pariter à Deo ad para-
disum inuitari; propero, ait, atque in hac voce viuendi finem fecit.
Fonus illi Vagnonius Christianis ornauit exequiis, quas vxor ethnica,
dolens ethnicorum fastui celsuras, cadauer Bonziis permisit, eerimoniis
pactis humanum. Sed is noctu in somnis, impiam feminae charitatem
vehementissime reprehendit; mandauit adibus quamprimum eijci quos
vocarat dæmonum Ministros, omnemque sacrilegi funeris instructum.
Beatum se in cœlo viuere; frustra illam eodem aspirare, nisi amplecte-
retur Christi legem cuius vnus præsidio contineretur felicitas, quam-
que ipse viuens, & moriens Dei & Patrum beneficio tenuisset; his &
similibus roborata, eam animo, ex mariti salute, eiusque monitis con-
cepit lætitiã, cui parem in vita sensisset nunquam. Extemplo itaque
Vagnonium quaerit, ac rei totius apud illum narrata serie, ritè cum filiis
baptismo lustratur; secutique sunt illam postea non pauci, quos pro-
digij fama docuit sibi maturè consulere. È contrariò Focci Fochiensis
Prouinciæ vrbe primaria, Colaui Iè, lamentabili sine vitam clausit.
Vir atioqui sapientissimus, & legis Christianæ iam inde à Riccio, vt
passim notauimus æstimator beneficus, & defensor, imo in Prouincia
sua Fochiensi, per Patrem Alenium studiosissimus propagator; senum
misericimus, & stuporis humani formidabile ostentum, qui ad suos
in cœlum compellendos inducendosque populares, acer & strenuus, fo-
ris ipse pertinaciter substitit, præferens Deo indignum esse, hominum
causa hominem fieri. Hac illum remora defixit in exitium Lucifer &
dolore Patrum non consolabili, nec ethnicus nec Christianus interit.
Trium quos proposui vltimus, pro Apostolicæ functionis egregio me-
rito longè esset pluribus dicendus quàm quæ huius anni tabulæ Macaen-
ses auarè suggerant. Vtar iis tamen, ne saltem abeat indictus, & abs-
que nomine. Fuit is P. Celsus Confalonarius natione Italus, patria
Mediolanensis, in Collegio Macaensi hoc anno defunctus, annum ægens
ætatis vnum ad septuaginta, Societatis sex & quinquaginta; ex quibus
nonem & triginta in conuersionibus Iaponum posuerat; & illic eodem
tempore annos octo tum præfuerat formandis tironibus, tum subtilioris
Theologiæ ac moralis breuiarium aliquod nostris prælegerat. Inde
Christi causa in exilium pulsus, annos duodecim Macaense Collegium
rexit. Magni vir domi, & foris exempli; cum Deo perpetuus, sui que
olor aspectum. Huius adhuc iuuenis virtutem magnificet S. Carolus
Barromeus & singularem gratiam in dicendo. Sed horum nihil sat

Mors P. Ste-
phani Con-
falonarij.

valuit ad generosam mentem à conuersione Iaponum quam deperibat dimouendam. Quos & teneriter amauit, & fuit vicissim iis summe charus.

42.
Longa inter
PP. Sineses,
& grauissima
disputatio de
voce, quali-
ceret Deum
inter Sin. ap-
pellare?

Fuit Patribus hic annus seculi vicesimus octauus, saluo ingenij & caritatis iure, contentionibus valde inquietus, quas in annum sequentem productas auxit potius quam sedauit, qui arrogato sibi de iudicio, conquiscere partes in sua sententia voluit. Carptim soluta attingam quæ non sint fastidio futura; nam vel summa tantum questionum de Deo, de spiritibus, & de anima suis perpexabiliter ventilare rationibus, obiectis, & ambagibus responsorum, referri absque radio non possunt. Lis erat de vocibus quibus eatenus Sinesis idioma Deum, spiritus, & animam significauerat, præ aliis tamen de *Scianti*, voce, (quæ Regem supremum apud Sinas notat) an ita propriè designatione illius imperij supremi cui par esset nihil, & nihil secundum; ingeneraretur conceptus diuinæ singularitatis, vt scribendi, & loquendi vsu, nihil creatum significaretur ea voce. Similiter an cæli Dominus, quem *Tienciù* nominant, posset Christianorum aptari vero Deo, absque periculo significandi aliquem ex Diis Bonziorum, quorum Theologia fabulosa, minores Deos triginta tres, cælorum totidem præferebat motui, eosque pariter *Tienciù* nomine appellabat. De his igitur vocibus, & earum vsu Patres in plane oppositas distrahebantur sententias, quod nec satis penderet earum iudicium ex Theologiae elementis, aut vi syllabarum; sed præterea ex sensu quem vulgò efficere putabantur, in veteribus & nouis codicibus quæ Literatorum abhorrentium ab idolis, quæ Bonziorum idola colentium; & ex eo quod vsus recepti possessione perpetua significari sibi putabant audientes. Qui cum sit latissimus dissidendi campus, conciliare illos in vnam, & certam vocem nec sermo poterat Latinus, neque alius ex Europa; sic enim oris conformatione ad eum efferebatur Sinas vel de stiruit natura vel educatio, vt pro voce hac Deus *Tensu*, pro Spiritus *Sepelitus*, necessitudo cogantur diceret, parique deformatione alias voces corrumpere. Quamobrem dudum conuenerat non posse illis baptismi formulam lingua nostra committi, quod illam adeò prodigialiter euerterent, vt nec verum de illa quicquam nec vero simile sonaret. Optassent aliqui nominando Deo *Tienciù* *ciu*, hoc est *Verum cæli Dominum* vsurpare, placebat alijs *Tien ti ciu*. Hoc est, *cæli & terra Dominus*. Vel omillis alijs *Cim ciu*. Quod *Verum Dominum*, mille retrò ab annis significabat apud Sinas, florente in iis Christi fide, legebatùrque in effosso non pridem, vt dixi, marmore. Sed quæcumque istarum vox in communia omnibus probaretur, huic reliquas omnes volebant cedere, illasque adeò, quod erat consequens, *Scianti* & *Tienciù* ex libris eradi qui per omnes regni Prouincias absque numero legebantur; & quidem factò à Riccij libris censuræ principio, quem fratrum quidam adiutorum ex Iaponia orti, ardentè magis, quam intelligentèr impugnabant, quod.

ex proposito vocabula poneret ex antiquissimis Sinarum deprompta codicibus, quæ longè aliud in eorum Iaponia sonarent, ubi nec Confusij suggestus, nec Literatorum ordo genuinam & veram, sed Bonzoriorum scæ idolis inquinatissima, vocum illarum vitiosam dictabat intelligentiam. Opera Riccij vilo modo attingi vetuit Societatis Præpositus Vitellescus, nisi suis ante rationibus probatis, facultatem ex se modumque impetrassent. Ex alia parte, qui oppositum sentiebant, *Sciatis*, & *Tiençiu*, asserabant esse tam propria, ad ingenerandam Dei noticiam nomina vt nullis possent aptioribus mutari, habebantque à se præter solidas rationes, Christianorum Doctorem meditata, & firma suffragia, qui non satis coquebant animo externos homines plus sibi allumere in germana librorum Sinensium, vocumque explicatione quam ipsos Sinas qui vitam in iis studendo contriuisent. Possessione annorum quadraginta quinque merito deferendum quibus voces illas nec idolo tribuisset quisquam, nec animanti cælos virtuti cuiquam naturali, & elementorum materiam formanti (quod falso Literatis aduersarij impingebant) sed Enti supremo, existenti per sese atque à se ipso, Creatori omnium, & conseruatori. Multorum vtrimque occupauit styli hæc controuersia, mutuisque vicissim permisit iudiciis. Impugnantes *Sciatis*, Ducem habebant Longobardum; propugnantes, Vagnonium; vtrumque Sinensibus literis excellentem. Longobardus in Sinis annos vixerat triginta duos Vagnonius quatuor & viginti, sed annis inferior, argumentorum vi, & rationibus vincebat. Nihil tamen actum est hac styli armati concertatione, nisi quod acutis responsionibus, componendæ litis aucta est difficultas; eam ob rem Chiatinum Hieronymus Rodriguez pro potestate cogendos censuit, vrbem longo secessu à suspicionibus in exteros semotam, vt illic certius inuicem audirent, quid quisque sentiret? quid esset omnibus sentiendam. Neque tunc primum Patres ducentis, & multò pluribus conuenerant leucis, vt expedirent inter se dubia perplexæ ad conscientiam definitionis, & de idoneis viderent subsidiis ad profectum Sinensis Christianitatis, quo fructu præclare tantorum itinerum locatos ab se putabant labores, & discrimina viarum. Nos tamen laude hac dignantur boni viri, ab Societatis incunabulis assueti, sic de illa sentire, ac scribere, vt nullos Dei Ecclesia viderit segniores, & magis ignaros Euangelij Ministros, quàm qui ex nobis Sinas, Cocincinam, & Tanchinum illius prædicatione imbuerunt. Quam laudem ab iis nihil addubitamus fore nobis constanter perpetuam atque perennem, cuiuscumque operi admouerimus manum, si modo aliquid grande sapiat, & illustre. Verum enim vero in præsentem si quid à Patribus peccatum, immoderatione profectò laboris peccatum est, quæ Trigaultio, & mentem, & vitam abstulit, hæud quidem scientiæ, aut ingenij æmulatione, cuius in illis hominibus ne umbra quidem notata est. Sed religionis vtrimque graui metu, his quidem anxie diligentèrque

diligenterque cauentibus ne conciperetur Deus occasione nominis minus dignè; illis verò ne profeminaret emendatio superuacanea, quod nitebatur euellere. Menlem tenuit hæc disputatio multarum quotidie horarum. Erant enim scripturæ Sinensium rationibus addendæ, indaganda illarum sententia ex germanis illarum principis quæ recentiores sectarum auctores à sincera & certa Confusij doctrina deflexerant; sed has nihilominus tam longinquas moras & streperas, consecuta est solùm caritatis concors integritas, in opinionum discordi sensu; Cuius tamen pars vtraque contentionem mutuo laxavit in Scianti voce, adiuncta illi ex communi suffragio, explicatione qua in publicum edita, eximerentur à falsa de Deo existimatione, rudes, & simplices; sic finem certandi ambæ partes fecere, quærendi nequam. Et hinc vulgatum extra Sinas, hociudiciorum dissidio, scissos dissidentium affectus, quare Palmerius Prouinciæ Inspector ex India missus, adeundos sibi eos statuit intra Sinas, & cognoscendum coram de re controuersa, etsi aliæ non deerant, de quibus postea, profectiois causa. Totos igitur emensus Sinas ab vsque Macao Pechinum, de cõsensione animorum mutua inter nostros scripsit his verbis, sed Lusitanicè, ad Præpositum Generalem Mutium Vitellescum. [Quartam, inquit, causam quæ me ad Sinas lustrandos impulit dedere tumores late sparsi, (quorum etiam apud me suspicionem non satis expurgabam) illic nostros omnes inter se animis dissidere, & discrepantiam sentiendi de vocabulis quibusdam ad Dei naturam exprimendam & pauca fidei mysteria, transisse inuicem in discessionem voluntatum; re tamen vera nihil tale comperi, sed omnes mutua inter se beneuolentia coniunctos, & mixtos licet ex Italis, Lusitanis, Belgis, Germanis, & Polonis, peculiarem erga suos affectum præferre neminem. Hæc de animorum concordia quæ tanti nostra refert. Opinionibus vero sic dissident, & errant; vt velint omnino controuersarum quæstionum, solido aliquo firmari vacillationem; miratúsque sum vehementer, tam diu tam aspera pertinacique disputatione, nihil exasperatos, ac ne turbatos quidem tranquillæ beneuolentiæ affectus.] Hæc Palmerij literæ; qui ne diuturnæ altercationis periculum auget longinquitas, compositurum se ratus est litigantium linguas, cum ingenia non posset. Graui ergo præcepto vetuit, Sciantis vocabulum à quoquam vsurpari, quod profectò non fuit licet componere, sed partem illius, & quidem inauditam, silentio damnare; quæ Romæ tam solidè, ac Theologicè causam suam probauit, vt restituta sit appellatio Scianti in possessionem, adiuncta potissimum explicatione quæ pacto vtrimque nuper Chiati decretata fuerat.

Iam hisce tot motibus nihil quicquam tardatos, turbatòsve progressus Sinensis culturæ, palam fecit messis, nunquam ante hunc annum, vberior. Sciantis Prouincia quingentos Vagnonio & Iacobo Rhodedit, in quibus Literati primariæ classis duodecim; Scorsum Vagnonio ducentos

ducentos pagi quidam, in quos excurrere maluit, quam incertis spebus cum Prorege quodam commorari, quamvis id plurimum rogante. Illic in visendis, promovendisque Christianorum cœtib; quos pridem fundarat, novisque fundandis erat perpetuus; domos quatuor sanctitate venerabiles effecit sacrificio diuino in iis celebrato; Christianorum cœtib; totidem, templorum loco assignauit; sacrarum imaginum, & piorum librorum suppellectili qua potuit instruxit, commisitque Dominis ædium suas vices ut qui virtute, experientia, & Christiana doctrina præstabant cœteris, illos excolerent diligenter omni studio pietatis. Porro in Prouincia Sciansi magnam habebat Christi religio ab ethnicis quoque venerationem; quam iis mouerant repentina illorum supplicia, lepra faucium tumor, subindè mors, qui ausi essent in Christianum ludere, inuehi, machinas necere ad eum euertendum; auxerant eandem venerationem, beneficia cœlitus ad Christianorum preces publico donata. Inter quæ illud fuit quod precante ad sacrarum imaginem de gribus pago, obnubilatum ex templo cœlum, copiosa pluriæ irrigatione fata recreauit magno tubore sacrificulorum qui suis simulachris, quò supplicabant clamosiùs hoc serenabatur cœlum calamitosiùs. Accessit præterea mulier simplex & rustica, superiori anno futurorum & occultorum cognitione instructa diuinitus; & Vagnonio quidem iuitio suspecta, verum Ecclesiæ sacrosanctæ, & discernendorum spirituum accuratissimis regulis probata, vitæque insuper innocentiæ cõperta, & Christi amore, suisque despicientia insignis, existimata est simplicitate illa mentis Deo placuisse, visaque idonea quæ prævisione & scientia arcanorum auget gloriam nominis Christiani, & confunderet pudore veneficos qui fallaces diuinationes à dæmonibus eadè emptas cariùs venditant curiosis. Mihi de cœtero Christianos huius Prouinciæ, illorùmq; virtutem eximiam prolixitate rerum amputata, prolixè videor narraturus si dicam eiusmodi fuisse ut vel solus aspectus fecerneret illos ab ethnicis, & discrimen eius quod ante baptismum fuerant, & quod erant, character esset, quo tanquam frontibus impresso distinguerentur ab omnibus cuiuscumque sectæ mortalibus, adeò ab iis erant, & seipsis diuersi, pudoris ingenuitate, loquendi modestia, & agendi, omniq; specie virtutis quàm compositio animi constans & stabilis solet exteriùs prodere. Sed eminebat inter familias, Stephani Literati domus genere illustris, virtute venerabilior, hic ut pridem norabam, in eam Prouinciã Christianismum induxerat; huic Ghianeci in patria, ad habitandum aedes, ad diuina peragenda templum debebamus, quod ipsi nomen ingenti cum fenore exsoluit Deus, remuneratione dignitatis, vltra quam cuperet maioris. Nunc ad fores eius tertio quoque die, luculenta silens concione Christiana se charitas mirè commendabat, illic enim dum fames vbique immaniter sæuiter centum pauperibus præbebat victus, eratque tunc idem mendico pacem dare ut vitam illi in eum diem producere. Quæ liberalitas ut esset

Z. z. z.

44.
Mulier Pro-
phetis &
Neophyta.

45.
Sponsalibus
orn. altare
ornans.

in Deum largior, ne domi quidem necessariis parcebatur. Filiam sibi virtute simillimam desponderat nobili de stirpe Regia, urbem illam au-
doritatis, & opum suarum reuerentia continenti: misit is solenni nu-
ptiarum die dotale ad sponsam, splendido apparatu munus; supellec-
tilem vasorum ex auro & argento, & vestes arte præcipua laboratas;
sed templi fabrica Stephani curis sumptuque perfecta: gynæceum ip-
sius, aptandam visibus, & ornandam ad diuinum sacrificium sibi sum-
psit, Stephani filia negans decere, vt Christi altari, niteret ipsa ma-
gnificentius, argentum à sponso acceptum, vestemque pretiosam die
ad hoc selecto in templum attulit, matre comite, ac turba propin-
quorum, Deoque consecrans, tenuitatem doni, voto suo minoris, ho-
nesto rubore excusauit. Gemina huic fuit Doctoris Pauli liberalitas in
Deum: virum fortem Gueicunus, Rituum tribunali, aulaque omni
deiecerat; Rex nouus illico reuocauit, magna sagacitatis suæ laude in
perspiciendis suorum meritis; nec restituit modo pristino gradui, sed
adsciuit sibi in quotidianum ethices Præceptorem; cuius beatitate
muneris, inter Mandarinos nemo sui sat compos gaudij durasset, Ma-
gisterij tanti stipendium, Paulus integrè in templum conferbat quod
habebat Pechini Societas, decorabatque illud munificentia singulari,
Christiani verò Gueicuni terroribus diu solitarij, nunc cætus sacros
repetere; Patres oppida, verbo Dei, liberè lustrare; & sodalitem
proborum hominum Pechini cogere, quorum instituti beneficentia, in
ægtotos, egenos, & mortuos incumberet penitus, cæteraque officia
misericiendi Christianæ, cui suo quoque detracta victui propensè in-
dulgebant.

Nec Pechini solùm, sed Regno vniuerso, Christiana res melior hono-
rator miraculis, cultura feracior, & nouorum fidelium numero extitit.
Chianco scribens Iacobus Rhò, [in hac, inquit, domo, quingentos
circiter mecum Vagnonius annis singulis baptizat] & excolebamus tunc
stationibus vndecim, octo Prouincias, quibus præter spem omnem
Sambiasius duodecimam adiunxit in Prouincia Honana. Quam Sinæ,
mundi umbilicum propterea iactitant quod sita sit in regni medio, extra
quod vix mundū vsquam putant. Sed hæc Geographi viderint; certè nulla
in Sinis, aut Europa, vel amoenitate vel feracitate, delitit vltè felicior,
ob hoc olim sedes imperij, quam illic in vrbe Caifun regionis eius pri-
maria, idcirco Reges locauerant, quod sex vndeque muniretur,
& defenderetur Prouinciis. Ad cæli beneficam, solique indolem, re-
cedit agricolatio tam solers, & diligens, vt hortorum speciem represen-
tet. Septentrioni Metropolis Caifun, triginta sex gradibus subiacet,
leucis duabus à magno flumine Hoano flauo, cuius eluuiouibus in-
sanis aggerem obiecit, murum è secto lapide immanem, milliarum
triginta septem, magnificentia apud illos fidem minime habiturum,
qui nisi de suis æstimare non norunt extranea. Iam ædificiorum super-
bia, deliciarum reliquiis, & sanguine Regio familiarum quadraginta,
præferbat

præferbat adhuc nobilitatem præscam veteris Regiæ, prognati enim Regum stirpe, splendorem Principum, & opes semper obtinebant. Sed ea hortorum amœnitate cultissima, nullum erat in Sinis horridius, & miserabilius desertum, Prouincias cæteras aliqui saltem illuminabant Christiani quos Magistratum, & commerciorum vicissitudo in eas induxerat, frequentissimam populis Caifun, beatissimam inani, & temporaria faustitate Honanam Prouinciam ne vnus quidem: Petrus quidam mercator fratrem illic habebat ethnicum, Procuratorem rei suæ, qua per se interdum inspecta Chiancum redibat in Prouincia Scianensi, qui vt erat vir sanctus, Caifuni vrbis infelicitate miserè torquebatur, optassetque maiorem in modum, è Patribus aliquem eò perducere; cum eius vna & Patrum studijs diuina bonitas annuit, & propitios oculos in calamitosum populum per hæc fortuita, nequaquam fortuito aduertit, Sunchiani Franciscus Sambiasius periculosè negotabat; accurrit ad eum, pro Societatis charitate Iacobus Rhodierum itinere viginti, per alpium iuga, & syrtes niuium, & cognatam locis barbariem hominum; passim degentium, qui erucendo, & coquendo ferro suas operas locant. Receptis Sambiasius viribus, tubulatus est malignitati eius cœli, missusque in Prouinciam Scianensi, eò dum pergit, Caifuni, auspiciato incidit in Petrum qui fortè tunc venerat negotiorum causa; & cum illo agens de sementis opportunitate in ea Metropoli faciendæ, decreuit Sambiasius, in omnes euentus Deus, experiri per duas hebdomadas, possetne illuc veri Dei, & æternæ salutis noticia ingeri; at enim ægrè se in conspectum dedit, cum sparsus per urbem velox rumor, adesse Literatos ex peregrinis illis occidentalibus, quorum vbique gloriosè volitabat nomen, plurimos acciuit ad eum visendum Literatos; ille natura, vsûque annorum iam quindecim ad comitates Sinenfium procerum, & elegantiani sermonis mirè factus multorum sibi adiunxit studia, quos dato mox sui documento in scientiis Europæ, & cognitione veri Dei rerumque æternarum, æstimatores nactus est præclaros, & ambitiosos eius retinendi; rogare itaque ne porrò pergeret, Caifuni figeret stationem; fore illic ipsum in ea gratia, & honore, vt urbem aliam non esset desideraturus. Quid plura? conducto tugurio, se, resque Christianas, trimestri ensim velut aliud agens, cœpit explicare. Illo in spes futuras attentæ patientiæ lento ingenio, quod missionibus inter Sinas fundandis, plus omni ardore valet ac proficit. En autem sub hæc Mandarinius ex aula Pechinensi, noua insignis Præfectura, præter omnem expectationem Caifuni Sambiasium offendit, sua cum incredibili voluptate, vt pote olim notum, sibi que intimum; & viri virtutem, ac literas deprædicauit primoribus ita magnificè vt Princeps de stirpe regia, conductitia eductum casa, suis quibusdam amplis in ædibus locarit, quas non fastidirent Principes Mandarini, exin paucas sibi horas retinuit. sui iuris, aucto in dies illorum numero qui aut illum adibant, aut

adiri ab eo volebant. At ecce paulò post alter item ab aula Doctor Mandarinus Sambiasio in paucis amicus & noua latitarum seges, sed minimè sterilis, domum hi duo suo sumptu coemptam Sambiasio donarunt, eo fidei Christianæ fructu quem captant Patres ex Mandarinorum amicitijs, etiam ethnicorum. Sic illam nuper Colaus lé in Fochinensem induxit Prouinciam; sic isti duo stabilire in Honana. Horum auctoritas diplomati par Sambiasio fuit, cui contendere aude-
ret nemo prædicationis diuinæ facultatem, quando ad hanc solum Caesum habitationem à Mandarinis acceperant. Crescente in publicum, maximè apud Literatos; qui sunt vrbs eius columina; opinione pericultri de Sambiasij dotibus, paulatim illi de Regio sanguine Primates, fastum ponere quo tument, visere aliqui, visentem nonnulli excipere; ipse, aula ut sit aduentantibus parata, post serupulosas salutationes de illo respondere cuius in altari eminens imago querendi statim, & loquendi sicbat occasio? de Christo scilicet Redemptore; nec erat inter Mandarinos, & Regis propinquos, qui filij Dei quem exhibebat effigies audita maiestate, non veneraretur illam quater proiecta humi fronte. His Petrus initiis gestiens tam faustis, primum cœpit ex iis præmium impensæ in illa operæ. conuersionem fratris negotiorum suorum, quem dixi, curatoris; qui multis sanè magnisque obicibus perfractis ad baptismum euasit, & Paulus nomine primigenius fuit renascentium Dei filiorum in Prouincia Honana.

47.
N. Trigaultij mors.

Tam lætis ad Dei gloriam nuntiis mirabiliter affecti Patres qui distractis in Regno sedibus agebant; penuria hominum breui post grauiter doluerant, quibus tam vberes crederentur ad frugem campi. Duos enim hoc anno amiserunt Belgam utrumque Duacensem, tristi utrumque morte, & calamitosa. P. Nicolaus Trigaultius nostri æui Vlysses, milliariū triginta millia in obsequium fidei emensus, instabat nihilo segnus ad eam inferendam in Prouinciam Sciansi; scripturam, & linguam Sinarum elegantiore, immenso labore sibi fecerat expeditam, cuius laboris pars fuit voluminum lectio centum, & viginti (quibus inquit, Sinarum historia clauditur) eorūque Latina contractio, quam in Europa edendam, perduxerat ad ducentesimum Christi annum, scribensque anno 1627. ad Cardinalem Parmensem, molis exiguæ operosum laborem nominat. Absoluit præterea quod olim Riccius, & alij cœperant, Christianum festorum abacum, ex lunaris Sinarum Calendarij vsu ductum; quibus in voce Scianti propugnanda, extraordinaria ingenij contentio tunc superueniens, abalienatum mente, improuisò extinxit, annos natum quinquaginta, duos, ex quibus Societati quatuor & triginta, Sinis octodecim dederat. Lamentabilius Petrum Spiram lœxit vrbs Nancian, à Prædonibus necatum, grandi missionum Sinensium iactura, vitæ scilicet anno vix quarto & quadragesimo, Sinensis commorationis sexto & decimo. Necis modum & causam, confessione iuridica prodidere ipsimet qui interfecerant. Regebat Tunscianum Huguana Prouinciæ op-

pidam Mandarinus Puon Simon, & rogat Patrem qui nostris præerat Nanciani, ad se aliquem mitti qui se Christi Iesu anniuersario natali, suamque familiam sacris mysteriis recrearet. Redibat tunc Spiræ ab excursionem ut valde fructuosa, sic & ærumnis & vitæ periculis constita. Loco tamen quietis admittit iter illud dierum sedecim media hyeme, cum Nancianis ciuibus duobus qui se vltro illi comites dedere. Venerat ad Chianum, qui Huguanam fecat Prouinciam, & quinquiduum aduerso amne nauigarat ad vigesimum Decembris, qui vitæ vltimus illi fuit. Sacram enim secum supellectilem cum ferret, ara portatili satis grauem, argumentatus est nauicularius ex eo pondere, thesaurum aliquem; & tentata clam noctu sarcina, cum tactu in calicem incidisset, facile sibi finxit omnia illic esse argentea. Crimen nihilominus distulit quoad latrocinij socios, & nauiculariæ inuenisset, quibuscum de loco, de modo, de articulo patranda sceleris; & partitione prædæ pactus, nocte S. Thomæ solennibus præuia recedit in medium anem, tempus agi rem iis innuit; irruunt è vado ut videri volebant improuisi, manibus ferreis correptum nauigium inuolant; strictoque acinace in Spiram, & comites tam crudeliter sæuiunt, ut stens proditor ipse clamitaret, ad prædam condixi, non ad cædem; inhibitorque nunc huius, nunc alterius ferrum, sed nisi irritum; cum par esse vnus, septem percussoribus non posset. Multis concisos vulneribus, in flumen præcipitant, ripamque relegunt ad diuidendam prædam, tribus viricim nummis scilicet opulentam, adeoque promissis ditibus minorem, ut parum, abfuerit quin proditorem discerperent. Latuit aliquamdiu crimen, Nanciani Spiræ cum Mandarino esse credebatur; differri eius iter putabat Mandarinus, quo tandem promissum iteratis literis exigente attoniti Patres, male actum cum Spiræ diuinarunt. absque mora famulum eò mittunt cum ingenue innocentie Catechista, sed magni animi puero, cui tri-duo prius quam Tunscianum perueniret obiecta est species, tam certis ad viuum expressa notis, ut se arbitraretur vigilare. Spiram cernebat, & comites; replicatis in pedes, & brachia funibus adstrictos, plagis hiantibus, & multo cruore manantibus laceros, quales denique Sicarij perfidi merferant in flumen præcipites. Quare appulsus Tunscianum, Mandarinus refert dierum numerum à profensione Patris Spiræ, subditque somnium quo se aiebat luctuosissimo afflictum. His dolore confixus peracerbo vir pius, nec iam de pattato facinore ambicens, homines suos cum puero mittit, qui manus suæ legitimo syngrapho perscriptam sceleris accusationem ad Præfectum deferrent eius pagi, cuius erat nauicularius, Spiræ vector, & proditor. At is dissimulato discrimine, negant in sua Præfectura tam atrociam patrari, recusantque de causa cognoscere. Adit puer tribunal inferius sed æqualis ad causam iurisdictionis, & amore in Spiram Magistrum optimum querelas dictante, tam generose se ad pœnas obtulit, delatoribus positas si de-

stituantur iustis probationibus, vt instrueretur demum causa cognitio, quinque ex percussoribus caperentur, & proferretur eorum ex ædibus fascis promiscuarum sarcinarum; quæ dum euoluuntur apparet Spiræ vestis superior. Eius aspectu puer velut subito fixus telo, euolare, flere, complexu vestem, & vultu stringere, vociferari se Patremque suum infelicem! manus barbatas & crudeles quæ illum necassent! tam claris synceri doloris inditiis, vt nemini fieret suspectus iussarum lachrymarum quas habent semper in promptu delatores. Interrogatus nihilominus vnde ipsi constaret fuisse Patris ille am vestem, respondit fletu, accommodatam à se illius humeris centies, aliæque tam multa, quod exilita hæc minus dubia persecutus est, vt darentur ad quaestionem rei, & confessione singuli tum sua, tum focia conuicti, laniantur ex iis frustatim quatuor, profectione carniū lenta in ducentas aut plures particulas. Quintum minus reum sed criminis consciū mors breuior abstulit.

Atque hinc deinceps palam fuit quid sibi vellet prodigium, quod pagum illum diu terruerat. Vni percussorum in sortem cesserat è Spiræ sarcinis libellus, Christi patientis imaginibus impressus, ex quo is libellus in domum sicutij venit, nulla nox abiit, quin alterni velut animalium duorum supra eius tectum exaudirentur vlulatus, quoad liber aliud est translatus. Nanciani Patres rerum suspensos expectatione, vbi redox puer interfecti Spiræ fecit certiores, Christiani iuxta & ethnici persecuti sunt multis lachrimis tristem casum, viri omnibus tota vrbe chari. Decernuntur illi iusta funebria, mittuntur, sed frustra, qui corpus ad fluminis ostia requirant; paratur interea honorificè humando tumulus, in cassum omnia; post tot à cade hebdomadas nusquam repertum est. Sufficiendus illi accitit Macao ad procurationem Ecclesiæ Nancianæ Martinus Burgentius, & ipse Duacensis, & annos in Mexico iam quatuordecim operarius strenuus, verum vt interdum qui agunt feruentius, præsentia, & certa fastidiunt; prægrandioribus longinquis & incertis, & Deo fortè non ita placitis; desiderio fundendi in Iaponia sanguinis in Philippinas abreptus est, indeque Macaum, vbi vidit præclusos in Iaponiam aditus, noui potissimum, in vsu, lingua, moribus Iaponum & sagacitate illic necessaria; proinde sibi tantum bonis, & in vita pro Christo ponenda fortibus; nam longè diuersis Ecclesia illa inter erueiamenta tyrannorum egebat præfidiis. Lusus ergo spe sua, vexatam Iaponiam Sinis pacificis mutauit, vixque appellus Nancianum ægrotans obiit. Regis interea Sinarum iuuentus eximia luculentius in dies exerebat sese in ostenta fortissimi, sapientissimi, & æquissimi Principis, & eò velocior ad futuri iudicium populis quò visu obrusior, iurabat Sinis in priscum aurum rediisse tempora, quo narrant veteres eorum historiæ virtutem Regi eodem in folio dextram alledisse, iura populis cum illo, & in illo dixisse; legem imperij columen, vitam Regis fuisse, quæ potentius exempli sui iuauissima æmulatione sanciret leges quam iubendi potestate.

49.
Mira Regis
principia.

At senes præterito docti, futuris diffidere; & Regum duorum infelices, ex faustis ininitis progressus, fermè adhuc ob oculos gerentes, iudicium cæcè mandabant tempori an hæc iuuenis virtus, ex humili Regis, necdum emaculati delitiis, feruor solum esset egregiæ indolis necessitati commodatus, quæ mentis etiam impotes solet ad mentem reuocare. Vulgus profectò, stultus vates, nunquam alienius à vero quam de hoc Rege ariolatus est. Debet tamen illi Christiana res, & nostra Societas beneficium viginti retro annis, ingenti ambitu, & magnis contentionibus præliatum ex quo conuersiones ethnicorum secutæ sunt innumerabiles; quod est alterum è duobus caput hoc anno gestorum 1629. missis quæ ob sui similitudinem vix sine tædio repetuntur. Triumphabat Pechini Doctoris Pauli virtus, Magisterio Regio, Magistratibus omnibus veneranda cum prænuntiatur ab aula Regno vniuerso defectus luminum. Qui longè à puncto prædicti temporis euenit; Rex cui cordi erat perpetuitas publici ordinis, Mathematicos suos obiurgatione, minisque teruit, ipsumque cui subiacent rituum tribunal vbi retractatus eorum calculus, deprehensus est ad amissim cum Canonibus Astronomiæ Sinensis consentire, ipsi negligentia & inscitia culpa liberati; damnati erroris Sinarum Canones: rogatus à suis Rituum Collegis Doctor Paulus, consilio P. Terentij præstantis Astronomi, negotium suscepit, Regis idoneo placandi responso, sapienterque in futurum consulto: cui post sacra confessionis, & Eucharistiæ optatos exitus diu multumque precatu est. Laudabat itaque Collegij Regij vtriusque Mathematicos, eclipsis præteritæ vates, eorum calculum referebat scrupulosissima fidelissimaque accuratatione scientissimè collectum ex regulis, præter quas Sinæ nullas habens; eas tot sæculis à Mauris inuectas, fuisse iam inde à principio fallaces, errassèque à vero, sed tam subtili discrimine vt sensum tunc fugeret; post lapsu temporum continenter auctum in prædictiones eclipsion exisse longo spatio à veris semotas. Non esse hanc Astrologorum culpam, sed archetypos Canones, ductasque ex iis tabulas, & Calendarij Sinensis integrum abacum, egere soletti, doctasque emendatione. Nec eundem vltèriùs tunc quidem censuit. Pfobatam confessui rituum, scripturæ sententiam, de hinc libello ad Regem supplici Concinatam, Rex quoque approbavit, eique in hæc verba subscripsit. [cum Regulæ veteres astronomiæ computationis deprehendantur falsæ; corrigantur, conficiendæ rei cura penes rituum tribunal esto.] At enim reliqui tribunalis eius Mandarinis, omnem illam curam in Doctorem Paulum nihil ardentius cupientem, libentissimè excusserunt, quod ipse Patribus mirè lætus, gratulatum mox venit, quibus id muneris ad autoritatem, & commodum religionis dilatandæ cupide destinabat. Ad rem igitur pressius, libello altero Regi significat, non posse tam desideratam, & necessariam Astronomiæ Sinensis emendationem haberi perfectam nisi Patribus Magni Occidentis ad eam adhibitis, quorum in omni genere doctrinam diu ac sapius perspectam laudabat,

50.

Ex falsa præd. eclipsion, reformatur Calend. magno Christ. bono.

laudabat, præsertimque in astronomicis, tum Sinensibus, tum Europæis, ex quorum mutua comparatione & conflictu facillè iis foret erroris fontem detegere, certoque, suo ac stabili computationum modo, exerrantem Sinensium calculum astringere regulis nunquam deinceps à vero erraturis. At hic mentio externorum aui Regis decreto publicè exulum, illos metu non leui perculit rituum Præhdes; Regi veritos indignationem, si ad nobilissimi operis absolutionem proponerentur eiusmodi homines, discutere hunc metum Doctoris Pauli argumenta, quibus auditis auctores fuere libelli ad Regem supplicis; intellectum est non obscure id negotium à Deo agi, Septembris vigesimo septimo, anni 1629. solenni Rescripto decernitur instauratio Calendarij Sinensis, amouendis ex eo errandi offendiculis, ope, atque Patrum Magni Occidentis, experimentis constantibus probata, volat in omnes Prouincias Rescriptam, armillatis aulae cursoribus, præcipitantibus de more quod Rex edixerat vbiq; nuntiare. Hinc magna statim apud omnes Patrum auctoritas, quos tanti Rex faceret, hinc postliminio libertas clarior, quam si forent diserta edictione reuocati; secuta vbiq; visendi, & gratulandi nobis prolixa officia, paulò interea Doctore Rescripti executionem ita festinante vt in fidei sacrae propagationem quam latissimè funderetur. Ad hoc votis illius afflante benignius Deo supremam obtinuit in Calendarij negotio potestatem, vni, seclusis quibusvis Mandarinis, Regi obnoxiam; singulùm indicem illius potestatis, tribunal denique suo lectis arbitrio alicuiuslibet instruendum. Legit autem in primis Doctorem Leonem, & Philippum, ardorem spirantes religionis proferendæ; de ethiicis vero amicos veteres, & Christianis beneuolos; Longobardum & Terentium ex nostris Pechini degentes, quos in Regis adscripsit familiam, eodemque alendos comitatu sanxit, quo ante exilium fruebantur; fundendis demum fabricandisque organis locum iis, artifices, & pretia operum parauit. Fuitque diuini planè consilij quod munus tantopere expectatum differretur nobis in annum vicessimum & vltia, quo præstantes in astronomicis habebamus non paucos, & librorum ad hoc idoneam copiam, quos Trigaultius tulerat ex Europa. Præter hæc Doctores Leonem, & Paulum, experientissimos in illa omni Sinis vltima dimensione cælestium motuum, qua per Calendarios abacos regni vniuersi negotia omnia digeruntur. Estque peculiare per se ac proprium inuentum, à nostro alienissimum, nedum vt ab eo traductum sit, Quod missæ huc inde tabulæ testantur, nec illud ex nobis potest batur vt transformaretur in nostros Canones, sed ex iis emacularetur, omnique in posterum errandi periculo purgaretur. [Fauebant quoque tunc operi, & Doctori Paulo potentissimi Mandarini, & amicissimi, aduersus ambitum inuidorum, quem fregit paulatim, & cunctatione non segni superauit. Licet autem bello sauiens Tartarus, & infausta Sinis in eum prælia, & Doctoris Leonis, & P. Terentij obitus, cæpei negotij

negotij ardorem tardauerint, verum suos tenuit progressus quoad in-
 opratum, vt post videbitur, desineret. Nunc styli compendio, exhiben-
 dum occurrit Patris Palmerij toto Regno iter ad inspiciendas pro-
 suo munere nostrorum vbique stationes aut diuersoria; in quo vir pru-
 dens eximie censuit quæ esset illis mandaturus, duci ex iis quæ vidisset,
 & re præsentī oportere. Nec fide illorum niti qui Sinas imaginarios
 dum animo voluerent, multa suadebant, veris quos nunquam aspe-
 xerant Sinis obfutura. Valdè tamen habebat sollicitum qui tandem
 fieret vt ager ingenuus, & paratissimus ad frugem, cultura insaper,
 & semente annorum plus quadraginta exercitus, conuersos ad fidem
 non millionibus, sed parçè millibus muneraret? cum cur ad Christum
 tam pauci præ aliis transirent Literati? post ad Ecclesiæ incrementa
 cui bono professio, editioque naturalium doctrinarum? etsi enim mul-
 ta de diuinis non erat nescius à nostris edi, cur non omnia? demum
 illa visendi, reuisendi que in sericis, paratūque splendido Rituum vrbi-
 corum, cum Mandarinis officia mutua, & dona, Palmerio ægrè sapie-
 bant. Hæc utroque versum scrutaturus, Gonzalo Telleira se dedit
 comitem qui ad Regem Sinarum tormenta decem muralia, & librato-
 res eorum quatuor Macao peruehebat; nec euasit propterea ærumnas
 itineris, semper extraneis inuisi. A medio Decembri ad Februarium
 excurrentem, absolui Quanceo non potuit, partim solus ad nauigij labur-
 ram latens, duransque illic frigidam hiemem homo annorum sexaginta;
 partim haud multò commodiùs cum aliquibus Lusitanis in cenobio
 Bonziorum, ex quo tandem liber, Pechinum vsque omnia lustrauit,
 vbi cumque essent Christiani, vel homines de Societate; nihilque omi-
 sit quod boni Pastoris prudentiam vigilem deceret. Quam ei diligen-
 tiam reposuit Deus animi voluptate præterquam metuerat singulari;
 cum in nostris, & in Christianis, eorum ex cultis disciplina omnia
 comperit, omni sua expectatione meliora, de quibus ad Præpositum
 Vitellescum multas dedit Macao literas; nam occupationibus nostro-
 rum quas suspicatus fuerat iusto leuiores; fateretur addi nihil potuisse
 quod absque miraculo tolerabile ipsis foret; harum specimen cepit ex
 anu sancta, quæ marito Giancci, ob decrepitem senium incipiente vi-
 ribus & vita defici, vnum ex Partibus euocarat, qui postremis sacris
 consolaretur moriturum, narrabatque flets P. Visitatori accurrisse illum
 milliaribus bis centum viginti (quæ viarum à nobis vbique longinqui-
 tas, multò illje pluribus quam apud nos infesta periculis, quotidiana-
 nus erat nostrorum labor) eius vero aduentu maritum immensa perfu-
 sum lætitia, ritèque ad mortem comparatum; dixisse, illa ipsa nocte
 paucas intra horas, euolaturum se in cælum. Quærenti vnde id disce-
 ret? ex meis respondit oculis, cubiculum video, intus forisque beatis
 stipatum geniis, qui me præstolantur; nec miror à vobis non cerni,
 eum vestra causa non venerint, sed mea, vt me ad Deum deducerent.
 Ac de viso quidem lector sentiat vt volet; certè dicta hora bonus senex

51.
 Visit. nostro-
 rum in Sinis,
 omnes repe-
 rit in officio
 &c.

placidissimè obiit. Quòd autem messe tam avara, & Christianorum numero tam angusto, pensaretur tantus agricolarum labor causam facile intellexit, cum expertus agnouit cuiusmodi animal apud Sinas esset Extraneus; scripsitque, hoc solum tam diuturno sudore si nostri promouissent, ut liceret eis in Regno Sinarum otiosè sibi, ac placidè viuere; debere in Europa videri incredibiliùs, quam si cohors Turcarum, ex hominibus constata in occasiones omnes promptis manipulatim aut viritim, domum sibi Romæ, passimque Primariis fidei sacrosanctæ in domiciliis poneret; sana Mahometo, & populum faceret; communicaret consilia cum gentis eiusdem, legisque sociis extra Regnum, ex quo intestinæ coniurationes, & irruptiones externæ timerentur: grauiùs siquidem externos apud Sinas suspitionibus laborare, quàm Turcæ laborent apud Christianos, & ingrauescere illas vicinias Macai, & Lusitanorum, Philippinarum prospectu exemplisque Malacæ & Indiæ, quæ suis olim subiectæ Principibus, nunc extraneis parebant. Hinc item cognouit, quanta nostros egisset necessitas ad professionem Mathematices, & Moralis, quibus eam sui fiduciam, & opinionem Doctrinæ fecerant Mandarinis, ut supercilio posito, quo legem Regni præcipuam aduersus externos seuerissimè æmulantur, eos secum habere cuperent, defenderentque ab aduersariis. Horum sedecim dies Pechini spectator Palmerius, & attentissimus Inspector non tenebat scilicet præ gaudio lachrimas, cernensque regni primaria capita, ædes nostras visendi officis frequentare; templi exitum, & ingressum, Christi Redemptoris adoratione quadruplici colere, cuius in altari extabat effigies; & autem Patribus auidè præbere; urbanitates has mutui honoris & aditionum alternarum tanti didicit nostra interesse, quanti Mandarinis habere propitios, aut aduersos. Laudauitque in iis etiam nostrorum habitum cultiorem, quem paulo ante suspectum habuerat, ut qui excipiendis visentibus omitti absque illorum iniuria non posset, adhibereturque ab omnibus omninò Literatis, sed peculiariter à nostris ne quam Bonziorum speciem præferrent: nec vetò decere ex nostris ritibus integrum Regnum fingi, in quo nullum censeretur indigniùs venia, & iniuriosius facinus, leui etiam inurbanitate. Cæterum lustrandis Prouincijs tam multa passus est Palmerius, ut sibi propiùs vitæ finem, quam itinerum instare, non rarè crederet: inspicendis itaque vastissimis tractibus, in Prouincia Sciansiensi, Honana, & Sciansiensi, vices Sinas commisit Vagonio, ipse interea capitibus tredecim, articulos digessit centum sexaginta, partim veteres, partim à se conceptos, omnes ad vsum maximè oportunos, experientia probatos annorum quadraginta quinque, & suffragio commendatos antiquorum operatorum: eò illorum spectabat summa, ut operarium Sinensem de Societate, effingeret religiosa disciplina, & Apostolico munere perfectum, in quo ad illas descendit minutias quæ in exemplar commune propositæ, nihil à se diuersum eorum arbitrio permittebant

qui

qui noui quotannis Macao aduenirent. Sub hæc Inspectoris officio decem ferè mensibus perfunctus, Octobri medio applicuit Macaum anno 1629. vbi Cocincinæ difficiliora negotia eius aduentum operiebantur, quæ parum lætam nobis materiam suggerent. Erat illic eorum qui primi Christum prof. ssi fuerant, obseruatio euidentissima, ex quo illuc Patres Christianismum induxerant, qui nunc magnis florere incrementis, restoruisse pariter ethnicorum aduersus idola cultus sacrilegos; antea vix templis maioribus, desperatisque rebus in opem vocata; nunc ægrè arborem, aut saxi cauum Dei alicuius sigillo carere; quæ loculamentis manu rustica incisis bubalorum Pastores insererent; adirent, inuocarent, prostratis humi corporibus adorarent. Iam spectra dæmonum, iam scæda cum iis familiaritas, responsa, præstigiæ, occupationes corporum & similia olim crebra, nunc prope continua, mitis modis infelices terrere, ludere, lacerare; prouisione profus diabolica contra Deum incipientem Regnum illud ex inferorum tyrannide in libertatem asserere. Quantis enim accessionibus fidelium numerus à paucissimis operis augetur, inditio sit Rarana Prouinciarum ad meridiem prima, vbi diebus non plus quadraginta Sacerdos noster Pulocambi missus, ita Christianos in proposito fidei stabiluit, ethnicos baptismo lustrauit tam multos, vt Bonzius tantum non antea pro Deo habitus, à suis desertus, cogeretur victum opificio querere. Concertatiuncula de Religione, quam mouit Baubone in Prouincia Canghai, Manuël Catechista, & cui aderat Pater coram Magistratu, & populo, horis duabus ethnici plusquam sexaginta ad Christianos accessere partisque aliunde adiuncti lucris, numerum confecere octingentorum, & vndecim. Sinoæ cum Rege agens Buzomius, Primates quadraginta Ecclesiæ adiunxit, ingentes secum tracturos familias, & fundatos in ea Metropoli Christianitatem, ex nobilitate constitam regij sanguinis & Literatorum. Illis enim primis iam Cathecumenis, dum erudirentur, applicabant se alij, nec honorum gradu nec meritis in pares, parabantque se ad Christianismum, amouenda paulatim à se materia scelerum, quæ ipsi perperam necessitate vel consuetudine excusant; Christiani candoris integritas non potest admittere: ibidem Princeps illa fratris Regis mater, sex alios filios sacro fonti dedit, inter quos Virgo annum agens nondum viceesimum, cuius celsitas mentis, parenti Mariæ simillima, sperabatur fore, nomini Christiano maxime gloriosa. Ipsum Regis fratrem Christianismi pungebat ardor, sed Regis odia verebatur, quem vna quæstuum ratio Lusitanis, & Patribus fingeat beneuolam. Neophytorum porrò eiusmodi erat toto regno virtus, vt arbitrarentur Patres, fuisse vel decuplatis laboribus emendam; eorum aspectu Christianos ab Europa mercatores, pudebat vacui nominis, cuius vim, & exemplum in Neophytis mirabantur. Onerarias duas Lusitani ad oram Rarana Prouinciæ fregerant, enarantant vita incolumi vectores, sed lege barbara tum ipsos, tum co-

52.
Christianif-
mus in Co-
cin. miracu-
lis, & virtu-
tibus floret.

rum rem omnem, reiectamento maris & fortunæ dono Rex suo pro iure inuadebat. (Quod erat etiam in Iaponia, rapinæ legitimum) sed oræ illius Christiani, sprete legis inhumanitate accurrere, dolere vicem naufragorum, velut quisque in illis parentem haberet, aut filium; certatim illos sibi diuidere, domo colligere, & necessariis iuuare, tametsi ferè viles, & de turba nautica egenos, quibus illi sanctæ charitatis tam illustribus notis, malorum oblitum gaudebant propemodum tantum fuisse suum naufragium, præsertim cum suis oculis feminas cernerent, itinere bidui orizam sibi afferentes, quantum poterat vnaquæque capite sustinere. Tam liberali pietate resecti Lusitani, abire maturabant ne piis hospitibus periculum impiè crearent quibus veritum lege didicerant, naufragos tecto colligere. Neophyti contra negare constanter, prætermitturos se partem vllam occasionis propitiæ quàm vltro illis Deus obiecerat vt se profiterentur Christianos, nisi foret hoc ipsis sanguine luendum: naui denique appulsa quæ naufragos reueheret Macaam, viaticum illis, & quidem gratuitum, sedulitate ingenua certatim denuò intulere. Hosce profectò Rantanenses autem illud nascentis Ecclesiæ ornabat magnificè, quod Fideles omnes in cor vnum & animam vnã mutuo amore coagmentauerat; sed vbi agitur de prærogatiua virtutis inter Ecclesias Cocincinæ, dici verè id potest eximium aliquid singulas habuisse; & hoc ipsum fuisse omnibus commune, vt sua in aliqua peculiari dote omnes excellerent. Illud factis nouum, in morem transierat, vt acerba sui verberatione ægrotorum salutem à Deo poscerent, idque in ipsa ægrotantis domo: quos autem conatus adhiberent in conuersionem ethnicorum, breuitati condono, si vnum retulero. Quartum iam annum Antonius quidam, suis in Provincia Rantana paganis Christum suaserat, raro audire, nemine persuaso; pergebat tamen haud segniter, tacito sensu animatus, eò sibi laborum venturos fructus dulciores, quò differebantur morosius. Quæ planè spe sua abundè potitus est: Pagi Primores hominem adeunt, & fiçtè an verè, aut molestum exosi monitorem, spondent fore se dicto audientes, si quis Patrum illuc adueniens, eadem sibi confirmasset. Aliquantò post illis Antonius de Patre nuntians proximè adfuturo, ad eò frigidè oscitantèrque ab iis excipitur, vt promissã oblitum viderentur. Hic ille ad pedes Deiparæ quàm impensè colebat prouoluit ardentissimè ab ea multisque lachrimis contendit vt dilectissimi filij aspectus beneficos aduerneret in gentis illius cæcam duritiem, id illi esse per facile, se verò imparibus tantæ gratiæ exorandæ quas dabat lacrimis, multò plus sanguinis daturum, totidem suimet cruentas verberationes data fide promisit, quot suo ex pago fierent Christiani. Mirantes, paucas intra horas adest Pater, concurrunt velut ad maximè optatum; auditur & crebrò, & semper attentius; petendi baptismi facit initium qui erat ab eo maximè omnium alienus, Antonij frater, quinquaginta Dux equitum, bello, & pace bonus. Pagi arbiter, & caput senex

senex hunc secutus, ab ethnica vxore panè euerlus est, cum esset potestatis baptismo lustrandus, sed resumpto mox animo, vocatæque in auxilium Dei Matre, tantos sibi sensit infundi spiritus, non modo iis ut stabiliretur in tenacitate propositi, verum & coniugem, à cultu reuulsam idolorum, doni secum eiusdem sociam faceret. Inde octoginta qui erant in pago præcipui sacro fonte sunt tincti. Fueruntque prima hæc Antonij nomina, quæ cæpit alacer afflictationibus promissis exsoluere. Secuti sunt enim alij complures, Christianæ legis efficacia expognati, quàm in sanandis illic per Christianum hominem plebeium morbis cernebant præpotentem; eaque paucis aquæ lustricæ guttis, & crucis signo prodigia edere, quæ suis omnibus cum diis, & cantibus Bonziorum turba nisu irritò tentaret. Quod passim vbique obseruatum (erat enim suus cuiuslibet Christianorum cœtui, diuinus Medicus, *coramionum gratia* præditus) factum depressit ethnicorum, quibus præsto erant ad auguria diuinationes, maleficia, & præstigias, Magi & dæmones; sed euerues & cassis artibus, si quis præsens adesset Christianus: quàm & venefica eorum ligamenta extricabant, dissoluebantque Christiani. Basilius quidam Pulocambi Christianorum caput, mira potestate pellebat dæmones ex atreptitiis, appensa tantùm collo eorum cruce, factisque in ea reliquiis. Extat Thomæ cuiusdam in Ranranensibus Christianis, virtute Primarij, ad Patres epistola, qua se ethnicos triginta, baptismo parasse significat, morbis prius sanatis quibus tenebantur aquæ lustricæ sorbillo, verum, inquit, non ante, quàm sanctè promitterent se fore Christianos, & adhæsurus firmiter vero Deo, sanationis quam cuperent auctori, quam ille beneficentiam, ne bubalis quidem denegabat, ex quibus pauperum pendeat victus, quòd iis eadem, ut hominibus curandis necessaria vis esset; quam contestabatur semper, non suam sed diuinam; eisdemque ceteris in hominum animis diuinitatis sensus. Visis denique superum, & rerum cœlestium mirabilibus & crebris confirmabantur maiorem in modum Neophyti; at singulariter pagum Ranranæ Prouinciæ affecit puer, horis post mortem quatuor, in vitam excitatus piorum parentum precibus, & merito in Christi fidem minime vulgari.

Florebat numero, & sanctimonia Christianitas Cocincina, beneficio tranquillæ pacis cum anno cadente huius æui vicelesimo septimo, cæpit & ipsa defluere. Duobus potissimum annuatim diebus, Neophytorum pietatem instaurabant Patres, nascenti videlicet, & morienti Christo sacris. Ad eos Christiani diuturno vsu, & strenuo sanctorum operum comparabant sese, pro conditione mysterij quod venerabantur. Diem Parasceues Christo dicatum patienti, gemitu, lachrimis, Crucifixi adoratione, precationibus, & multo sanguine colebant à senibus iuxta & pueris, vltro seipso cadentibus expresso, ac ut effraenes quoque petulantelque lætitiis ethnicorum certis diebus bacchantium, exempli censura perstringerent; diem Christi natalem, pastoritio cantu, donis &

55.
Rex Concin.
cōtra Christ.
deceperit.

drainatis ad eius præsepè, celebrabant, ea populi expectatione, ve-
dierum sex pedestri, frigidissimoque itinere concursus fieret ad scenam,
illam teneræ pietatis, simul ad Christi Sacramenta. Verum enim vero
Cacianenses Christiani, maius aliquid audendum rati, nocturna his
lumina, symphoniam musicam, ignium iacula, explosiones catapul-
tarias maiore strepitu, quàm pietate addidere, quibus Mandarinum so-
pitem diu contra nos odium exarsit, templi enim nostri vicinia, tem-
plum eius superbum cultore vacuarat, solumque in eo se iactabat ido-
lum. Scitanti verò causam, tumultuosæ præter morem gratulationis
insusurravit in aurem dæmonium aliquod, Christianorum triumphum
esse qui Deo suo gratularentur victoriam de subacto ipsius idolo. Ab-
que mora igitur custodes corporis & multos, & pariter ethnicos, in
eos immittit, uturos omni barbarie & sacrilegio, idoli sui iniuriam,
quod etsi præter ius sibi arrogabat, satellites nactus est obsequentes.
Nox erat post mediam, & sacro iam alteri dabatur opera, Christia-
nis venerando silentio, & tacito fletu teneritatem mysterij iucunde
sugentibus, cum auditur foris sonus inconditus, conivita in Christia-
norum Deum sacrilega, & iuncta multorum ad terrorem vociferatio,
strictis gladiis in templum irrumpunt, & illam impressionis formi-
dolosæ pompam omnem in diripiendis collo sacris reliquiarum thesauris,
precatoriis coronis, & crucibus effundunt: post in detrahendis Chri-
stianorum tergo indignè vestibus, quas pro celebritate diei pretiosissi-
simas, pro tempestate perfrigida, singuli, ut solent, plurimas induti ve-
nerant; iis spoliis diuites, & ea impudentia sacri discedunt, multum
sibi de suo sacrilegio applaudentes. Die postero Præfectus urbis re-
cognita Mandarinum obiurgat usurpatæ contra fas potestatis; si quid
erat peccatum alacritate superuacanea inter Christianos, id suæ fuisse
iurisdictionis. Quid porro id esse potuerat tanta dignum vindicta? eius
nempe somnum catapultæ strepitu rupisse? nam, effusa gestire lætitia
cum per leges omnibus liceret, cur non etiam Christianis? adiecit huius
aliquam ex aulæ minarum speciem, quas à se falsa criminatione depulsi-
tus, Regem præceps contendit occupare, illius animum per se suosque
tot calumniis dementat, & sic infatuat, ut in Christianos, nec auditos,
sed neque vocatos, accusationis quin etiam ignaros, barbarè, iniuriolè-
que decerneret. Vltus seipsum pro animi rabie, sui que securus Mandari-
nus Cacianum se refert. Secuta est perfidum promulgatio iniquissimi
Decreti. Seniores cuiusvis toto Regno universitatis, Christianos palam Christo
profitemes, inquirunt, claudunt carcere, puniunt: hoc si timidius aut negli-
gentius præstabitur à Mandarinis, ipsimet castigantur. Qua edictione, non
dåmnabatur Christi fides, sed qui eam ausi essent amplecti: quo factum
ut hoc anno seculi vicesimo octavo, ultra quadringentos ad sacrum fontem
non venerint. Nec item dudum Christiani, urgebantur ad religionem
eiurandam; sed iis dumtaxat eius insignia vetabantur, cæteris publicis
festorum solennitas, notatæ crucibus domorum fores, & istiusmodi
cætera.

cætera, quæ pro genio Ministrorum, truciùs lentiùs sunt administrata. Pagis quibuldam Christiani re sua paupere profana & sacra spoliati; robustiores quidam probra, & carcerem, & familiarum clades, perpeffi sunt fortiter, celsè ignavi, & timidi satellitum minis, territantium ed ferociùs, quò præter minas nihil poterant. In iis quorum inuictum animum, periculi grauitas præstantiùs commendauit, merito ille memoratur, nunquam satis laudatus Scia Bin Paulus. Quærebant inter se solenni confellu Mandarinum, Rege malè affecto aduersus legem Christianam, quid consilij capere, quas ire in partes oporteret. De quo surgens Paulus ita perorauit, vt ex dicentis ardore, ac prudentia, minimè dubitarent pugnare illum pro causa veri Dei, & assentirentur plerique suaudenti: vni tamen præ aliis idololatræ obstinatissimo sic bilem mouit, vt cessantem dicere carperet, exprobraretque illi quàm inurbanè tam impiè, mactorem stipendij quo cæli Domino militabat; potuisse illum si ethnicus pergeret inter Mandarinum gradum assequi sublimem; nunc verò Christianum; Sciam iacere inglorium, & in classe illorum infima obscurum. Cui Paulus illicò, Malo inquit, Scia, & Christianus esse, imò & solùm Christianus, quàm Rex, & idolorum seruus. Cæterùm elapsis aliquot diebus Mandarino illi Deus censuram sacrilegam, amissionem gradus quam erat commeritus rependit; Paulo Christianam generositatem Mandarini honore quem Cauche nominant, hoc est Literatorum caput. Redibat ille tunc è legatione, quam ad Regem Siani prosperè sanctèque obierat; nam è sua tritemi vectores duodecim hortata suo ad Christum traductos, ita erudiuit, vt eos Siani Patribus traderet baptizandos. Accepto ab aula nuncio collatæ sibi dignitatis, ritu illam statuit inire, quo præ suo, nomen Dei veri splenderet illustrius. Vix habet aliud Cocincina maius, explicatione diplomatis Regij quonouus creatur Mandarinus. Vocantur ad eam Literati, & nobiles conueniuntque ad aliquot millia, suis omnes spectandi Magistratum notis, & officiorum, omnique magnificentie ostentatione; excipiuntur theatris vel capaei aula, vbi præ se ex vsu, musicorum chori, laudes Principum quatuor decantant Regis Sinarum antiquissimi filiorum; quos pro Semideis Regni fabula venditat. Profertur in medium diploma, & velut empyreo missum, colitur omnium veneratione; euoluitur denique, legiturque contenta, & clara, sed lenta recitatione, magno auditorum quasi ad sacra silentio. Succedit musicorum scena, triplo quam ante sonantior, & maior, Regisque tunc sceptro potentis diuina decora cantu, & carmine, vel narrat, vel diuinat. Sequuntur Diis Eucharistica; tùm gratulatio singulorum nouo Mandarino vetustis ritibus, exquisitis verborum nouisque formulis exhibenda, reponendaque ab illo singulis mendaciorum ciuilium mutua venustate. Paulus tantùm abest vt de pompæ huius apparatu detractatum voluerit; auxit quin imò illius magnificentiam, sed quicquid illi profanum inerat in sacrum conuertit. Aulam pretioso vestitam petasmate, altari medio consecrauit; altaris ornatus

14.
Creatio
Mandar. in
Cocincin.
magnifica.

55.
Mandari-
tus noui
pompa Chri-
stiana.

ornatus elegancia superbus; sablimis in eo imago Deiparæ, sub elabo-
ratissimo conopœo, accensa circum funalia; odorum largus, & suauissi-
mus suffitus. Ingressi locum Mandarini, mirati omnia, sed præ omni-
bus tabulam, nouitate arcana mysterij, & artis opere spectandam;
hinc Paulus ordiri quod meditatus animo fuerat; quæ Virgo hæc esset
exponere? quod eius archetypum? quis infans papillis affixus Virginis,
& Matris nihilominus intactæ. Postea illato de Veri Dei nouitia ser-
mone, de rebus æternis, immortalitate beata & misera, necessitate,
modoque humani generis redempti, sic illam commouit multitudinem
virorum grauium, nemo ut fuit quin imitatus præcunte pronolu-
retur infanti Christo in genua eiusque Matri sanctissimæ, & in re-
demptione illa partem sibi ab iis flagitaret, tum quater humili coepe-
ris proclinatione, fronte humum tangens utrumque adoraret. In per-
legendo autem Regis diplomate, & suspiciendo Mandarini gradum,
nihil nisi aut sanctè aut ciuilliter inductum; de Semideis Sinarum nec
uocem nec spiritum misit, septuaginta musicorum conductæ sympho-
nia; cantus omnes in pœsim de moribus figurati, & inuitamentis ab
virtutes; Regis quidem laudes nefas erat omitti, sed ex iustis Vesi,
rectique finibus descriptæ: intercalaris metri distinguendis cantibus re-
petiti hæc fuit sententia; Cœli Domino laus, cuius hodie monere
Mandarinus Cauche, Bin creatur. Cauche dignitatis est collatæ titu-
lus; Bin familiæ Pauli gentile cognomentum. Persolutis Paulus verba-
nitatum morosarum ritualibus officiis ad Patres adit, & vultus
quem in iis ægrè tenuerat posito sereno laxat animum dolori; miserum
se cum lachrimis vocat, ut quem nouo laqueo ab Rege irreuitum,
grati animi ratio, eius obsequiis arctius obligaret, cum è contrario
sibi æquè in votis nihil esset, quàm ut etiam Scizæ qualicumque abiecta
dignitate, priuatus cum Patribus Deo tantum, & sibi vineret. Ignor-
rabat nimirum quantum sibi bonorum noui honoris occasio, esset pe-
ritura, cum postea illum Christianissimi illustrem reum, Mandarinum
Rex deiecit, publica, ut infra narrabitur, deonestatum verberatione.
Nunc illo eiusque similibus auctoritate fisci Christiani, edicto Regio
non magnoperè terretur, sed palam ut ante impudè conspici, fruique
parte non minima pristinz libertatis; quam iis paulò post multum au-
xit aduentus onerariæ Macaensis. Lusitanorum siquidem oratorem,
comitati ad Regem Patres dno illius mansionis, benignè ab eo sunt
habiti, & ampla donati facultat. Caciari publicè habitandi, cui Marti
defuncti Principis Regina suggerente, accessit potestas Patribus vbi-
cumque vellent toto regno degendi. Sed horum numerum ad paucos
redegerat Buzomij raritas, cuius illum Palmerius arguit, quod ea quæ
sibi ardentè, & frustra postulabat, largiùs alijs donaret; nempe illum
vrebatur Iaponiensis Ecclesiæ sanguinariâ ruina, exemplis fortibus cum
verbis non posset, sustentanda. Duos ergo illuc natione Iapones, Eu-
ropæos tres misit, in quibus Maiorica Italus vir Apostolici pectoris.

56.
Iaponiam
Christi sup-
pliciiis ar-
dentem no-
ui operarij
petunt.

& sermone pridem Annamitici expeditissimus; paratam iis suo sumptu nauim Nauclero tradidit, quem ad oras Ranranas fecisse naufragium vidimus. Inter lachrimas diuersas mutuae saluationis, dolebat Buzomius mandato iubentium Cocincina se claudi, arcerique ab sorte cum iis capeffenda; gaudebant isti quod hebdomadam trium velificatione se crederent, Iaponiae oris, & vnâ carnicum manibus sistendos. Sed hæc vota illorum egregia Deus aliò destinabat. Multum maris emensu, vento insuperabili reflante Macaum compelluntur, vbi breui deinde ex iis duo obièrunt P. Baldinotius annos natus septem, & triginta; vnde viginti in Societate; & P. Machi Michaël Iaponius, homo virtutis exercitæ, & operarius infracti laboris; Cocincinæ reliquos & Tunchino Palmerius reddidit, abundè vtique perpeffionibus quas tantum deperebant explendos, Christiana re vtrobique, sed in Cocincina calamitosius afflicta; quæ clades proximo anno motæ, duodetricesimo eruperunt deseruntque tandem in Patrum exilia, & stragem illius Ecclesiæ. Primum anni pertinax serenum, negatis eluuiionibus, quibus humus pinguescit vt Ægyptus Nilo, sterilitatem agris, famem populis inuexit; herbæ si quid vsquam surgeret, locustæ vorabant; quas suis quibusdam catminibus idolorum cultores frustra depellere tentabant; Paulus Mandarinus tribus vastissimis ex campis eiecit quos depascabantur infestius; inuitatus enim à Præfecto vrbs vt suum ad hoc cœli Dominum inuocaret, tres aras in iis statuit; orauit aliquamdiu de genibus ad sacram imaginem, solum aqua lustrali modica insperfit, & Dei nomine, cuius essent flagellum, imperauit locustis aliò migrant. Priore igitur ex campo ventus secum correptas abstulit; ex secundo in syluam se vltro abdidere; ex tertio, mari se mersere; ter iis in locis concionatus de Deo Paulus, nonnullos ad Christum conuertit. Prouinciam Sinoam pestis huius pars minima tetigit; sed iccta est longè grauiori contagiosæ luis plaga, venæni tam exitialis, vt ex pagi vnus trecentis hominibus duos solum in viuis reliquerit; ex alio non ita frequenti, vnum hominem, & vnum canem. Tantarum simul tot cladum causam scientiores, & minus impij, facile censabant defectione Solis quæ antecesserat, fuisse cœlo, & terris impressam; diis plarique omnes tribuebant, peregrini Dei honore offensis, quem sacris patriis desertis consecrarentur vniuersi. Fame itaque rabiem stimulante horum fontem malorum Patres execrati, obruere Regem supplicibus literis, & flagitare illorum exilium, vt qui essent Regni exitium, & Deorum iram à populo, secum amoturi. Erant hæc fermè de Bönziorum incude tela; quibus dum populus exprobrat inanitatem sacrificiorum, ad tenue saltem calamitatis publicæ leuamentum; retorquebant in nostros hanc impotentiam; dum in regno harerent, Deos quibus stragem Patres indixerant nullis placaminibus mitigandos; non esse id meriti apud Deos, precumque negotium, sed Edicti Regij, & Proscriptionis; hanc omnes modis omnibus vrgebant; Rex trahebat in dies, ne

B. B. b. b.

57.
Locustæ, sic
sterilitas soli
Christi. tri-
buuntur.

79.
Fedi frigus
Regi & suis
Lusitanus.
causa perfec.
Cocincin.

Patrum exilio, onerariam Macaensem cum speratis ex ea lucris ingentibus à se auerteret. Persuasum habebat, Lusitanis religione nihil esse charius, spectari hanc ab iis vnicè, frequentari eorum commercii suos portus, ob hoc potissimum, quod libera fieret Patribus potestas eius suadendæ, in quo ille haud paulò dignius de Christianis sentiebat, quàm ipsi studerent promereri. Fuitque illa Cocincinensium etiam ethnicorum, certissima existimatio, fractam sibi à Christianis fidem, fidei Christianæ oppressione vlcisci voluisse; alioqui minime facturum si promissus quotannis onerariæ appulsus, expectationem iure firmatam, non lulisset. Ac soluit quidem Macao, nauis fradraga Cocincinam versus, nec Patres pepercerant necessariis sumptibus ad eam instruendam, quòd tanti cernerent interessè Religioni dilatandæ. At enim is quicumque fuerit, nauis Præfès sceleratissimos, ut è portus oculis recessit, vertit mox in Philippinas cursum, haud aliis (quos fingunt nonnulli ad dissipandam perfidiae infamiam) transuersus flatibus quàm auaritiæ, illic ut sibi somniarat ingurgitandæ profusius, quàm in Cocincina. Verum miser ad Philippinarum vadosa nauim fregit, salisque omnibus aliis, solus interit, abominatam sui memoriam relinquens Machao ingenti pecunia fraudata, & Cocincinensi Christianitati, cupiditate eius sacrilega tantum non perditæ. Rex enim collapsis prorsus Etesis, qui nauis adfaturæ spem semper aliquam sustinebant, lusum se credidit; dolentis indignationem Iapones, & Sinæ Faifun incolentes vehementius proritarunt, quæsti nauem sibi cum Giacatræ Batauis communem, ab Lusitanis captam in mari Cocincinæ; Iaponum Præfèctus Faifumi, eorum quærelas nouis contra eosdem Lusitanos criminationibus incendit; quas nihil attinet referre. His causis aduertens Chiamlicam, Maximus Bonziorum, & fisci cognitor, res nostras in præceps vergere, accurrit ut ruinam impelleret; linguam mille nummis emisse dicitur Mandarinum Præfèctis Externorum, & Regi perfamiliaris, qui eius in Patres & Lusitanos mentem intimè notarat, eumque vno lucri studio amare, vel odisse. Quare institit suadere Batauorum commercia fore illi quæstuosiora, quàm Lusitanorum, mercaturam facturos, præterea nihil: flocci eos habere quem Deum quis coleret; qua lege viueret; Patres tantum abesse ut secum veherent, quin illos potius hostilibus odiis insectari. Vna ex commerciis Batauorum reditura in regnum luca, iis purgata tumultibus quæ Christiana lex & Patres semper circumferrent. Mandarinum consilium, sua Regi probauit cupiditas; decernit Patrum exilium; Legatos Giacatran destinat, qui de nauium trium commercio paciscerentur cum Batauis: etsi hoc postea euentu caruerit.

Nondum hic annus 1629. in finem inclinat, & Patres Caciini priuata consuetudine, quando publicè non licebat, ducentos septuaginta quinque Christo pepererant; Pulocambi octoginta supra quadringentos, in extremis Prouinciæ Rantanæ trecentos viginti, quos

inter magni viri nominis, qui defuncto Praefecto fuerat à secretis, & cum eo centum & viginti ex eius familia; pauloque post reliquum oppidum. Dum verò tacite, restitunt sese in primam egendi libertatem, quam superiori anno Rex iis abstulerat; en tibi Augusti decimo Proscriptionis nostrae ab Rege baulus, Sinoa Cacianum missus, haud quidem vt debuit ad vrbis Praefectum quem norat affabilitate, & prudentia insignem; sed lectum barbarae executioni Mandarinum, hominem barbarum, & intractabilem, minisque praeterea territum Regis gratia, Magistratu, & opibus in perpetuum excidendi, si quid indulgentius nobiscum, aut lentius ageret, velut esset timendum ne dissimulante in exilium nostrum incumberet, vir Christo, & nobis palam inimicus. Rem nihilominus magno silentio, sextiduum distulit, Patres qui pagos incertis sedibus excolebant, si Cacianum redissent, praesentibus iuncturus. Verum sua falsus expectatione, pro tribunali qui aderat citat Sacerdotes duos, totidem adiutores; Exilium iis ab Rege indicit, salua, inquit, venia, praebendae in nauibus operae, cum huc Lusitani Macao commeabant; nam de stabili mansione intra Cocincinam iterum figenda, ne tanto quidem auro quantus est ille mons (quem manu monstrabat) Regem permissurum. Regno enim, aiebat, pietas in parentes auro quouis pretiosior est, hanc vos subruitis, dum illos vetatis adorari. Ad haec populi odia in Deos accenditis, qui propterea siccitate anni, pestilentia & fame, quae commeriti estis, in nobis plectunt. Quid portò illud est luctuosorum solennium (sanctiorem notabat hebdomadam) quibus vestros sequaces inducitis ad dilacerandas sibi carnes vltroa verberatione? belluina haec est, demensque pietas, & liquet profectò, cruore nostro iucundè vos pasci; At hoc verum, an falsum; barbarum est; quales planè non sumus; ac si vos rituum nostrorum cultus politior sic offendit, vt ne inter nos quidem sustineatis illo vti; vobis aequum scilicet videtur, vt vestros ab vltimis terrarum finibus peregrinos, atque adeò absurdos, & portentosos perferamus? Sed hic caelo fauente illorum finis esto. Quibus dictis, responsum discessu elisit; & Patres vilibus famulis, militum specie armatis reliquit, Faifum ad littus sitam, deducendos; quo ne data quidem ad petendum domo, saeram breuiarium morula, sunt perducti, ignominioso certè, & ad omnem linguarum iniuriam probroso iringere, sed telis satellitum à grauiori aliqua seuitia tuto. Dum haec geruntur Caciani, Pulocambim peruenit Mandarinus Scriba, idemque Patribus illic agentibus indixit exilium; monitis vt se militibus quos secum habebat in custodiam darent. Cum illo Faifum agrè attigerant, statimque ruinoso angusta in insula clauduntur tugurio, quae erat breuissimus traectus in naues Macaum discessuras, & circum armatae ponuntur excubiae, quae illos egressu prohiberent, accessu Christianos. Et iam Buzomium eiusque tres socios imposuerant nauigio, tam importuna festinatione, vt ventis licet qui Macaum ferunt emortuis, nauigium tamen inuito mari eò impule-

59.
Nostrorum
& Cocincin.
exilium.

runt; sed reffans aquilo breui retrò id egit, & se reffanti permittens Buzomius consilium iniit, Ciampam aduendi, vt quod dudum verfabat animo, Euangelij lucem ei Regno inferret. Qui Pulocambi aduenerant Gaspat Luisius, Antonius Fontes, & F. Michaël Ribero, in confiniis Ciampæ & Cocincinæ à custodibus sunt dimissi, & Rannanæ Prouinciæ desertam oram dissimulato habitu captarunt, vnde extra frequentiam populi, opis aliquid nauarent Christianis. Præter hos tamen, Mandarini obstinatissimam inquisitionem duo fefellerè, P. Manuël Fernandes, & P. Machida Matthias Iaponius, qui in Cocincinæ interioribus constanter mansère. Ac Fernandes quidem murandis quotidie ædibus; Matthias Iapo nauium latebris, sic improbam hominis diligentiam fatigarunt, vt desperata indagacione, quærendo absisteret; hic suos inter Iapones Faifi hæreret; partiti se in alternas vices cogeretut Fernandes, & menses aliquot Caitlano, Caciono totidem commodare, etsi alioqui vrbs vtraque totum sibi certare asserere. Pièque illud adnotatum, fuisse maximè pauperes in deferendo illi hospitio maxime generosos, inter hæc templa quæ Pulocambi, & Cacioni edificarat Buzomius, sanè pulchra, quæ item Faifi, Turone, multisque circum habebamus pagis, subruta funditus, & deleta.

Qui ora, vt diximus, Rannanæ Prouinciæ deserta abdidierant sese, Luisius, Pontes, & F. Riberus, Catechistas sex eum aliquot famulis habebant, & solitatio secessu quærebant se tegere in quo aduentibus Christianis sua opera præsto essent, illosque inde, noctu saltem, assimulati Iaponios, in Pagis adirent; ne si minus cautè in exploratorum subirent oculos, hospitibus suis periculum; sibi nouam crearent exilij causam. Quid autem iis factum idcirco memoro, vt constet longinqua inspicientibus tanquam vernacula, & in propinquo sita, pars quantula sit Apostolici munetis, institutio ethnicorum, præ assiduis mari terræque periculis & ærumnis quæ operarios verè gratuitos exercent, accinctos perpetuò, ad ponendam vitam in procuracione salutis alienæ. Tres ergo quos ante nominavi, locorum imperiti, ea sibi legere in iis latibula quæ essent omnium pessima, dum purant fore tutissima; syluosam vallem, & clausam montibus; latrociniiis, eluisionibus, & pestilenti auræ obnoxiam ex paludosis expiranti, casam illic seu magis pergulam alacri opere ex ramalibus contexunt; partem eius facello; partem seiungunt habitationi; dies in illa decem integros egerant cum febtj omnes dempto vno maligna sternuntur, qui semiægrotus vstulabat ræptim iacentibus orizam, (idoneum scilicet leuando fastidio cibum) quod consistere in pedes tamdiu nequiret dum posset elixam porrigere; præter alimenti penuriam & famem nulla sunt vsi medicina. His ita miserè depositis, adest fortuitus, & alia omnia cogitans Nauclerus, Christianus & Petrus nomine qui Pulouarellam haud multum iis latebris dissitam Buzomium vexerat, & in Pulocambi vxorem, & liberos habebat; sed calamitate Patrum motus,

&

& omnium sui que aded & quam subibat aleæ oblitus, totum se ad eos iuuandos deuouit, & contulit, cuius meriti præmium præter illud in cælis æternum, id assecutus est, vt sua incolumi, seruaret Patrum vitam. Quanquam is suæ aded non parcebat, vt corrogaturus solatij aliquid Riberi in extremis agenti, collo tenus per aquas, & limosa erraret, quibus fundum negantibus ne tandem mergeretur, euaderet aliis in montes, sed tigris infestos. Hæc de illo scripsere ipsi Patres & illum quin etiam sic domo à furibus expilata, vt orizæ granum vxori, & filiis, in illa regionis totius communi fame, reliquum non fecissent, durasse nihilominus in ministerio constantem; qui dum vltro citroque oberrat, Patrum miseriam Christianis quibusdam exposuit, & accurrere ij quidem ad auxilium aliquod, sed omnes grauiter ægrotauerunt aquarum vitio potandarum, & peruadendarum; nudis enim per illas, iter ad Patres erat. Ibat in longum morbus, & iacebant in illo tugurio defecti viribus ægroti nouem, nisi quod Luifius quem febris mitius vexarat, incipiebat consistere, parque iam erat vitandæ cladi quæ multo acerbior socios excepit. Dies erat Nouembris decimus; nox nondum media, cum post streperum aliquid; tugurij sui parietem, seu sepem potius pandi vident, multis exterius facibus repentino fulgore, insomnes ægrotos terrentibus. Pandebant illum haudquam ex triuio, aut sylua prædones; cum eorum vnus Patrem haberet Mandarinum, supremum in Prouincia Rarana capitalium cognitorem, eos ad hoc latrocinium agebat thesauri opinio quem solitudine vallis inaccessæ occultari tantisper à Patribus philosophabantur, quoad fecum liceret illum asportare. Primi apertum ingressi tugurium, strictis gladiis rem gerunt, alij nodosis fustibus; cædunt, vulnerant, contundunt, ferocitate promiscua stupefaciendi, si quis aduersaretur prædatoris; sed cum se terra erigeret nemo, ægrè omnes spirarent, similiores mortuis quàm viuis; cædendo absistunt, quicquid venit in manus colligunt, erat autem id, præter crucifixum ex ebore, & supellectilem altaris, tam vile ac nihili, vt multis cæsum plagis sciscitarentur ex famulis thesauri locum, quem vbi demùm intelligunt nusquam esse, conuolutis in fascem quæcumque rapuerant discedunt, ne relicto semferuorum vestibus. Multum de cætero peccatoris coronis, reliquiarum thecis, & crucibus, sibi gratulantes, quæ post diligentius inspecta, passim proiecerunt, quod præter speciem venustatis, lucri sibi nihil essent allatura. Ad primum funalium lumen, diuinans Luifius quod erat, humi se illic affixerat, quod nunquam prædones, oculos aduerterunt. Alij duo vulneribus laceri, præsertim Riberus multo suo natantes in sanguine relictis; ex Catechistis, & famulis, occisi tres, mortem ægrè cæteri vitarunt. Redux qui tunc abfuerat Naucletus, cruento cadauerum, & sauciorum spectaculo eohorrescit, multoque se fletu conficiens ob immanitatem facinoris, & remediorum inopiam; excurrit tamen in vicina, vnde secum adducit Sinam

quendam pauperulum hominem, sed ultra quam solet natura idolo-
latri impertiti, misericordia diuitem. Hic se statim ad opem acci-
gere, adstare faucis, vulnera alligare, accelerare quicquid poterat,
quod licet exiguum, erat tamen iis mali angustiis, aut magnum, in-
ferendum, et si halitus & squaloris graueolentia vix esset agrotis mor-
bo ipso tolerabilior. Petrus interea latrocinium funestum Praefecto
nunciat, & Rananensibus Christianis; cunctantur hi dies aliquot
in ancipiti, & malè tuta re; ille mox in reos ex iure decernit pro-
sequi in Patres beneuolentia, quos Buzomij causa plurimum diligebat, Bu-
zomij autem cui amplam fecerat profeminandi Christi facultatem, im-
prouiso exilio & doluit grauiter, & illac in Ciampam traiecturum, Pe-
louarellæ per nuntium adiit, & stipe liberali iuuit; Patribus vero
per familiares dolorem testatus crudelissimæ quam passi fuerant lani-
næ, receptum in urbem obtulit, vt commodius in ea curarentur; quod
officium in exules, & Rege inuito intra regnum etiam residues, huma-
nitatis fuit plusquam singularis. Illos interim dum expectat, de atro-
citate causæ cognoscit non dissimulanter; indicia sceleris perspicua, vt
certò deprehendit, captos, tortos, confitentes reos pro tribunali dam-
nat; capitis quidem duos tantum; reliquos pro sua placabilitate, &
quod eos nulla oneraret aduersa pars, leuiter cæcos, circumferendo
addicit iugo, quo nempe illic ad ignominiam reorum colla stringi so-
lent: Christiani Rananam tandem conueniunt ad exportandos & sanctis
locis in urbem socios; quaterni singulos gestabant reti, & uelibus
suspensos; ac robusti licet, in stadia vices oneris alternare recenti
quaternario cogebantur, ob ascensus viarum asperos studiosè capto-
ros, ne cæcis aquarum lacunis sorberentur. Inter quæ miseri, & pot-
tantium succussu, & crudorum adhuc dolore vulnerum, mortem in
horas expectabant, Deo tamen fauente Rananam viui perueniunt,
vbi alius tecto; vestimento alius eos iuuat, nemo ultra metas patra,
ac debitæ charitatis, in qua Christianis Provinciarum reliquarum, ve-
multum absumiles; sic in timiditate cautionis, nisi noctis obscuro Pe-
tres minimè adeundi, quasi nefas id esset, vel inde aliquid sibi me-
tuerent.

Post hæc faucij dum curantur; de causâ, Rex à Praefecto ipso ple-
niùs edoctus, tria sub anni exitum rescripsit. Videri reos satis iuri &
legibus fecissè; iugo proinde eximi debere. Sua Patribus redderentur
quæ inter prædonum inuenirentur manus; inde Patres in Ciampam
regno pellerentur. Quibus acceptis, palam magna voce Petro Nauolo-
ro edicit Praefectus Patres tota Provincia inuestiget, sistatque suo tri-
bunali, noua Regis mandata audituros, quæ clam ei commisit iis illu-
cò indicanda, norat enim haud procul ab suis ædibus latere. Barem
prora iubet littori alligari, vbi nundinæ habebantur, Patres in ea po-
pulo ostentat; iisque Mandarino denunciatore in magna militum, &
Ministorum turba indicit iuridicè, abirent quamprimum, restaque ad
auctum

austram Cocincina exirent. Sic Regi placere, quo pompæ tam publicæ
 strepitu, & testimonio integri populi, optimus Præfectus, elidebat
 aeculationes, si quæ fortè ad Regem perferrentur, neglectim curati
 eius imperij. Nam secretò per Petrum admonuit Patres, omninò ne
 abirent, nisi vellent ab iisdem trucidari à quibus fuerant crudeliter, vi-
 ta vix integra, sauciari; qui inostæ sibi ignominia vindictam, iuratis in-
 sidiiis in eos struxerant. Exin dilapsa nescio quo ex oculis naui, ex qua
 se populo prostantes diu Patres ostenderant, explicaturi versus austrum
 vela; delituere in alia dies quadraginta, per quos dum planè ex vul-
 neribus sanantur, curationem animis eorum adhibent, qui ad se fur-
 tivo aditu ventitabant. Et iam annus inibat tricesimus, cum Turone
 apparet oneraria Macaensis, & in ea Benedictus de Matos, qui anno
 præcedenti Christianam rem misertus, ex abrupto commercio affligi,
 eam impetrarat, sperabátque Regem donorum splendore ac pretio
 placatum, abrogaturum Patrum exilia; quàm eius persuasionem mini-
 mè dubiam, euertere iidem scelestissimi auctores duo, decreti in Pa-
 tres exilij; Regémque vltò ad amicitiam cum Lusitanis optimè pro-
 cliuem alio abstulere; mira is quidem affabilitate, Patrem & Lega-
 tum prosequi visus est, postquæ aliis de rebus nonnulla; negavit se
 nostros aliquo eorum errore, aut culpa pepulisse. Nihil apud se de il-
 lis secus quàm vellent depositum; sed ob superbiam stolidam Chri-
 stianorum iactantium, nihil esse vsquam præsidij ad æternam salutem
 nisi in lege Christiana, qua illi perpetua, & importuna vanitate, pa-
 trios Deos obiciebant contemptui; in desperationem agebant Bonzios;
 & populos in rebellionem; verum æquo animo essemus, se nobiscum
 denuò acturum; quibus vsque Ranranum perlatis nuntiis, nihil dubi-
 tatum est reconciliatum nobis Regem, eaque fiducia cœperunt, no-
 stri latebras sociorum secus mare obire. At sacrilegus Bonzius sic Re-
 gem concussit, eiusque consimilis Externorum Præses Mandarinus, ita
 consceleravit Regis aures, non modo vt illum ab exilio abrogando,
 ad confirmandum illud abriperent, sed rescripti quoque executionem
 Mandarino eidem committi extorquerent, qua illo armatus Sinoa
 Tutonem aduolat; Patres coram accitis, contemptu agresti, & rusti-
 co appellat, ac vestet, ait, occidens ab nostro oriente, esto medio or-
 be disiungatur, coibunt tamen faciliùs quàm lex vestra cum nostra. Il-
 lam huc inde vos intulistis; hanc nos ante omnem æui memoriam pro-
 fessi sumus, & tenemus. Quod perspicua aded certæque veritatis,
 velle tamen nescire videmini; Rex ludos hos magnò rerum suarum
 compendio deinceps intelligit, proin tantò in vestrum exilium obfir-
 matus, quantò vos ad illud vitandum obstinati; nec vobis imponat
 suspicio capi esca donorum Regem posse, aut vestro aduentu latatu-
 rum, si oneraria Macaensi huc aduehamini; soli palmum vobis nun-
 quam daturus est, si vel auri tantum dederitis quanta est rupes hæc;
 quod in rupem intendens, tam asseueranter, & Regis nomine tum
 ipse

ipse affirmavit, tùm exequi perrexit ut Regis gratiam Patres desperarent, haud tamen fiduciam latendi ad inuandos occultè Christianos, quocumque id tandem suo periculo fieret. Onerariam igitur conscendunt primis Etesis Macaam soluentem, cùmque inter vectores omnium oculis se notandos, & spectabiles præbuisissent, nocte interpesta, in scapham desiliunt quæ surdo remigio Prouinciis quatuor Patres duos reuexit in quibus diu versati fuerant; Iapones item Patres duos seruauit Iaponibus Faisi docendis. Ira illius Christianitatis consultum orbitari; nam quos per se nostri adire non poterant, per eos adibant, quos Christianorum singulis cœtibus dederant monitores, in quibus excelluit Paulus ille Apostolici animi Mandarinus, huic certe magna pars eorum debetur qui huius anni residuo abidolis ad Christum traducti sunt. Restat Buzomio, quid factum videamus? Cocincina eiectus quam Christo primus initiauerat in Ciampam nauigabat, excitaturus Euangelij sono regnum illud ex communi Ierhargo funestæ idololatriæ. Ibant illi comites Hieronymus Maiorica, & F. Antonius Torres, iamque in portus conspectum venerant, cum inuolantur à Batauis oram illam prædantibus; nostri remis ad fugam impares, in littus eiciunt sese, & nauigij iactura vitam seruant, sed Pyratas Baruos dum vitant, comprehenduntur statim in terra pro naufragis, & lege barbara, in seruos Principis mancipantur, quoad libertatem amissam redimant. Ad calamitatem Cocincinæ accessit Tunchinensis, non valdè absumili ex causa. Temporarij scilicet commodi dira fame: non poterat vsquam fauorabilius quàm in Regia Tunchinensi Christianismus nauigare, nec locupletioribus vsuris Alexandri Rhodij labores pensare, quibus sanè magnis ut eum induxerat, sic infatigabilis promouebat. Septimestri iam toto, bis quotidie dicebat ad ethnicos, eorum baptismum, bis in hebdomada celebrabat; ad hunc illos Marchesius præparans, eadem opera perficiebat linguam, quam nondum satis in promptu habebat; ab Christi natali ad Pascha resurgentis, seculi anno viceesimo septimo, quingentos Rhodius Iustrauit, in quibus, & aliis ibidem antea baptismi expiatis censebat plurimos, utroque in ordine militari & literario, nobilitate, & dignitate claros. Erat verò tam potens sanctimoniam Christianam, & legis quæ illam præciperet fama, ut familias integras procul ad Rhodium traheret, reportaturas in sua oppida Christi nomen, & cultum, eam ob rem ad messem tam latis prospectibus fluentem noui se Machao operarij accingebant; nec in eo tantùm Christianismi summa vertebatur, ut aqua capiti modicè insperla, & noui nominis adscriptione inter baptizatos, nihil præterea exigeretur officij. Quin imò in omni hominum genere & ætate, eam morum edebat commutationem, baptismi gratia, eaque generositate Christianos inolitit ereptos flagitijs sungebat in Angelos, ut cæca in diuinis Bonziorum malignitas, diuinum id robur, & humano maius, magiæ tribueret, insimularetque maleficij Rhodium. Capi

60.
Tunchinensis
Eccles.
vexatio, &
nostrorum
exilium.

fatis ab iis non poterat, unde recens conuersis, tantum suppeteret animorum ut concubinas quas deperierant, & ex data prole, bene de familia meritis domo eicerent; larga stipe pauperes alerent; amarent inuicem, quos fastidierant, nec dignati aspectu fuerant; aegrotis ministrarent, etiam ethnicis, & in fluminum ripas, canam instar per suos abiectis. Nam de ieiuniis non erat adeo quod suspicerent Christianos, cum ipsimet non raro a puero instituerent vitam legumine, & oleribus trahere, ad promerendam gratiam idoli alienius. Quare nihil actum praematurè cum facti ieiunij promulgata est illis a principio lex. Longinqui demum & frequentes conuentus ad diuina, & solennia festorum, maxime verò Christi patientis quæ aprè quindecim distincta partibus, incredibili fructu pietatis Rhodius proponebat, gerebantur hæc in Regis oculis, & aulae conspectu; Rex verè an fictè in Rhodium mire affici videbatur, accerserat illum sæpissime, comitateque planè insolita longos cum eo durabat sermones, interdum & mensæ adhibebat, & manu propria porrigebat de regia patella cibos, & quanquam ethnicus, damnatisque addictus artibus, de vero Deo, anima, & æternis, libenter dicentem audiebat.

Iam felicitatem cuius tam prosperi, spesque multo maiorum progressuum non temerarias, quæ sensim vices tandem profligarint videndum est. Primi ab Rhodio Regis animum abalienarunt amores indomiti concubinarum, & vxorum. Pullæ domo à viris illustribus Christianam amplexis puritatem secundariæ vxores, Reginas adeunt hoc sui repudium apud eas lamentabiliter deplorant, & casus eiusdem periculo, ac metu, illas cum custodibus Eunuchis in defensionem sui armant; nam hos quoque angebat vehementer, illa Regis in Partem obleruantia, & assidui de Christianorum lege ac ritibus congressus, factique pronum vaticinabantur ut inopinato Rex baptizaretur, ablegatisque ab se secundariis Reginis, cum iis pariter, & ipsi purgarent palatium, mendicaturi quæ possent necessaria victui, cuius ratio omnis ex Reginarum obsequio hæcenus ipsis constiterat. Aggrediuntur ergo bifariam Regis animum simul expugnare, seu potius demerere. Huic Spadones Rhodium depingunt velut archimagum, maleficio ubique inuitabili famosum, ipsaque adeo quam afflasset aura homines fascinantem, argumentum ponunt deliramenti huius, Neophytorum exempla quæ attigimus in quibus vxorum antea flagrans amor audito Rhodio frigebat emortuus; tantus è contrario ardebat versus illum amor, ut non possent ab eo disungi, ducentis subinde milliaribus venirent, eius solum videndi, & audiendi libidine, quicquid ipsi liberet poscere quantumuis difficile, & durum, ab iis illic exoraret, voluntatibus autem hominum afferri eam violentiam non posse absque potentissimo carmine, & præsentissimo fascino. Eadem instinctus priuati comodi scabie, Regis quidam sobrinus, quæ fabulabantur Eunuchi confirmat, recenti extra Cocincinam Patrum exilio, quod li-

C C c c.

61.
Nostri extra
Tunchinum
exilij causæ.
præcipua
Regis auaritia.

gato incantamenti caelo, terram semper irriguam, & summè feracem, siccitate vrenti, & sterilitate perdidissent. Aliudè ploratus, & querimonias concubinarum eicctarum, ad Regem deferunt secundariæ Reginae. Criminantur Externi vnus nunquam prius auditam barbariem, nunquam olim tentatam audaciam in abrogandis Regni antiquis legibus, matrimonii soluendis; priuandis matribus sua prole; Rege tocium & subiectorum numero, quot vna ex matre non possent suscipi; familiis denique sua orbandis perpetuitate, si viros contingat, vt sæpè fit, sterilem ducere. Ac magiæ quidem insimulatio effecit apud Regem vt colloquio Rhodij abstineret, & si quando aditum petenti daret, ab eo se paucis, & procul expediret, ne fascinaretur ipsius halitu. Quo item delirio sic occupati sunt alij, vt concionantem nisi iusto abiuncti spatio non audirent, monitque accedere propius, vt vocem dicentis articulatim perciperent, tunc verò suspicionibus multò magis exagitarentur. Die igitur quodam, dum octoginta baptizandos sale sacro ritè initiat, è turba stentor vocem tollens, exclamat tunc artis vim maleficam exeri, cauerent attactum incantati salis, ni vellent cerebro eueri; hoc beneficio Magum Occidentis deturbatarum illos sana mente; quibus dictis, templo se proripit. Verum hoc spado-num somnio, apud Regem mulierosum, plus valuit Reginarum fletus, & comploratio. Ex aula Ministrum ab eo impetrant, qui Regis personam, & imperium sustinens, Rhodium conuenit, & quænam, ait, hæc noua quam docetis, & scelerata lex? coniugia scilicet eorum damnatis qui plures vna vxores accipiunt; & iam pluribus adstrictos ad vnam redigitis? Ego verò iubeo vnumquemque quàm multas libuerit ducere, vt hinc plures & ipse suscipiat liberos, & ego pluribus subiectis augear. Vobis itaque capitis pœna esto, vt primum resciuero antiquum hunc morem, & Regno vtilem vestris sermonibus conuelli. Sed his haudquaquam absterritus Rhodius in suscepta vt ante concionum materia perstitit, nec quicquam propterea incurrit aduersi, Rege vt post videbitur, iudicante, fore sibi vtiliores minas, quàm vulnera. Quare nec efficacius edictum id mouit, quod grandi macrocollo iussit nostris foribus affigi. Eo admodum seuerè, vetabat Christiana sacra à quoquam suscipi, quòd cum Diis Tunchini Christianorum Deo non satis conueniret; imò esset hic illis palàm inimicus, eorumque statuas, & cultum extirparet. Censum igitur iri rebellionis in Deos reum, & in Regnum, quisquis Deo Christianorum sese addiceret. Edictionem sacrilegam à Rege expresserat Bonziorum dolor importunus, irati querebantur templum sibi extructum ab ethnico, fuisse ab eodem sed iam Christiano donatum Patribus, & sacram in ædem commutatam, priusquam idolis contaminaretur, quæ fuit altera nostrorum in ea Metropoli ædes Deo sacra, & causa Bonziis extorquendi à Rege, impij, sed casti Rescripti: vix enim Minister eius lator & promulgator abierat, cum reuulso illo Rhodius ad Regem contendit, Deoque

Deoque illi custodias, aditus, & Regis animum commodante, sic eum permouit, ita pro se dixit; recensione singulorum particulatim beneficiorum & humanitatis quibus se hactenus dignatus fuerat adeo molliuit, vt raptum ex eius manibus Rescriptum discerperet, pignusque amoris reconciliati, esculenta ad eum mitteret munera, quæ ipse confestim pauperibus diuidi mandauit. Et huc vsque bruta irati barbari sed innoxia fulmina, Ictum tertij vitare nulla industria licuit. Veni Macao Tunchinum prorsus desierant, oneraria promissa non venerat, cuius vna expectatione Rex auarissimus, liberam nostris annuebat, & fidei sacra, in ditioe sua mansionem: alia quæ narratur iratum causa si Regis animum, quod aduersarij volebant, subegisset, nunquam nos postea vt fecit, reuocasset. Fuit autem hæc metus amittendi Regni qua nullam Dæmones illic experti sunt versatiliorem & validiorem machinam ad strages Christianitatis quas tunc in Iaponiæ insulis edebat maximè cruentas. Nam si tantum in iis suspicio valuit quæ finxit legem Christianam, iuratam esse factionem ad sollicitandos in Regem populos, vt Christianorum fortium millia quadringenta, ferro & igni crudeliter deleret, quanto facilius in Tunchino Christianorum vix quinque millia perdere potuit?

Exiit vir notus sanguine, criminibus notior, maiestatis reus, & conuictus, qui nostrorum sui que aded atroci accusatione poenam redempturus, clam Regi suggessit, nostros in illum cum Rege Cocincina, & Ciua Can inimicis, confinibus, & aduersus Tunchinum armatis, versasse consilia, & proditorem comparasse. A Septentrione Ciua, Cocincinensem ab austro eodem tempore irrupturos; dumque tu, aiebat, vtroque versum iis occursum copias distunges, Christianorum Dux Rhodius, post vrbis Regiæ incendium, & prædam, à tergo te medium concludet, hostibus à fronte pellendis occupatum. At arcani huius tam formidolosi aliud non dabat indicium, præter abstinentiam Patrum exquisitam, qui à Christianis, nihil exigere, nihil admitterent, vel suo vel Catechistarum vsui quos iaciendis per vrbem facibus gartiebat fuisse destinatos, inde confici volebat, à Ciua, & Cocincinensi eos stipendia capere. Accersuit quoque huic suo mendacio colorem improbus sycophanta, ex Petri obitu, viri sancti, & fortis, fideque in Deum, & in Regem clari; quem tunc Deo visum nobis eripere cum eius præsidio Christiana res labans fulciri potuerat; familiares suos sedecim, in quibus & liberos, contagiosa ictos lue, prætere sibi ad mortem, Christianè tulit, parique & ipse generositate illos secutus est. Sed scelestissimus nebulo insimulauit Rhodium apud Regem, conscitæ illi mortis, ad priuandam eius securitatem Prætorianorum Duce fidissimo; & arma experientissimo bellatore. Accessere his plaustra querimoniarum à Bonziis, qui se impunè, suaque simula chra, dolebant à Christianis derideri, & ipsis etiam in templis indignè haberi, quam iniuriam Rhodius existimatus est non satis præca-

uisse, nimirumque suorum pietati, male consultæ indulgisse, proindeque gloria excidisse continuandæ illius missionis; certè Rex, post annum, ab Inspectore Prouinciæ, remitti ad se in Tunchinum Patres aliquos petens, Rhodium & Marchesium exclusit. Impulsum tot machinis Regem, ad eiciendos Regno Patres illa expugnauit quæ violata ipsi onerariæ promissâ, cum magna ipsius iniuria, & damno ingerebat; Ergo dum naues appellerent quibus Macaum portandos imponeret, Christianorum consuetudine iis interdixit; Rescriptum exihj celsæ arboris trunco mandauit incidi; Die Augustissimæ Triados quem annus hic sæculi duodetrigesimus Iunij octauo & decimo colebat; dum ad sacra fideles se comparant, adest ab aula Eunuchus cum armatis; ædem sacram irrumpunt, Christianos cædendo, vociferando, conuiciando tanquam canes, omni contumelia dehonestant; dum foris alij defigunt arborem Decreto Regio insculptam; legebantur in eo multa in Deum sacrilega; multa idolis gloriosa; & edicebatur ethnicorum ad Christum conuersio posse Regno quandoque ingens afferre detrimentum, etsi quale id foret tunc paruum liquido cerneretur. Pœna mortis ingressu nostrarum ædium Tunchinenses omnes arcebantur; egressu quicumque in iis erant; iussu Regis, aut suo verosimilius, belluino semiuiri genio, aram imperat disturbari spado; obstat Rhodius, & Regis dono templum id asserit, aramque possideri; negat templo debitum altare, & sacros ornatus ablaturum, nisi deserto Regis imperio; cui miles impudentior cæteris, en tibi! quod possis disertum imperium, simul aram pulsus impio euertit, fuste in effigiem Virginis impacto, manum Iesu infantis, quem gestabat frangit. At quadrimetri post vlta est crimen nefarium sequax pœna. Furti damnatus carnifici traditur, qui præcisus sacrilegi digitis, Christi percussis ream manum condigno supplitio mutilauit, ethnicis quoque suo illo trunco futuram ostentui, haudquaquam impunè violari Christianorum Deum. Post hæc domo direpta, suos spado abducit milites, quibus ad custodiam forum succedunt nihilo meliores, nisi quod viliores. His inspectantibus adibantur Patres à multis seorsum Christianis assimilatis in mendicos qui procul à ianua incipiebant rogare stipem, nec prohibebantur subire intra limen, velut elemosynam accipiuri, nuntiabantque Patribus, & referebant quæ in rem facerent; audentiùs alij sopitis custodibus se intrò penetrabant, exigebantque piè cum Patribus totos dies, quod tamen haud æquè omnibus processit. Ingressi custodes quoties libuisset vt domus angulos subinde rimarentur, si quem offenderent, omnibus spoliatum, pugnisque, & calcibus pessimè contusum, capillis foras raptabant ad socios, à quibus haud mitiùs excipiebatur, iratis videlicet furtiuo illius ingressu suam in seruanda ianua oscitantiam derideri. Ethnicorum nemo, intro pedem misit, quantumcumque fas esset, ne in summis quidem angustiis. Et ægrotantem adeò inhumanè Medici omnes visere recusarant, vt destitutus remediis interiit.

interierit. Erat is Ioannes, ille idolorum tanti quondam nominis Sacerdos ut Rex eius eremo adnavigans, classem iuberet vela demittere, veneratūque hominem, eius preces enixè flagitaret ad felicem euentum expeditionis quam mouebat aduersus Cocincinam. Hunc aliquantò post Christianum ob calcatam famam ethnicæ sanctitatis, contemptu sui generosissimo, tot intra biennium donis cœlestibus diuina largitas cumulauit, ut eandem sed veram gloriam, sanctimonix præstantis allèqueretur apud Christianos. Diues inter suos, & honestus annorum iam quinque supra quinquaginta, studio fidei affectabatur nostros quocumque pergerent, iungebátque iis strenuam operam in ministerio animatum, ac se demùm pro vili seruulo, eorum obsequiis velut ad optatam quietem dabat. Illum Rhodius Cheni patria sua, præfecit Christianis, vbi anno superiori Patres primigeniam statuerant Tunchini Ecclesiam, inde crebro ad illos recurfabat, de commisso sibi acturus grege, sacrisque mysteriis animum refocillaturus. Et diuersabatur apud illos, cœperátque iam morbo tentari leuiter cum miles impius, pueri Iesu effigiem fustis ictu confregit, verum inde sic morbus incredulitatis, eaque in Christum iniuria sic animo fractus est, ut paucis diebus extinctus sit. Patres magno labore, ac pretio cum obtinuissent semel custodia egredi ad porrigendum Regi libellum supplicem, ab Eunuchis qui humaniores videri volebant dissimulanter conspecti sunt, ab aliis conuicti, & minis palatio pulsati: transiturum per aream Regem opperientibus, hinc inde se Prætoriani, spissis ordinibus obiecerunt, ne aut illum videre, aut videri ab illo possent. Ergo Rhodius in editionem euadens locum Regem clara voce interpellat, liceret sibi ad pedes illius libellum deponere. Rex ad vocem conuersus, probè agnitum silens præterit. Sed longè immaniùs sæuitum à Prætorianis, vel enim gratiam captantes Eunuchorum, vel indignati, quod se Regi Patres ipsis inuitis videndos præbuisent, punctionibus laterum, & gladiatorum capulis vexatos & contusos è palatio extruserunt. Quamobrem spe omni causæ Regi probandæ abiecta Rhodius, curam omnem intendit ad Christianos dum clausus tenetur, animorum subsidio iuuandos. Urbem sex regionibus distinguit; suam cuique assignat in ea domum; in eam Dominicis & Festis coibant regionis eius incolæ Christiani; Rosarium sacrum Deiparæ, precesque varias concinebant, præcentore egregio Catechista, cuiusmodi habebant plurimos. Legebat idem cohortationem, ex Euangelio depromptam compositamque ab Rhodio, cum incredibili animorum motu, fructuque pietatis; & iam quartus abibat custodia mensis, quam tamen interdum fallebat Rhodius, ut ex vicinia Deo aliquos semper lucraretur; cum nauis appulit Sinenfis; in hac Partes iuberet Rex vela facere; Cechianam tamen quò erat renauigatura Prouinciam abesse Macao longiùs cum audisset, nec peregrinos admittere, iussis supersedit, quamuis extimularent illum nequissimæ concubinx, non modo ad præcipitandum Patrum exilium, sed etiam

necem; fertur quidem minus per somnum exterritus ab eo scelere, re ipsa certe, ultra quam esset expectandum, exinde se Patribus exhibuit placabiliorem, missitandis quoque ad eos munusculis, quorum id saltem aspectu fiebat, ut custodes sentirent minus importunos, minusque difficiles in admittendis ad eos Christianis, qui beneficij huius, & spei ab Rege melioris, gratum Deo animum testaturi nosocomium curandis ægrotis statuerunt. Hanc item nostrorum totiusque illius Christianitatis lætitiā, maiorem in modum incendit quod sequitur. Gaspar Diaz iuuenis Christianus, patria Sianensis, Macai educatus, libratorum agebat machinatum apud Regem, eamque de Patrum disciplina ex quo Tunchinum aduenerant, virtutem animi, morumque hauferat honestatem ut monstraretur digito etiam ab ethnicis, velut expressus Christiani typus, audiereturque cupidè de diuinis agens: at hunc medio in anse quā Regiam interlabebatur, festos ignes fingentem, & eiaculantem, atrox casus peremit; imperitia socij excussa scintilla aceruum corripuit ignarij pulueris, cuius flamma Gaspar momento ustulatus, vix tamdiu superfuit quoad vitimis sacris procuratus efflaret animam. Erat iuuenis virtus Regi apprime chara; ministerium vile, ac fidum, nec ignorabat esse Christianum. Quare Patribus mandat, iusta funebria Christiano ritu honorificè illi corent, nec parcant sumptibus, quos sit ipsemer suppeditaturus. Hinc libera nostris custodia, hinc piorum concursus & lachrimæ, & ruptæ ex imo pectore gratulationes, affectus, Dei laudes, quæ stylus non satis assequitur. Funus duxere plus mille Christiani, graui, & splendida supplicatione, pretioso illam è serico vexilla decorabant aureis prætexta sumbriis, & mysteriis picturata Christi patientis, comitabatur odorum copia, funeralium facium non paruus numerus, Ministrorum ordo suo cuiusque cultu, cætera omnia quæ non semel significauimus in parentalibus Christianorum celeberrimis adhibita, in ruborem probrumque ethnicorum, qui suam auaram, deformem & deridiculam erga defunctos magnificentiam Christianæ non dubitabant anteferte. In campum pompa deuenerat vbi condenda sandapila, & aderat præter Christianos multitudo ingens ad quam Rhodius concionatus est, nec deinceps custodes obstitere quo minus ad nos Christiani ventitarent, adirenturque à nobis tum ipsi tum ethnici, tametsi parcius, ne qua inde tumultus occasio aduersariis in promptu daretur. Hinc illa exitit Principis femina ad Deum conuersio, quæ Præfecto Cheduni hoc est Orientalis Prouinciæ nupserat. Illam baptismus Annæ vocabulo insigniuit, & fatu diuini spiritus tam fecundo impleuit, ut præclaris illius studiis merito tribuatur conuersorum ingens in iis Prouinciis numerus, & frequens ad eorum cœtus capiendos ædium sacrarum fundatio.

Cæterum hac Regis liberalitate rescindi videbatur indictum nostris exilium, si oneraria Macaensis anno saltem sequenti vnderigesimo, longas

longas non falleret expectationes, sed illa biennio ante Tunchino Maca-
caum recedens, ad Infulam Hainam alliserat, perieratque suo cum one-
re; vectores Macaum, ignara naufragij minimè requirebat, quamvis
illic annum iam integrum solito diutiùs hærent; Tunchinum casus
infelicitatem, Lusitanorum fraudem interpretabatur: Martio igitur in-
clinante, adest Patribus ab Rege Scriba, eiusque nomine ita illos af-
fatur [quòd vestri, ait, fratres Lusitani, toto iam biennio non appa-
rent; manifestum est ab iis vos nequaquam agnosci; aut si agnoscent
abdicari. Bonis auiibus ite, & illos requirite. In Cocincinam triremis
vos feret ubi vos naues excipient Macaum reditura, quæ dedignantur
hos portus attingere] subiecit præterea, suone an Regis nomine haud
scio. Benè legem nostram, cognominari vulgo mortis legem, aded
multos è medio tolli baptismo quem conferebamus, nec satisfacere
quod accerseremur ab hominibus iam morti proximis, Christianif-
mum enixè petentibus, proinde morbi vim non baptismum mortis
causam iis esse; nam hoc ipsum illos tunc adscribere Christianis cum
essent in extremis, & hanc baptismum nostro inuidiam odiumque con-
flare, imprudentiæ esse non ferendæ in viris alloqui quales essemus
valdè prudentibus, aduerteremus de cætero, Regi persuasum, quem
mortuum vellemus; hunc nos baptismum occidere. Deesse videlicet vi-
uentes, & sanos quos iniciaremus lege nostra, grandi eius decore, &
fama; & oportere illi detrimentum & ignominiam quærere, ex bap-
tismo illorum qui animam egerent, velut ab ipso necarentur? actis be-
neuoli affectus gratiis Rhodius, hominem docuit quibus legibus tene-
remur morientium saluti æquè ut viuentium instare. Peruictus necnè
rationibus, abcessit; rumor nostri discessus imminens, triduo Patres
occupatissimos habuit, excipientis salutantium lachrimis, confessioni-
bus, querelis, aquæ vasis solenni Ecclesiæ formula in remedium ma-
lorum, & piaculum consecrandis; ethnicis verò ad baptismum quem
efflagitabant, nondùm planè maturis, relictus est Andreas, & Fran-
ciscus, Catechistæ duo eximij qui totam iis operam nostro sumptu,
cunctisque commodarent quos nobis absentibus ad fidem, Dei beni-
gnitas vocaret. Nec fuit vacuus eorum labor, inter alios non infimi gra-
dus, etiam Mandarinus, qui Christianismum non mediocriter condi-
gnis moribus exornarunt, Regis cognatam, Annæ quam diximus fi-
liam, Christi lustrarunt baptismate. Patribus triremem consensuris
Eunuchus à Rege duplex attulit diploma securi comæatus, aureos vi-
ginti, & pannos eiusdem pretij ad vestes. Sed munus Regis sanè bene-
uoli nequam spado, intempestiua querela scædavit, aiens Regno nos
pelli ob intolerandam Christianorum audaciam, quibus parum esset
Deum colere peregrinum, nisi & patrios, & Regni Præsides suis etiam
in templis contumeliosè tractarent; cui paucis Rhodius, & prudenter,
id nostris quoque damnari legibus; peccassent esto in eo Christiani,
sed nostris seriùs monitis non licuisse, ausis occurrere. Hoc verborum
compendio

62.
Lex Christi,
cur dista lex
mortis.

compendio ripam versus contendunt ubi nauigij præfidiariis traduntur ab Eunuchis. Sequebatur euntes Christianorum turba mœrens, expectabantur ubique cum lachrimis, rogabaturque fausta adprecatione, humi passim proiectos dignari. Viri iuxta & femine; plebei & nobiles concursum augebant, omnes tamen accessu prohibiti. Multi quoad vadum sinebat, mirantibus ethnicis in anni constitere, ut monitis fortibus, quos relinquere cogebatur firmantem in aduersa quæuis, Rhodium audirent. Interrogantibus lamentabiliter aliis, à quo peccatis soluerentur, iussit conceptum ex iis animi dolorem, qualem erant edocti percusso ter pectore testari, eosque ritè (quod petebant) absoluit. Senex fuit annis, & grauitate venerandus, qui ut erat ornato suæ dignitatis conspicuus, vultu quater humi abiecto eos salutauit cum magna copia lachrimarum, secutusque oculis recedentes cum domum redisset, magnitudine doloris quem ex Patrum discessu non consolabilem retulerat, paucos intra dies contabuit. Ferebat illos quadremis, cum Antonio & Ignatio Catechistis sub nauis Præfecto duræ frontis, & asperæ homine, quem tamen nobilium in Patres officia, fecere sui modestius memorem, & ita facilem, ut bona eius venia Rhodius, verba de Deo ad milites faceret, inter quos etiam dicentem ipsemet audiebat, (quo fructu postmodum exequar) milliaria emensi fere centum, applicuere Chebum, ubi loci dynasta transituros opperiebatur; erat is qui anno præcedenti Christianæ legis, & Christianorum gloriosa exitus fama in aulam venerat, vnde à Rhodio, sacris imbutus mysteriis cum vxore, liberis, & famulatio nobili, domum redierat Christianus, Pauli deinceps insignis vocabulo; vxor Lucia; & Raphaëlis filij eius duo. Quorum omnium nouis à baptismo, & luculentissimis exemplis, sed suo potissimum hortatu, & doctrina Paulus, bonam partem clientum sacro fonti aptarat: cognita igitur exulis Rhodij præteruectione, in ripam descendit; vltroque illum à nauis Præfecto amico veteri, in eum diem impetrauit. Clientum sex supra sexaginta in procinctu erant ad sacrum baptisma; iis erudiendis postquam vltimam manum adhibuit Rhodius, vitalem aquam Marcellus contulit; Patrem lustricum-virotum egit Paulus; Lucia matrem feminarum; filij duo, sacro ritui ministrarunt. Nox erat media, & tempus repetendæ nauis, nouum Christi gregem discessu suo mœstum, consolans Rhodius beneficio recentis gratiæ, pergebat ad ripam; sed obtinere à Paulo non valuit, ut per noctis obscurum, viam satis longam & alto impeditam ceromate pedes conficeret, quin & diuturna & ardentissima contentione id extorsit ut esset ipsemet quartus è gastatoribus qui rei ad nauim Patrem detulerunt, cum pari vectorum admiratione, Pauli lætitia, inéuitabili Rhodij pudore. Postero die in mare subeunt; & propiori & remigio radentes litus Chenum tangunt; inde oras Engheanæ Provinciæ, sitòsque in iis Cuaciæ, & Cuasoti portus lustrant, Rhodio ubique æternitatis semina mittente, quæ licet obiter iacerentur, fructus edidère.

63.
Mira pietas
Neophyti
nobili.

edidère non obuios; iis prætermiſſis, vnum hic memoro ingentis ani-
mi Christianum Andream nomine, qui vt aſſequeretur Patres, millia-
ria octoginta per montes aſperriſimos confecit, hoc vnum ambiens vt
matri, & foetui baptiſmum impetraret, quas ſecum ducebat, annis
graues, & otizæ ſacco quem ſibi vtraque in cibum ferebat. Subitu-
rus in fines Prouinciæ Bochini, Præfectus nauim cenſuit mutandam,
quod maris illius periculis impar eſſet. Cum illa remiſit partem præ-
ſidij militaris, ex quo decem, & octo, tingi baptiſmo petierunt; & po-
ſtridie luſtrati, Christianis in auſam ſalubria monita Patrum nomine
reportarunt. Plus negotij fuit in expugnanda Præfecti idololatria, ſed
hoc idem qui ſibi eum in famulum legerat Deus biduo peregit. Die
Aprilis quinto & decimo quem colebat iſ annus vndeciſimus ſolen-
nem Chriſto reſurgenti; Præfectus mari, cœloque vocantibus in al-
rum ſoluit, verſa in cornu proſa, quo nullum eo tractu formidabilius,
& putant indigenæ Archidæmonum aliquem ſuam illic habere Regiam,
& nauium ſtragibus crudele imperium in rupe exercere quæ longè in
mare porrigitur; nauarcho nemini vel tantum roboris vel audaciæ ſit vt
aggrediatur hanc præteruehere, niſi ante placato ſacrificiis dæmone.
Quod dum parat Præfectus exequi, Patrum rationibus & Ignatij Ca-
techiſtæ inhibitus eſt tandem ab eo ſcelere. At enim mutato paulò poſt
cum mari, & ventis in aduerſum cœlo, videbatur proſus moueri
tempeſtas à dæmone, cum nec liceret retrò vela dare, nec vltèrius niſi
in ſcopulos, & naufragium tendere; hic ſe ipſe inculans Præfectus, &
ſimplicitatem ſuam nimium credulam, debacchari aduerſus Catechi-
ſtam, & ægrè ab illo manus continere, vt prius videret mari præcipi-
tem ſorberi, quàm ipſe ſorberetur; prodire ad ſtrepitum, & clamorem
Patres, caſſiſque ad tumultuantem ſedandum verbis, cœli Domino cui
ſamularentur, & cuius nutibus obſequerentur venti & maria ſpondere
mox ſe vora facturos; vix ergo Marcheſius, ſacrum Laurentio Mar-
tyri flexis genibus vouerat; Rhodius *Pater & Aue* recitabat; & fluctus
concidere, componi mare, auræ recta in puppim vertere, tamdiuque
aspirare dum nauis in tuto conſiſteret. Tàm ſubita poſt preces breuiſ-
ſimas cœli vnà marisque mutatio Præfectum edomuit, nihilque addu-
bitans peractam diuinitus, miſſis aliunde ſuaſionibus, & argumentis,
quibus crebrò pulſatus fuerat Christianum ſe eſſe profeſſus eſt, eadè-
que in naui cum ſex militibus ſacra vnda luſtratus Auguſtini appella-
tionem ex ea tulit, impetrauitque à Præſide Bochini, cui Patres erat
traditurus in Cocineinam contiguam tranſuehendus, vt liceret iis con-
ducta nauicula, pergere quocumque libuiſſet. Præſes ætate octogena-
rius, Magiſtratuum geſtorum experientia, & iuris integritate clarifi-
mus, ad comitatem quam iis exhibuit, ſtipem addidit largam, & mul-
tos in dies ſuffecturam; donatus & ipſe ab iis viciffim Ricciſſi Cate-
chiſmo, quod putarent illum pro ſua ſapientia, libri eius ſolidiſſimis
rationibus ceſſarum. Idne fieret mors fecit viri primarij, quem in au-

64.
Præfectus
nauis quæ
noſtros xul.
vehebat, mi-
raculo con-
uertitur.

lam profectum, paucisque illic à baptismo diebus extinctum, vxor vulgauerat, urbemque turbarat iisdem quibus aula strepebat rumoribus; legis mortem esse, Christianorum legem; centum hodie si hanc susciperent, quinquaginta cras vix fore superstites; nostros mortis esse legatos; cuius nominis admiratione confluit populus ad eos videndos cum primus illic conspecti sunt. Præses vitæ amans quamuis decrepitæ; mortis, vt ipse quoque vocauit, legatis libenter indulgit, in Engheanam transiret, Prouinciam quam regebat cum imperio eius frater. De Christianismo haud magis consulere sustinuit, quam de morte in præsens obeunda, eam tamen infelix infelicissimam sexto post mense ethnicus obiit. Patres illic dum nauim, & ventos expectant; ex continuata verbi Dei, constantique prædicatione, præter ludibria, & sannas, & contumelias nihil retulere; sex tantum vno mense scribit Marchesius baptismo tinctos. At verò Engheanam versùs quocumque applicarent, forte vsi sunt meliori, & alicubi centum duodecim ab idolis ad Christum traduxere. Rutam appulerant, portum Metropoli proximum, in qua illos Prouinciæ Præses affabilitate collegit eximia, quam auxit maiorem in modum, solis paulò post defecturi articulata prædictio, & qui prædicti deliquij momentis singulis ad amulsum respondit euentus. Suspexit illos Mandarinus tanquam ingenij potentia, & miris ultra quam credibile sit laudibus deprædicare cœpit illorum scientiam. Sed enim populus pridem iis iratus, & curam defectio-
 rum solarium, legisque diuinæ flocci habens, tumultuari contra eos; famosis quotidie illos programmatis, & quam docebant legem profcindere; orbis perniciem, & Lusitanicum bellum vocitare; ne Diis quidem suis insani parcere, sed illorum inertiam, & impotentiam ac-
 culare, quòd sua lenti spectarent dedecora, & capitalium hostium non vlciscerentur iniurias. Erantque odia in peius eruptura, nisi vigilantia Præsidis, Patrum cauisset incolumitati. Quare minis, metuque delationis apud Regem exterritus quod hostes, & exules foueret, rogauit illos admodum comiter, cymbam sibi pararent, & prono, aduersoque amne qui mare influens in portum exibat, docerent quos vellent Dei legem; noctu sub arce ab insidiis prædonum, & populi rabie tutarentur sese, qui vnus iis erat receptui locus, càm præbitum ipsis hospitium, Christianus iactura omnium bonorum, suoque & vxoris exilio luisset. Cymba ergo cœmpta, vitam in ea ducebant aquatilem, vndique reiecti, proculque lapidibus etiam amori si qua terram tentassent legere; ne, quod constans habebat opinio, extremo infortunio paterent, qui eos admisissent; ipsi verò quot, & cuiusmodi conflictarentur incommodis, nihil attinet dicere, sub dio perpetui, sub sole, & imbribus, cœlique aduersi iniurijs, quas et si grauissimas ferebant leuius orbitate teneræ Christianitatis. Nam in Cocincinam ex Tunchino transire in eam armato, & bellum mouente, nisi prodicionis suspecti non poterant; & offensionem Regis Cocincinæ verebantur qui ex

ea nostros pepulerat. Vagos in hunc modum & consilij inopes miser-
 tus Christianus, metu omni calcato, per fratrem inuitat, vt se in do-
 mum recipiant, quam habebat in syluis à publico semotam, ne ven-
 tis deinceps inualescentibus flumine sorberentur, quod iam periculum
 non semel experti fuerant. Illic dum se vt pollunt à populi odio, &
 cœli molestiis tuentur, propinqua fame vrgeri incipiunt, decrat ori-
 za, nihil suppetebat quo illam emerent; illos ed adegit necessitas, quod
 nunquam antea sibi licitum fore statuerant. Catechistam Antonium in
 aulam destinant, subsidij aliquid in iis angustiis relaturum aut stipis,
 aut mutui nomine bona fide reddendum, in nauis annuæ aduentu; ac
 nummos quidem viginti retulit cum incredibili miseratione à Christiani-
 nis missos, quod autem minimè omnium expectabant, P. Amatalij li-
 teras, quibus monebantur, P. Saitum Paulum Iaponium oneraria Ma-
 caensi secum illuc deuectum; in portu constiterat nauis tridui ferè iti-
 nere à Patrum latebris, ad quos illic scapham misit commeatu neces-
 sario abundè instructam; at ij gratis benigno hospiti prolixè actis,
 scapha eadem mirè læti ad onerariam, & sociorum complexum festina-
 bant; sed ab Regiis qui eos præuerterant Ministris, Eunucho præfer-
 tum omnium pessimo; velut peste contacti, arcantur longissimè, nec
 precum vlla vis mulcere hominem valuit; donis oportuit accessum ad
 nauim, & in eam ascensum ex illo emi. Octimestre iam Rhodio &
 Marchesio abibat, aqula extorribus, sed tamen passim regno vagis, &
 consolabatur quidem eorum molestias, illarum præmium, & sexcen-
 ti quos interea lustrant Christiano fonte; verum magno dolore, pri-
 dem sacro carebant epulo, quò idoneam eius nullam haberent mate-
 riam; die Apostolis Simoni, & Iudæ consecrato; peracta in naui di-
 uina re, optatissimo illo pane resecti sunt, & egere cum Deo impen-
 sùs de inflectenda Spadonis mente belluina, ne vetaret ipsos duobus
 in aulam Patribus accedere comites, & cum ipsis Regi annua munera
 Macaensium nomine offerre. Id illi dum tentant exorare, rati se affatus
 commodos legisse, in eum furorem belluam egerunt, vt conuitorum
 parum satur quibus eos indignè onerabat, inuolaret in eorum oculos,
 capitibus diriperet pileum, (qua ignominia nihil est illic probrosius)
 rueret etiam in peiora, nisi qui circum adstabant Christiani suo illum
 numero terruissent; quare paulum digressus, clamore ac nutu, vinciri
 arctè illos iubet. Verum enim vero tam intoleranda in Patres iniuria,
 tantòque sui dedecore offensi Lusitani vix à se impetrarunt, vt absti-
 nerent ab eo manus; quod securiùs videbatur, semiuero edicunt, Patres
 illos in aulam aut secum venturos, aut in Cocincinam se vela vertere.
 His Spado timidus in se redit, Lusitanis in aulam Patrum exulum an-
 nuu comitarum, dumtaxat ne in eadem nau; sed ne id quidem obri-
 nuit Spado, edictione maioris potestatis à Christianis prouidè curata,
 oneraria ipsa qua Amatalius venerat in aulam subierunt. Hoc vt quam
 minimo fieret strepitu præmissus Ignatius Catechista, fideles monuit,

lætitiam publicam non modo omitterent, verum neque adire ut Patres nisi pauci simul; quo tamen prudenti consilio non id effectum est, ut Rhodij aduentus (laude certè ambigua susceptus) Regi probaretur, quare omnibus in cassum adhibitis, ut admitteretur in eius conspectum, quod reliquum erat, totum se in utilitatem fidelium contulit, & conversionem ethnicorum, haud quidem in propriis ædibus, quas si vel furtim quis ingrederetur, certò exibat ruidus, & fustibus onustus. Naui suis defuncta commerciis, & primis Etelsis Macaum reditura, mandavit Rex Patribus quatuor, discessum adornarent, nec fuit exinde tergiuersandi locus. Christiani mora quinque aut sex dierum, quæ nauem adhuc tenebat in ancoris, Patres confessionibus diu noctuque obruerunt. Quibusdam in mentem venerat res Christianismo priuatim percommoda, publicè non item. Optabat alius aliam è Catechistis sibi obstringere, quos communi bono ad omnem virtutem & peritiam muneris formarat Societas; designabant illis aliqui sorores, nonnulli filias in vxores ut eos perpetuo apud se tenerent eo vinculo alligatos, tametsi genere non pares. Sed enim Patres qui nullos habebant præterea quibus salutem tot Christianorum committerent, quique illos diu curis ingentibus, & sumptu ad omnem doctrinam, & sanctimoniam informent quæcumque potest ab laicis in plebis Neophytæ regimen proficisci, consultius aliud Deo planè mouente inueniunt. Catechistis quatuor optimis suadent vitam suam Deo, temporario voto tandiu consecrarent quandiu illorum obsequio Christianitas illa egisset. Qui ut erant piè sanctèque animo affecti, conditionem vltro amplectuntur, & quo die Patres erant discessuri, post rem diuinam, in conferta Christianorum frequentia peractam, ad aram prodeunt Franciscus, Andreas, Ignatius, & Antonius, votoque se triplici obligant ad vicarias partes rectè obeundas Apostolici muneris quod sibi à Patribus credebatur. Imprimis victuros cœlibes, donec placitum Deo foret Sacerdotes illuc remittere à quibus illa Christianitas regetur; deinde peculium non facturos, sed benignè donatis æquali iure in commune vsuros; Postremo illi obtemperaturos quem ex iis Patres præesse reliquis voluissent. Quibus ritè promissis singuli, sigillum addidere diuinæ Eucharistiæ sumptionem; Christianis mirè laudantibus generositatem propositi, & iam inde se protus illorum ductui ex Patrum præscripto dirigendos religiosè tradentibus. Horum autem labor, & vitæ ratio tantæ fuit admirationi, eosque virtutis æmulatione tam multis subiecit aculeos, ut centum iuvenes pietate, & sanguine nobiles eorum ambitent institutum, nec esset pars eius Ecclesiæ sanctior, & fructuosior quàm Catechistarum. Post quæ, mutuas inter adpreccationes, lachrimas, & lamenta deducuntur ad nauim Patres à suis Christianis, nunquam iniuicem reuidentis. Reperamus nunc Sinas, & gestorum in iis seriem ab anno huius æui trigésimo, sed multò breuius quàm mihi licuerit præstare in Christianitate Tunchinensi cuius varjos

651
Catechistarum
vota tria.

casus opinor cum tædio legerint, qui voluptatis causa legunt, vellentque scenam in noua prodigia singulis paginis mutari: hoc ego hic ago, (æquis rerum magnarum æstimatoribus vt reor placitum) & intelligi hoc volo quanti sit, & molitionis quàm arduæ quamque heroicæ Christi Regnum, regno inuichere idolis integrè mancipato, vbi quæ maximè videtur obstare religionis pugna, leuior est si cum aliis quæ expugnanda sunt conferatur, ex quo euident fiat, quanta illos vigete virtute ad agendum, quantò ad tolerantiam animi robore pollere necesse sit, qui ad hoc opus accinguntur.

Quam nobis lætitiã fecerat præcedens annus ex restituta libertate, ad emendationem Calendarij Sinensis; eam præsens annus turbauit plurimum, præstantium hominum P. Terentij, & Doctoris Leonis duplici iactura, quorum præcipuè ingenio, & doctrina, emendatio illa nitebatur.

Terentium Pechini occidit morbi leuissimi violentum, & furiale remedium, quo in sudores liquatus continuos, viribus tandem & vita defecit Maij decimo tertio, ætatis anno quinto post quinquagesimum; Societatis vigesimo, habitationis inter Sinas nono. Natione Germanus, Constantiensis ditione, in Philosophicis, medicina, & Mathematicis eminens, à magnis vtriusque Germaniæ Principibus, magnis item inuitabatur conditionibus, quas Societatis instituto generosè postposuit; eius in Indiam, Malacam, Macaum, in Sinas, & quam longè tenduntur Sinæ, non fuere, vt solent errantium, deproperata itinera; omnia notabat acutissima curiositate, in omnibus philosophabatur; & manu etiam habili qua valebat, plantarum figuras, & animantium reddebat, & natiua eorum specie coloribus expressas; quibus, & aliis illorum Regnorum singularibus, ornare parabat Bibliothecas Europæ. A religiosum hominem quod spectat, & virtutes Apostolo dignas, venerationi fuit etiam ethnicis, qui profecuti sunt luctu eius mortem; funus vlronea largitate; quod quidem tunc primum à nostro exilio solenni ritu elatum est, vt sub Regis ipsius oculis, reuocaretur in possessionem officium illud vltimæ pietatis, quod viro in Regis domesticos adscripto, Mandarinorum nemo tentasset contendere. Non diu post Rescripto Regio Doctor Paulus iussus idoneo astronomo locum Terentij supplere Patres Iacobum Rhò, & Ioannem Adamum Scial euocauit, qui manum supremam imposuere Calendario operi multis difficultatibus perplexo. Nondum sextus mensis à Terentij obitu fluxerat, cum Doctorem Leonem mors nobis eripuit, illum toties laudatum, sed hic si vltquam celebrandum, vbi multum sibi labore affiduo de vita detrahi neglexit, modo is labor fidei proferendæ aliquid adderet. Quare Hanceo à Doctore Paulo, trans Prouincias quatuor ingentes Pechinum inuitatus, ad iungendam secum Patribus operam, nec annos excusauit sexaginta quinque in decrepitem senium vergentes; nec valetudinem morbosam, nec reliquias vitium tam exiles,

DD dd 3

66.
Mors P. Terentij aelgæ.

67.
Doct. Leonis mors.

ut possent casu quolibet extingui, ut planè contigit, & meritum amissi olim Magistratus pro causa fidei, merito cumulavit breuiatæ nunc ob eandem vitæ, quam domi licebat alioqui, apricam & longam extendere. Ante annos vnam & triginta Deum cœperat nosse; agebat vigesimum à baptismo; æquè semper & idololatra, & Christi cultor, in defensionem religionis veræ expeditus. Scripsit ille de se ad Affluentem Hispaniæ Nunnum Mascategnam, anno æui exacti nono & nonagesimo, se doctrinarum Occidentalium illecebra captum à Riccio; fuisse tunc illas pretiosi saporis dulcem escam, ad quam vnam currebant Literati, huius cupidine, Doctori Leoni se tanto amore copularum ut diem sibi vitalem non crederet, cuius horas quinque cum illo non egisset. Hinc ille diu meditatus quâ posset securius Christi fides toto imperio diffundi, nihil iudicarat validius quam ut scientiarum nostratarum grato illicio cicurarem Literatos, & addiceremus illos nobis peculiari beneuolentia, quæ pro summa qua pollent potestate necessarios fidei propagandæ aditus referaret. Sensim vero illos pro ingenij bonitate cessuros veritati, & ex naturalibus Doctrinis ad diuinas non ægrè transferendos. Eam ob rem instare perpetuo Patribus, ut Europæorum egregia opera, Sinensi caractere, ac lingua ederent; alere suo ære ad hoc idoneos; requiritate ex iis blanda importunitate, quotidiana pensa, styli sui acuto, & docto pumice perpolite, ornare procæmijs, suo excusa sumptu latè per imperium vulgare. Iam ut discipulos Partibus quam plurimos cogeret, ostentabat gaudens quantus ipse illorum è manibus exisset; nam de subtiliori arithmetice, de physicis, & diuinitatis volumina edidit plus septem, & vnginti, quorum præstantiam de ingenij sui fœlicitate natam, Patrum magisterio auebat tribui, ut multi se illis in disciplinam darent. Iucundissimus tamen eius labor, in piorum librorum editione versabatur. Libros sacris de rebus viginti quinque nostri typis mandarant, in quibus vix fuit pagina quam ille amica, & acti censura non excoluisset. Asserebátque illis, præsertim Riccij Catechismo, quicumque resisterent, & Christo idola non mutarent, aut mente cæcos, qui tanti solis non sentirent fulgorem; aut animo atque voluntate, qui ab se solem excluderent, ne compellerentur fœditates cernere, & odisse quas amabant; & Christiana sanctitas, cum horrore damnabat; ob hoc ipsi longè venerabilior Iesus quilibet Christianus quàm Colaus Sinensis. Ob hoc vilia omnia, & abominata quæ idolorum afflasset fumus. Anno sæculi quarto & decimo, missus vrbi cuipiam Præfectus, & in palatium magno nobilitatis vrbicæ comitatu inductus, derisit statuarum frequentiam qua pretiosa & splendida, fulgebant vniuersa, quærit quo suo commerito se in tartarum compegissent? tartarum planè domum illam esse, in qua dæmoniorum plus decuplo numeraretur quàm hominum. Se quidem vel gaza coronæ Regiæ inestimabili nunquam adductum iri ut cum dæmonibus habitaret, proin si hanc sibi habita-

68.
Neophyti
Mandar. he-
roicæ virtutis.
1495.

tionem adornassent, extruderent ex ea dæmones, hoc est inde omnes
 statuas deturbarent. Cohorruere adstantes illo imperio, Præfecti qui-
 dem potentiam veriti, sed magis Deorum, quos si nefariè ad eò vio-
 lassent, actum de se putabant, seque mox hiantibus inferis glutendos.
 Ac is manu, & scalis, & securi, deicere, sternere, frangere mem-
 beatim, assulatim, & frustra hæc, ait placidè subridens, in culinam
 deferte ad coquendos mensæ meæ cibos. Pavère hac primum catastro-
 phe, ethnici spectatores, & fulmen, ignisque de cælo expectare; vbi
 vero illam Deorum stragem nihil consequebatur molestiùs, sed suum
 tenebant omnia in cursu modum; mussare inuicem, & argumentari,
 vel existè de mente Præfectum, eique vt stulto, misereri Deos quam
 irasci malle; vel esse ligna & lapides Deos illos, præterea nihil; ab iis
 certè nec sperandum quicquam, nec pertimescendum; ac vindictam
 quidem quam saxa & ligna non poterant, Leoni sapissimè dæmones
 intenterunt, verum semper irritò conatu, Deo fidum sui nominis as-
 sertorem vbiq; seruante, atque interdum prodigiis, incendiòrum
 presentium, & mortis pericula ab eo depellente: quibus sanè peculia-
 ribus cæli donis haudquaquam se indignam præbuit eius familia nu-
 merosa, & Christianæ virtutis minimè vulgaris professione spectabilis.
 Rogatus Pater ad benedicendam ex Ecclesiæ ritu eius domum, in ex-
 piandis lustrali aqua gynæceis, vidit suum in singulis alrare bellè com-
 positum, sacrâsque in eo imagines eleganter ornatas, flagella etiam
 cruentata, non afflicta modo corporibus propriis, sed conuersio-
 ni agnatorum suo sanguine redimendæ: & fuit quæ ethnicum ab au-
 dienda Christi fide obstinatissimè auersum, dierum decem ieiunio vicit;
 Crebris ad hæc Leo familiam, publicè absens, monebat literis; sed
 accuratiùs, post repetitam confessione generali vitam omnem decimo
 prius quàm moreretur anno: ab Exercitiis enim S. Ignatij velut altera for-
 tace inflammator ad omnem sanctitatem, familiam conuocat, veniam
 ab iis rogat si quid fortè de se iis exhibuisset exempli minus laudabi-
 lis. Tùm Faustinum quendam ex famulis vnum, ætate, ac moribus gra-
 uem, sibi tanquam patruum statuit, & vbiq; dicto factòve labe-
 retur serium monitorem, quas in tanto viro pietatis minutias, malent
 pij lectores à me scriptas, quàm arma Sinarum in Tartaros, de qui-
 bus nunc ad me nihil attinet. Sed reddo suprema Leonis verba quibus
 die omnium Sanctorum vitam clausit hoc anno 1630. Doctoris Pauli
 manum tenens, & teneriter flens; morior, ait, cum cepisset vita ob
 hoc mihi placere, quod rei proderat Christianæ; sed gaudens morior,
 quod tuis mi Domine manibus Patres nostros committo, quos noui
 tuo securus præsidio meum haudquaquam desideraturos, proinde nec
 puto mea egere commendatione, cum sciam illos tibi æquè vt mihi
 cordi esse; sic ille; sic ipsi triennio ante Doctor Michaël moriens, no-
 stros commendarat; parq; studio post tres annos Colaùs Paulus,
 Doctorem Petrum in cura nostrorum gerenda sibi substituit; hæredi-
 taria

taria quadam summorum virorum in Societatem benevolentia, quos elegerat Deus tanquam columina Sinensis Christianitatis. Et redamavit illos vicissim Societas, habuitque filiorum loco, & indicit per orbem uniuersum, sacrificiis & precibus defunctos iuuat. Leonem annos unum & triginta constanter nostrum, nulla vsquam pericula, à nostri patrocinio retardarunt; primo suo ad Deum accessu, aditum nobis in Sinas aperuit inducto-Hanceum patriam suam Cattaneo. Eius industria Pechinum Rex nostros diu exules reuocauit. Eius domo, periculo, & sumptu, tyranni Scin rabiem nostri deuitarunt, tam notus erat eius in nos amor, vt qui non auderent illum offendere, nostros impeterent, rati telo eodem ipsum quoque configi. Accedebat his continua largitas in nostros & domi egentes, & iter facturos, & editioni librorum daturus operam. Aedes quidem nobis Doctor Michaël curauit, sed hic templum construxit. Summum erat, ardensque vehementer magni viri votum, vrgebátque illud apud eos qui præerant nullo sine ac modo; dicere solitus; [si Patrem nostrum Generalem (sic illum nominabat) daretur alloqui, certò illi persuaderem Sinarum Regnum Patribus implere tametsi ad hoc Europæ dimidium illorum opera priuari oporteret.] de quo Romam rescribens ad Mascaregnam sua illi obsequia prolixè in omnibus deferentem, aiebat nihil sibi animo altius insidere, nihil aut acrius poscere, aut flagitaturum deinceps importunius nisi vt ingens & absque numero, nostrorum numerus in Sinas mitteretur, futurum enim quantuscumque is foret, necessitatè breuiorem. Consequabatur hoc animi studium læticia gestiens quoties Macao veniret; dabátque se illis affectu non dispari, parentem & Magistrum; curate igitur iis necessaria; securari num satis interulis contra frigus muniri; docere illos ceremoniarum comitates, & omnium rituum intricatissimam ambagem; proclinationum modos ac numerum, variis Mandarinatorum distinctum gradibus; delineare illis formam characterum Hieroglyphicæ illius scriptiõnis; sonos præter, accentusque sonorum in pronuntiando natiuos, & nobiles; gaudere illorum in his profectu vel minimo, laudare ingenium, facilitatem attolere; quæ in homine id ætatis, & gradus tam propè puerilia, & abiecta, proficisci non poterant nisi ex incredibili in nostros tanquam suos amore, & ardentissimo studio fidei propagandæ.

69.
Mors Lud.
Gonzal. scol.
Societatis.

Habet præter dicta hic annus trigessimus mortem egregij iuuenis Ludouici Gonzales nondum Sacerdotis, de quo ex Patribus non nemo, Macaum aiebat, sanctum hæcenus cælo dedisse nullum, si quos esset datura, primum in iis fore Ludouicum, cuius adhuc in seculo virtutes, videbantur esse prænuntia. Quare illi parens Lusitanus, & mater Sinensis à caducis alienissimo nihilque præter cælestia spiranti, facile assensere in proposito Societatis ineunda. Noctis bonam partem precando exigebat; diei ægrotis ministrando in nosocomiis, & propensius leprosis. Sodalitati præerat, cuius unum erat in piis operibus ex instituto pensum.

penſum. Modestia iuuenis hoc mirabilior, quo illic rarior; amor in pauperes tam miſericors, & effuſus, vt ſæpè domum rediret ſeminudus, quòd parte veſtium texiſſet eorum nuditatem. Annum inchoabat ætatis vigelimum, dabatque Theologiæ operam cùm Societati applicuit animum, in miniſterium Sinenſis expeditionis. Miſſus eſt igitur in Sinas ad tyrocinium, ſimul ad aliquod Scripturæ Sinenſis, & linguæ rudimentum, quo in ultimo aded nihil egit, vt ne veſtigium quidem biennis illius ſtudij præferret, quamvis excellenti memoria præditus; ac enim paucis poſt tyrocinium menſibus, mediocri ſtudio, eos egit in iis literis progreſſus, vt cui parebat P. Cattaneus negaret ſe poſſe alteri quàm magiſterio diuino illos tribuere. Motus animi ſic edomuerat, vt cùm eſſet ingenio ardens, pituitoſus crederetur; corpus tam inimicè laniabat, vt eſſet ab eo inhibendus; horrori erat copia ſanguinis, quo induſa, & ſolum cruentabat; qua ſui verberatione abſtinebat quidem in itineribus, ne plagatum crepitu aduertet comites, ſed ungues altè carnibus inſigens, dolorem verberum ſcarificatione illa accerbiſſima penſabat; nihil fuit domi tam abiectum & laborioſum, quod vitrò non ambitret; imò & aliquo difficultatis auctario, ad meſſiti cumulum condiret. Poſſet non temerè illius victus, quotidiani ieiunij cenſeri nomine, nec ferè aliud ſinebat noſtræ Hancei ſtationis in qua degebat penuria: & quòd munuſculis tùm vtendis tùm recipiendis abſtineret, quibus miſſitandis certè parentes non parebant, ſat erat hunc ſcire, ex partia veniſſe. De hoc ſuo amore religioſæ paupertatis ad amicum ſcribens, ah! poſſem, aiebat, meipſum quoque in mancipium tradere, vt nec vitam hanc mihi fas eſſet meam nuncupare. Iuſſu alia quæ offerebantur pia munuſcula non repudiare; parebat quidem, verum ſimul accepta facultate, iis tam celeriter exonerabat ſeſe, vt ſe multi libenter iisdem onerant. Tantis ſpatiis ab terra, & infimis; ab ſuis & omni ſuorum recordatione, atque aded à ſeipſo auulſum, & purgatum, mirum non eſt, ſi tam defœcati ſublimè in Deum leua- rent affectus, ſemperque in eo habitaret, colloqueretur, lachrimaretur, ſuſpiraret: quæ fuit cauſa Sinæ cuidam apud nos diuerſato dicendi domum illam viſam ſibi fuiſſe paradifum. Habuit ſuum nihilominus quo excoqueretur ignem tam beata virtus; ſcrupulorum tormentum, quo nullo in terris bonorum animæ torquentur immaniùs. Hoc ille ferendo, & obtemperando ſuperavit. Vno demùm poſt tyrocinium ſuam anno, morbo icтус, putauit ſolito ſe ſui neglectu, vim morbi eluſurum; ſtetit in pedes actuoſus ad diem ſeptimum, quo planè viribus deſtitutus cum decubiſſet, duabus poſt horis animam efflauit, magno Chriſtianis qui eum ex virtutum præſtantia nouerant ſui deſiderio relicto.

Sublato è viuis Terentio & Ludouico Gonzales, ſubière in Sinas quinque, Octobri menſe, Tranquillus Graſſecius, & Petrus Caneuanius Itali; Benedictus de Matos Luſitanus; Stephanus Faber Gallus;

E E e e

Michaël Trigaultius Belga, Nicolai fratris parente ortus, nec fuit aliter suspicacitas lyncea Canonensium fallenda, nisi Lusitanorum habitu, & cultu; nam decem bellicas machinas & arma Macaenses ad Regem Sinarum cum libratoribus illarum dono miserant aduersus Tartaros, Legationis huius caput Gonzalus Tesseira Correa Macaensis, interpretem duxerat P. Ioannem Rodriguez qui deinde Pechino remissus est Macaum ut auxiliarios Lusitanos trecentos Regis nomine impetraret, quibus quinque illos de nostris admiscuit. Crecebat interea iis profectibus Christi fides, qui magno dolore nostrorum animos, & stylum accenderent, ad operarios flagitandos quibus non dicam stationes, & partes operæ, sed regna diuiderent propinqua messe absentia. Nec enim licebat stationum nouarum studio, partiarum curam prius omittere, quam professionis suæ sanctæ absolutam formam, Neophyti penitus induissent; nec statua hæc Patrum vno vel tempore vel loco arctabantur, sed suam quisque descriptam habebat regionem urbibus, oppidis, & pagis frequentem, quam sursum deorsum perpetuo, itineribus, monitis, prædicatione, doctrina peragrabat, erantque ij discursus continuatæ velut conciones quibus captus subinde populus integer Ecclesiæ accedebat. Quod nunquam profectò futurum fuisset nisi factorum documentis, sanctimoniam Christianam ex Neophytorum innocentia suspexissent, qualem, apud suos etiam Bonzios, animorum Magistros nec discebant, nec deprehendebant.

Cæterum hanc nobis agendi libertatem, tyranni Scin factilega rabie ereptam, nunc primum post annos tredecim integratam, debemus Calendario abaco, cuius nobis emendationem solenni mandato Rex imposuerat, ex quo tantum quotannis cernemus extitisse ad profectandam, & defendendam Christi fidem præsidium, ut nullum humanitus fingi valeret potentius. Et hinc Patres subibat, Riccij dulcis, & grata memoria, qui sancte futuri præfagus Mandarinis primus inuenauerat de Calendaria tabula, nostrorum studio reformanda: inde alterius, quisquis is fuerit, certè non grata recordatio cuius edictione nostri vetabantur correctionis eius oblatum munus admittere, nedum illud sibi deposcere; quod Euangelij præcones negaret decere, scientiæ alterius speciem præterquam solius Euangelij præbere; constabat autem amœnioribus literis, apertam in Sinas Euangelio Christi viam, eiusque Ministros aduersus leges peregrinitatis, Literatorum beneuolentia defensos, quam sibi artium Europæarum prudenti ostentatione conciliauerant. Ex vna quidem suadendi Christi libera facultate, quam Calendarij præfens instauratio attulerat Vagnonius, & Rhò in Prouincia Sciansi quingentos circiter hoc anno baptizarunt. Sequenti Vagnonius sexcentos, tum centum supra mille; fuitque non dispar fecunditas stationum decem, quas in præcipuis octo Regni Prouinciis tenebamus. Præter hos prouentus Neophytorum tam prosperos, aliud extitit postremis his annis incomparabile ex ea quam dicitur reformatione

70.
Literis petitionibus, aditum
in Sinas Religio sibi
muniuit.

trone Astronomiæ Sinensis. Eodem nimirum aditu Christi crux palatium subiit; sibi quo nonnullos auctoravit ex primariis Eunuchis, quorum unus, quem post laudabimus, præstanti opera, parvus Sinarum Imperator baptismo lustratus est cum Imperatrice ipsius parente.

Dum verò ubique operi, nostri feliciter instarent, Adamus Scial in Singanfu, vrbe Scensienfis Prouinciæ Principe, infracta constantia laborem sudabat, nemini vtilem; sibi patientiæ innictæ diuitis vberem. Nusquam tot alibi accusationes, iniuriæ, vadimonia, probrosæ passim epigraphes in legem Christianam, ea in ipsum foris conuitia exhibilantium, & contumeliæ; domi molestiæ & æræmnæ, vt eius quidam socius, Nanchini carcerem expertus, mitiorem putaret, commoratione illa Singanfuana. Sed hoc demum anno mutatione omnium repentina, eos legit tolerantia suæ fructus, qui nisi miraculo adscribi non possint; nam exinde omnes ita est nactus sibi beneuolos, eosque maxime qui se præ cæteris vexassent, vt templum ædificaret sanè magnificum & ornatum, sed in eo prorsus mirabilius reliquis quod fere ex stipe ab ethnicis non tam corrogata, quam certatim collata constructum est; corumque frequentia celebratum dum verba faceret de negotio salutis, cuius summa esset, obseruatio legis Christianæ. His circumfusum lætitiis Adamum, & iam ethnicorum quinquaginta lustratis gaudentem primitiis, Regium diploma in aulam accersit, & in noui gregis continuanda cura, partes eius, vnus è sociis accipit. Fuere, quidem eiusmodi vrbes, & oppida ingenti numero, quibus veræ salutis, ministerio Patrum affulsit prima lux, vel si ex aliquo æternitatis fatu iam emicuerat, latissimè fusa est; verum huiusce faustitatis palmam tulit Prouincia Fochiensis, cuius ex Metropoli Focco incredibile est P. Alenius, quot terras obierit, ignem Christi quàm longè sparserit, Christianorum cætus quàm multos coegerit; quot Ecclesias fundarit, Ciuencum sola, Metropoli prope par, nisi quod situ felicior, operarij cuiusuis in extinctum robur, & animos, magnitudine laboris fructuosissimi potuit exhaurire. Quem fortè Deus inditio voluit ineluctabili animare, adoratæ illic veteribus seculis, Christi crucis; Dum enim antiquæ fabricæ sepulta rudera educunt fossores, in marmor incidunt crucis effigie visendum, crassitudine digiti extantis, & concinnitate pulcherrima figuratæ. Surgebat in altum palmos duos & sesqui, tanquam scapus ex vmbilico plantæ, illic notissimæ, quod fronde æboribus craterem formet aspectu elegantem; accurrunt Sinæ ad spectandum id signum; nam iis vbique venerabilis est quibus antiquitatis odor; auent multi de illo cognoscere; docentur illius intelligentiam, & arcani illius maiestate benefica molliti, Christianismum profiterentur. Ad hæc argumento inexpugnabili, falsè ridebatur Bonziorum mendax garrulitas, qui Patrum commentum interpretari soliti legem Christianam, cernebant illam euidenter possessionis antiquæ iure sectis omnibus Sinarum esse potiore. Verum enim vero nullum crux egit

71.
Repentini
fruct laborū
sterilium.

72.
Crux refos.
Ciuencei, in
prouinc Fo-
chiensi.

73.
Prodigiosa
morū com-
mutatio in
Neoph.

triumphum clariorem, quam de suffixis in crucem *viis & concupiscen-
tiis*, quibus Neophyti quotidiano miraculo suas ornabant victorias, &
qui heri effraenes vitam quadrupedum vixerant, hodie Christiani, an-
gelos viuebant: Locus est Hancei sacro fonte iuuenis Literatus, clam
patre ethnico, & valde occulte; at ne spatio quidem vnus diei celare
potuit quod erat, adeo se ab eo qui fuerat petulanti, & immergero
diuersum mox prodidit. Agnati quā sectæ contemptum indignati, quā
paterni iuris vsurpationem in deligenda vitæ ratione, parenti suadebant
cum ad idola retraheret; quibus sapiens senex, imò, ait, si nondum
Christianus foret, omnibus lachrimis & precibus agerem, vt esset,
nec vel in crastinum tantum boni differret; per me quidem vt talis fie-
ret multis pridem ab annis fecissem, si quod video in illo factum, pu-
tassem fieri potuisse, & intelligere valuissem vim illam Christiani la-
uacri quod illi Patres contulerunt cœlestem, & diuinam, quæ conuer-
sione subita dæmonem transformat in Angelum; nam is, inquit, nu-
dius-tertius in omnem effusus libidinem, peruersitatem, proteruiam,
& curationis omnino desperatæ; mihi nunc parenti, exemplo est, pu-
dētque hoc ætatis, licet innoxie, & laudabiliter exactæ, abesse longius
ab ea virtute, quam haud scio quo satū in eo natam, pauci à baptismo
absoluerunt & perfecerunt dies, addēnsque de placabili modesto, do-
cili grauique illius iam Christiani ingenio complura in eo hæsit, quod
in iuvene nuper flagitiis dedito, iure portento vocabatur simile; pudore
videlicet ab occurso, affatu, & aspectu feminatum, auerso, & re-
fugo, in quem antea effrons, & insolens palam ferebatur, nunc ad col-
loquium si cogitur cum iis consistere, collectus intra se, fixisque in ter-
ram oculis id agit, anxius interim, ferēnsque verecundē si vel dubitat
ab iis se aspici; virgo denique renatus videtur, in quo vtiā, & no-
stræ virgines illum æquent.

Ob hæc beatum me arbitror, & illam Christianorum legem millies
appello, & prædico sanctam, cuius etiam prima professio alumnos suos
sanctos facit.] Hæc ille quibus aduersarij fraudulentū comminici nihil
poterant quod opponerent, plus nimio certi nusquam apud sequaces
idolorum, integritatem illam repertum iri, quā in nouitiis Christia-
nis negare non poterant. Porro conuersiones morum tam admirabiles &
nouæ, in decrepitis quoque, ac semper eatenus dissolutissimis senibus, ar-
gumentum erant, quo cunctæ Bonziorum iugulabantur calumniæ, & ve-
ra, si non erro, causa, cur in gente cultu, & ingenio docta miraculis pluri-
bus parceretur, quæ illic tantum necessaria sunt, vbi debilitas ratiocinan-
di mentem præbet assensionem difficilem. Quanquam ad damnandam su-
perstitionem ethnicorum, & corroborandam Neophytorum fidem,
tot omnis generis morborum sanationes extiteret, tot è cœlo vñta,
tantum in dæmones imperium, tam multa denique naturæ viribus ma-
iora, vt iustum possint volumen conflare; sed me magis virtutum pars
illa delectat, quæ nihilo ad fidem propagandam quā ea prodigia mi-
nis

nus efficax visa est; nam quod tam stultè Bonzj quàm malignè, mutationes illas morum in Neophytis illustres, magici carminis accusabant, non cogitabant hoc ipso stolidi se nostrum dæmonem Diis suis facere meliorem, qui suos sanctissimos faceret, illi deterrimos. Miraculo certè est in Sinensibus Christianis, educatione, & natura melioribus, pœnarum grauium inter iuuenes, quoque & maritas voluntarius vius quem in eos induxit meditatio Christi patientis Concionibus Patrum assiduis, imaginibus, & libris, pridem inculcata, & semper oculis animoque obiecta. Peculiarem, vt alios fileam, in laude hac locum promerita sunt Hancei femina, ieiuniorum crebritate, asperitate flagellorum, & ciliciis, quæ sibi vt plurimum texebant; quibus verò ars illa decrat, fronte solo ter quater admota, donari ea sibi à Patribus rogabant. Idololatræ vxor annorum viginti, sub capillari circumlo gestabat triginta suffixum aculeis, monumentum arcanum coronæ spinæ Redemptoris, cumque vt fert vsus patriæ comitatis, fronti manum sapius applicaret, premebat illos in caput aculeos ad sensum doloris toties reparandum; eam cruda sui verberatione copiam sanguinis ducebat è corpore, vt modus fuerit à Confessario ardori ponendus, quem ipsa teporem interpretabatur, marito præsertim ethnico à quo intime amabatur, iniquissimè ferente, illam sibi esse tam crudeliter inimicam, quod autem esset virtutis mirè ingenuæ, & consuetudine multum amabili experebatur à matronis etiam ethnicis, & audiebatur cum voluptate, de diuinis agens. Vocata igitur in numerosum gynæceum, in quo nulla erat præter matrem familias Christiana, Christum omnibus persuasit, haud tam dicendo, quàm agendo, & exemplis afflictationum, quibus obseruabant illam in semet deservire, & quarum ardorem in eas etiam transfudit. Aliàs rogata nobilem visere ex morbo fatiscentem, nec nisi ab horis aliquot Christianam, vbi eius impatientiam doloris, & vicinæ mortis amatorem, quibus licuit verbis diluisset, prehensam dissimulante ægrotæ manam, suo sensim lateri admouit, quod crassa præcinctum catena vt sensit, exclamans, proh! quid hoc, inquit, tormenti est quod vestibus operis: cui blandè subridens, scires, ait profectò, & experta scires, nisi recens adhuc esses Christiana. Sic enim solemus contracta quotidie apud Deum delere nomina, ij quidem illa, diuersa alij satisfactione, mihi cinctus catenæ ferreæ ad hoc visus est convenire. Quin demus nos esse omnium in terris innocentissimos, an possumus Christum inter opprobria, & cruciamenta, læti, & bene haberi cernere morientem, & qui mortis illius, & suppliciorum rei sumus, nihil eius amore perpeti? cuius documenti magisterio percussa matrona seipsam etubuit, & verum, inquit, omnino ais, mihi nunc si vires suppetent, profectò non parcerem vt cui tot annos idem fuerit viuere, & in Deum peccare; illorum vicem morbus hic subeat quæ factura essem si valerem; hoc vitæ residuum breue, aut secus, & patiens, & læta

E E e 3

74.
Neophyti
Sin. quam
ardentes ad
asper.pœnit.

75.
Legationis
exitus qua
tormenta bel-
lica Regi
Sin. mitteb.

perferam, quicumque illud cruciatus exasperauerint. Quod mentis
sinceræ propositum æquali oris, & animi serenitate ad mortem reti-
nuit. Intertextitur triennium sequens rerum similium aut satis vulga-
rium miscellaneis, ex quibus solum ea lego, quibus cognitionem se-
gentium fraudandam non censui. Tesseira ille cui nuper diximus cre-
ditas fuisse à Macaensibus bellicas machinas, ad Regem Sinarum defe-
rendas, haud multis à Pechino leucis, Lianchianum offendit à Tar-
tariis captam, ex qua illi vrbe parabant Regiam ac Regem obsidione
concludere; vna illis interiecta obstabat Cioceum, leucis non plus
septem à Pechino distans, sed eam ciues cogitabant fuga deserere, subit
in eam præsidio Tesseira & sui, pauci numero ac bello viuidi; quæ im-
pressionem facturus Tartarus, machinis muros armat, & cantheriatis
catapultariis. At enim Tartarus præda grauis captam omittit Lian-
chianum, nedum vt aliquid aduersus Coceum moliretur. Tam ino-
pinatus Tartarorum in confinia receptus, gloriæ plurimum Teseitæ
attulit, neque is ægrè sibi persuasit, sui nominis fama pulsos, tamen
fortassis alia omnia cogitassent; Rex ipse victoris Tartari trepidatione
absolutus Lusitanorum donis & aduentu, mirè laratus est; Teseira
pauld post eum suo interprete Ioanne Rodriguez, suos Regi dedere li-
bellos supplices; profitebatur se Rodriguez vnum è Riccij sociis, cui-
us nondum obsoleuerat in aula decus; se legis eiusdem, & obserua-
torem, & præconem esse, quàm ex Europa, Sinarum imperio Ric-
cius attulisset; de Lusitanis comitibus, & Macaensibus à quibus mit-
tebatur, subdebat tantum quæ in rem facerent. Teseira verò Legati
officio perfunctus; Regi, modo iuberet, trecentos obtulit Lusitanos,
quos esset ad eum aduersum Tartaros ducturus, eorum robore anima-
turus Sinas, nec profligaturus modo Tartarum, & compulsurus intra
suos fines, sed eam de illo editurus stragem, quæ solenni execratione
æternùm memoraretur à Tartariis. Nunquam erat cum iis congressus
Teseira nec eorum fortassis infinitum vnquam putarat numerum, eo
confidentiùs promissà iactabat; itur super iis in consilium serio, vbi
Doctor Paulus eò suffragia iniecit, vt auxiliarios trecentos Sina à
Lusitanis acciperent. Eam ob rem Teseira retento, Macaum Rodri-
guez renauigat instructus diplomate quo illa auxilia petebantur, &
ornabatur ipse fidelitatis laudè, præter literas, & religionem, nihil
cætera ducentis. Macaenses hanc occasionem, quam magnis pretiis
emptam vellent vltionem occupant, promerituri vt sperabant ad Re-
ge Sinarum prærogatiua quædam iura, foro suo maxime quæstiosa.
Lusitani centum quinquaginta confestim armantur, nobili culta, &
splendido, totidemque illorum famuli, cum iis Rodriguez & quinque
quos diximus Pechinum contendebant, iamque venerant Nancianum
Chianis Prouinciæ urbem primariam, cum aut metu laxato Tartari
longiùs abscedentis; aut crebro suorum monitu, Rex cauens periculo,
peregrini militis in regnum inducendi, per citatū cursorem, mandauit illos,
retrò.

76.
Lusitan. 300.
auxiliares
mittit Mac.

retrò Macaam flectere, præter paucos illos, qui Macaensium nouū mu-
 nus, varij generis armorum, tutò essent in aulam perducturi. Cum his Pe-
 chinum Rodriguez & sui appulere; Timceum inde, nõ multis ab Tartaro
 militariibus concedunt, vbi Sun ille Ignatius de quo antea sæpè Sinarum
 militiæ cum sommo imperio præerat, vir animosæ pietatis, consiliorum
 prudentia, & quod in Literatis rarum, fortitudine militari clarus, qua &
 Tartaros non semel obtriuerat, & vrbes quatuor nuper ex iis recepe-
 rat; & Leatoni, extra ordinem creatus Prorex, etsi nondum inau-
 garatus Doctõr, magnam Christianis præbebat fiduciam. Sed hunc
 securitas nimia susceptæ expeditionis miserè perdidit, vnâque Tessei-
 ram cum suis aliquot Lusitanis. In eam militum tria millia miserat,
 & suo illo nudatam præsidio Timceum fortuitis impressionibus obno-
 xiam, & imbecillam effecerat; milites in pagis dynastarum, quos nulla
 publici tangebatur cura; pessimè accepti, prædantur, mactant, nihilo
 mitius hoste quouis, quâ fames, & ira rapiebat in omnem barbariem
 feruntur; moxque conscij perduellionis, diu vagæ regionis deuasta-
 tione, & fuga pœnam anteuertere meditantur, consultiùs statuunt
 Timceum inuadere, quam reliquerant defensoribus vacuam, & inermem;
 eiusque se præda, & mœnibus tutari, dùm conditionem ali-
 quam tempus ferret, qua commerita exirent supplicia. Adortis vrhem
 de media nocte, occurrit Prorex è mœnibus; occurrit Tesseira, cum
 suis vræque, forti sed irritò conatu. Tesseira dùm tenet manu altera
 laternam, ignes altera græcos spargit, ad laternæ lumen transfuerberat-
 tur telo, per medium pectus, quod nimis audenter, inermum ad pu-
 gnam attulerat. Reuulso sua manu iaculo concidit, & die postero vi-
 uere desit. Ciues ne mora propugnationis, conditiones suas peiores
 facerent, rebeli portas pandunt, in quibus quod restitutum est, nece
 Ciuium quorundam, & Lusitanorum, nullo præterea fructu stetit.
 Libratores machinarum tres, & cum iis Rodriguez deiecere se muro
 in subiectas niues quæ tunc omnia obtinebant, & cursu Pechinum con-
 fugere; Perduelles, & ciues sceleris pœnitentes, veniam ab Rege ma-
 gnis intercessoribus exorant. Sed longè acerbius in Proregem Ignati-
 um, Ciam Michaëlem, & Doctõrem Van Philippum consultum est.
 Primis duobus abscissum est caput, inuidia potiùs æmulorum, quàm
 Regis indignatione, tertius omnibus exutus, vitam ex aula solam in-
 columen retulit. Adamus Scial, ore, & vestitu assimilatus in carbo-
 narium eò se intrusit. vbi duo illi plectendi capite seruabantur, audi-
 uit confitentes, & per integrum selqui diem, erexit omni consolatio-
 ne ad supremum illum vitæ suæ actum condignè suis virtutibus Chri-
 stianæque peragendum. Debebat hoc ingentibus in Patres, & Christi
 legem Ignatij meritis, viri probatissimæ virtutis; & digni planè cu-
 ius diuturnis obsequiis Rex peccatum donaret, aliena magis conscitum
 culpa quam propria; vel ob hoc saltem quod oblatum Regnum à
 perduellibus, abominatus respuisset, maluisseque vt aiebat, caput
 innocens

Innocens perdere, quàm mille imperiis reum coronare. Hanc mortem luxit Ecclesia Sinensis, tanquam publici boni cladem, cuius exempli heroici, & auctoritatis firmamento se destitutam sentiebat. Tesseræ, cuiusque comitibus tum liberatoribus machinarum tum reliquis, parte plus media in conditu cæsis, præter sumptus honorifici funeris, Rex titulos addidit, laudis eorum testes perpetuos, quos Sinæ pecuniis omnibus consueverunt præponere. Roderiguez & superstitibus Lusitanis, missionem petentibus humanissime concessit, & Macaum usque, mensium trium viaticum liberalissimum. Quam Regis largitatem Senatus militaris, Doctore Paulo suadente, auxit proluxa commendatione Ioannis Rodriguez, qua semper è Societate Iesu nominatur, data est Iunij vndeagesimo, anno 1632. quo iam cæperat Sinis perspicuum fieri, Societatem Iesu, peculiarem hominum cæterum esse quibus id esset propositam, ut religionem quam profitebantur, quavis alia expulsa toto imperio funderent. Nec aliud memoratu dignum in eo legitur commendationis diplomate.

77.
Rex idola
palatio ex-
turbat, &
cuc?

Iam si quod metu prælogo ethnici, desiderio Christiani, ex quodam Regis præcipitato facto diuinabant, integre processisset, actum erat de tota Sinarum idololatria. Nam die quodam Rex, quod mortalium nemini venire in mentem potuisset, turbam illam matorum Deorum innumerabilem quæ in palatio prostabat præcepit exturbari, æreos, argenteos, aureos fundi, constari, ad usum pecunia cudi; ligneos, odoratos, cuiusvis aut formæ aut materiæ ij forent, flammis tradi; templa illorum, & delubra in vsus alios conuerti, dempto solum vno quod indulgit potius lachrimis, quàm religioni Reginarum; cuius imperij nouitas à cogitationibus hominum adeo aliena, illudque Deorum vniuersale comburium atque exilium, diuersissimis iudiciis, & rumoribus, regnum omne impleuit. Illud communiùs, & frequentius iactatum, Doctore Paulo suafore, quem Rex in Colaum promouerat, hoc est rei summæ administratorem, aut esse Regem Christianum, aut propediem fore, cum abiectio idolorum, vltimus, de more, ad baptismum præmitteretur gradus: quæ opinio ita inualuit, ut Mechliniam vsque seu Manillam peruadens Philippinarum urbem, tres inde acciuerit è S. Dominici ordine, infinitati populorum baptizandæ operam daturus, quam cetero fingebant Regis exemplum secuturam ex iis vnus tantum in Prouinciam Fochiensem applicuit; Duo prodicione Nauarchi Sinensis, expilati, & cæsi: alij totidem cum venissent, vnus ex eadem, alter è S. Augustini familia, primi omnium ex religiosi ordinibus Sinas ingressi sunt, quinquaginta post annis, quàm nostra Societas cæperat in iis laborare. Ac ne his quidem occupandis quod meditati fuerant respondit, nec visi sunt velle linguæ Sinensis addiscendæ longissima rædia perpeti, citra quam putarant fore sibi in promptu populos tingere; at neque hos populos ad baptismum paratos, nec ipsum Regem inuenerunt. Porro illam Regis in Deos iram haudquaquam accendit veri Dei vltis
notitia,

notitia, nec amor legis Christianæ, sed desperatæ indignationis in illos furor, quod se suis in hominum, & urbium immensis, & perpetuis cladibus, ne ope quidem leuissima iuuissent aduersum Tartaros, etsi sedula semper, & sumptuosa pietate illos coluisset. Quam ipse sibi adorationem, sentire hinc cepit fuisse damnosam, quod cælo erepta, cui debebantur, sacrificia idolis tribuisset, diuinitati scilicet peregrinæ. Quare in illa confirmatus aurei seculi antiqua persuasione, omnia de cælo, boni aliunde nihil expectandum; muta illa & cæca simulachra, nullam nostri curam gerentia, exegit ab animo, & aula, omnemque deinceps religionis cultum ad sacrificandum cælo contulit tanquam Deo, & quidem Regis tam peculiari & proprio, ut ei sacra facere præter Regem fas esset nemini. Fixis ergo quotidie spatiis humi prouolutus venerabatur cælum, & capacem ex auro acerram cumulabat odoribus pretiosissimis, quorum vapor, vota infelicis Regis dissipanda in auras portabat. Cælo enim fiebant huic inanimo, & aspectabili non eius conditori, & domino, quem cæli nomine, Sinatum antiqui sapientes intelligi, & coli voluerant. Profuit hic tamen rei Christianæ maiorem in modum, idolorum contemptus, & ignominia, Regisque conuersi qualiscumque fama; ea potissimum ex causa, quod purgatum idolorum peste palatium; salubris subiit veri Dei cognitio, & nobilissimæ Christianitatis, iacta sunt fundamenta, eius primarij lapides fuere, potentissimi Eunuchorum decem, & qui reipsa posse se omnia in Christianismi decus, & gloriam abundè comprobauerunt. In iis excelluit Pam Cum Achilleus, cuius æterna in Christi Ecclesiam decora celebrabit, quisquis hanc nostram historiam producet ultra Societatis annum secularem; quam mihi scribendi metam proposui: socium habuit mutationis generosæ Nereum nomine; matres decrepitas in palatium indaxere, instituendas à F. Pasqualio Mendez Sinensi, cuius incredibilis in dicendo, docendoque comitas, & elegantia, eius aulæ sapientissimos plurimum delectabat. Catechismo exultas Adamus Scial, baptismo iustrauit, principibus feminis duabus, renatas anus è vitali fonte excipientibus; addidit Scial gratulationi tam inusitatæ, augustissimum sacrificium altaris, quod primum in Regia Sinatum Deo oblatum est. Exin Achilleus, salute matris in tutum subducta, conceptæ baptismo caritatis ardorem egregium, in Collegas Eunuchos semente tam prospera misit, ut ab eo ad Patres subinde alij adirent diuina plenius edocendi; sed fuit palmatis eius victoria ex nobilissima Ljei familia Eunuchus, Dux prætoriarum cohortis, quem Prothi nomine Sacer baptisimus insigniuit, & de foedissimo turpitudinum omnium reuulsu gurgite, in eam eduxit puritatem, ut cum esset aula, & officio mouendus ob informia vitæ propudia, post ablationem sacri fontis, iam non sit agnitus, planèque diuersus ab eo qui fuerat, Prætoriarum retinuerit Præfecturam. Matrem is & aliquot sorores Christianis adiunxit; sed ob duratam ætate memoriam, nihil matri potest.

F.F.f.

78.
Eunuchorum
conuersio.

rat eorum imprimi quorum debet baptismo scientia necessario præmitti, eam ob rem illi optimus filius dierum quinque ieiunio à Deo imperavit, non modo ut facillè quæ tradebantur perciperet, verum etiam solidè retineret; cæteris autem palatij Principibus feminis, & honorariis rudimentum diuinitatis fidei Christianæ, quod olim à Patribus editum recudi iusserat, spargebátque ex occasione, læto quem postmodum retulit prouentu. Eodem in palatio sacellum, superbo cultu adornatum & suppellectili instructum diuite Patribus obrulit ad rem sacram, & Christianis intra palatium ad fundendas preces, quas quotidie frequentabant, & multiplici proclinatione, largóque suffitu accendebant: nec se claustris palatij tenuit, nobilis Prothi ardor; Longobardo Tacimum eius patriam petenti, diuini operis se comitem dedit, nec scio vtri plus debeat, quæ inde nata est Christianitas, Longobardo Evangelium promulganti, an Protho illud exemplis confirmanti. Agebat enim vir eius officij eiusque maiestatis quæ supremos quoque Mandarinos agrè aspectu dignatur, agebat, inquam, Longobardi humilem Catechistam, familiarem; affabilem, facilem, pauperibus, pueris, vulgo promiscuo, principia fidei patientissimè exponens, & prodigij nouitate Christianismi vim miram reipsa comprobans, mutandis in Angelos hominibus efficacem; dum castimoniam Eunuchus, modestiam, & demissionem sui Christianam superbus antea suaderet.

79.
Magnæ extra palat. & Regiam urbem cõuerti.

Non disparibus incrementis, ex palatij foribus in urbem, & vicina splendor fidei fundebatur; sex mille quingenti quadraginta baptismo lustrati, ex quibus Pechinum octingentos lacto fonti dedit, qui velut primigenius numerus, magnis deinceps accessionibus quotannis auctus est, Longobardo strenuè Christi negotium agente, cum F. Pasqualio Mendez Catechista. Sed hīs libertatem agendi tam pronam & peruiam fecerant Adamus Scial, & Iacobus Rhò, qui ab Rege delecti ad retrahendos Sinatum Astronomicos abacos, tam venerabilem vbique nostrorum famam excitabant, nemo ut illis auderet contendere quod vnum ab iis agi norant, cultum scilicet veri Dei, & religionem sanctissimam vniuerso imperio, pulsis idolis statuendam. Visendi obsequia Magistratum etiam supremorum, ea crebritate nostros occupabant, ut ne iis quidem in vices quatuor mutari sufficerent, sed fructu incomparabili regionum, in quas perfuncti officij aulicis redibant, spargebantque notitiam veri Dei, & inflammabant vrbes, & oppida desiderio nostrorum. Quamuis autem ille polygamie incestæ murus athenus, Literatorum compluribus obstaret, ne quod magnificè laudabant fortiter se starentur, verum ad fidem dilatandam mirum quantum confertret, eos rationibus conuictos de vero Deo, & religione, verè excellentèrque sentire, postea si quidem publicis arctati calamitatibus in templa nostra confluere, crucem venerari, & sacras imagines, malis remedium à vero Deo flagitare, nec ratò illud, euidenti prodigio referre, ac votorum rei, donaria, odores, encomia, acuto ingenio

ingenio lucubrata, beneficiis grati rependere. Quod ed denique processit, ut magni nominis, & sapientiae Mandarinum religionem Christianam ea orationis praestantia, & sublimitate, libris editis commendarent, quibus optimus Christianus, nihil posset adiacere. Horum ex numero is fuit, ad quem merito referamus Christianitatis in Puceo exordia, Pergebat inuictus laboribus Vagnonius in Chianco, & circumiacentibus, quem propterea Iacobus Rhò Scianis Prouinciae Apostolum nominat, quod ei Ecclesiae haud dudum ab se inchoatae obtulerit hoc anno bis mille quadringentos, & septuaginta ex ethnicis Neophytos, omnesque sua manu tinctos. Sed concionando, scribendo, viuendo, & eorum quos instituerat moribus, cum esset omnibus admirationi, & desiderio, negligebatur à Puceensibus. Est autem Puceam amplissima ciuitas diuitiis praepotens, & nobilitate, maximè verò Mandarinis, Literatisque omnium Ordinum. Sed eam cultu idolorum, tam pertinaciter Bonziji infatuauerant, ut de vero Christianorum Deo, lege, viraque mirabili, etsi multa audirent circumquaque; nunquam tamen adiacerent animum ad inuestigandum de rebus tanti ad aeternitatem momenti, & pretij, donec eos Colaus de stirpe Han expulseret. Pechino rediens Colaus Puceam diuiterat priuatum quoddam acturus negotium; illic Vagnonium, cuius pridem amicus & admirator erat, fortuito accepit itinere tridui abesse, rogauitque statim per nuntium ne grauaretur Puceam excurrere, quem illic dum uide operitur, tantam mouit illius Mandarinis, à quibus certatim adibat expectationem, non modo ut omnibus optatissimus adueneret, sed exciperetur etiam communi gratulatione. Post, eius quod tantum de illo deprædicauerat experimentum coram praebitutum, induxit illum in sermones quos cuique libuit ponere, de naturalibus, mathematicis, ethicis, ut quisque maluisset, praecipuè tamen de Deo vero, eiusque filio Christo Iesu, cuius effigiem, editiori aulae loco, & nobiliori statuerat, tam multa disputauit, & ad euertendam superstitionem tam efficacia, ut ignoti Dei, & Vagnonij nomine Puceam omnis resonaret. Hinc Literatorum feruere accursus, quorundam studio curiositatis, aliorum disputationis; ille tam felix argumentum eximie versare, & impossibili primarum multitudine causarum reuincere atque asserere diuinæ essentiae unitatem. Cuius ille demonstrationis, usu arteque experientissimus, eam Literatis obiectabat, tam perspicue palpandam, ut stupentibus Bonziis, ciuitas uniuersa, ex summa idolorum ueneratione, in summam eorum detestationem repente uerteretur; & Literati centum quinquaginta diuinis aquis lustrarentur, nec unquam antea tam multos angusta mensium quatuor opera dederat, plebeiiorum verò non est initus numerus. Cæterum coactus Vagnonius, ne aliis sedibus deesset quibus eum partiri laborem suum oportebat, primigenia hæc Puceensis Ecclesiae germina tantisper omittere, quoad illa deinde ad maturitatem perducturus rediret, dis-

cessum nactus est, quàm aduersariis Bonziis ignominiosum, tam sibi, & fidei illustrem. Soliti enim sycophantæ, veniam scelerum, loca in cœlo felicia, & quicquid sacrum habent, sumptuosè diplomatè, ut dictum sæpius, nundinari; vulgarant Patrem qui beatam sponderet immortalitatem, haudquaquam id gratis facere; adessent tantùm abiturò, asportaturum inde thesauros opum; Christianorum auro, & argento, currus onustos abducturum, exsibilatum iri à se & damnandum sacrilegij eiusdem quod insectabatur in Bonziis; verum ubi de medio die solum ut venerat, cum eo quem tulerat supellectilis sacre in humeris sacco abeuntem viderunt, pudore confictæ calumniæ disiecti latebras quæsiere.

80.
Nostrorum
25. innoentem
Prou. diuifi.

Ut suam Vagnonius villicationem magno domini sui obibat luero, sic reliqui de societate, quinque & viginti, ex nouem Prouinciis quas sortiti fuerant excolendas vberiores tuere hoc anno manipulos, tulissentque multò locupletiores nisi partem illam Sinatum mediam quæ vergit ad Septentrionem, turmatim prædones rapinis, cædibus, & incendiis miscuissent, intercluso ex parte Euangelij sacri præconio. At ille de quo paulò ante, indefessi vir animi, & laboris Alenius, hanc inter socios gloriam primus adeptus est, ut octo Regionum quæ Fochiensem Prouinciã componunt, nullam omiserit quam non multis bearet Christianorum cœtibus, & templis, statãque in iis exercitatione pietatis; in quo templum Focci vrbe Prouinciæ Principe constructum, præter elegantiam maiorem, illud habuit valde singulare, quod spontanea ethnicorum contributione, magna ex parte ædificatum est, & condecoratum; ethnicis hoc sui erga Deum amoris, eiusque legem sanctissimam pignus dicantibus, quam etsi caperent vnam esse veram, & verè salutarem; respondere tamen eius castitati, & integritati se posse diffiderent. Absoluta demùm templi fabrica, & ornatu, inter musicos choros, & peregrini operis lumina, sacram imaginem in templum intulit in altari locandam, longis supplicantium ordinibus præniis, & comitatu nobili stipatus, ea innumerabilis populi admiratione & reuerentia, ut ex tanta multitudine ethnicorum nemo vocem doloris aut gemitum mitteret, Christianorum Deo possessionem publici in luce omnium ordinum inenante, & transuectione gloriosa per mediam metropolim de Diis illorum triumphante. Alenio Socius in hac pompa fuit Andreas Rodomina Lituanus; domus solitus seruare, dum is longin quas subinde reuiseret Christianorum suorum sedes. Ac potuit quidem Rodomina multum Sinensibus prodesse, sed Deus eius patientia contentus, caritatis labores non exegit; ab anno siquidem currentis seculi vicesimo sexto ad tricesimum secundum morbo insanaibili languit, ob hoc ipsi potissimum molesto, quod præter priuatum tolerantia meritum; alienæ saluti non posset incumbere. Quanquam iuuat non parum Christianos, vitæ innocentis laudè præcipua, familiaribus in communi congressu colloquiis, & serenitate oris, & animi acquiescentis

acquiescentis hilariter suis doloribus, vitæ melioris expectatione, quàm ei feliciter obtigisse indicavit quiddam simplici certius coniectura. Nam mente præcipiens morienti sibi non fore præsentem Alenium; sæpè illi promisit se illi post obitum vbiicumque is foret nuntiarum de obita morte. Igitur aliquando suos inter Neophytos agenti Alenio splendor obiicitur puræ lucis, nulla specie figuratus, erratque ob oculos aliquamdiu, deinceps sensim dissipatus iterum redit, & toties ut ei promissum Rodominæ in memoriam reuocaret; en autem postridiè Focco missus mortuum nunciat; horamque obitus & articulum notat, quem esse eundem agnoscens Alenius quo pridè percussus fuerat viso splendoris iterari, prosecutus est apud Deum mortem illam multa gratiarum actione, optavitque sibi, post laborum quantascumque ærumnas, non dissimilem à suauissimo socio exitum. Defuncto exequias honorificè pariter, & religiosè Focenses Neophyti soluerunt; sepulchro impetrarant montem tertio ab vrbe milliari, eò faciliùs quod ominosus habebatur, nec vllus ethnicorum benè sibi futurum in subterraneo Bonziorum mundo credebat fore, si eo in monte humaretur. Christiani verò, pulchrè sibi vbiq; ac beatè futurum rati, dum ne ab Rodomina longiùs ponerentur, quem venerabantur velut sanctum, montem sibi eundem in sepulchra legerunt. Edificarunt in eo sacellum egregium, in sacello crucem viuo è saxo elegantissimam ad quam conditus Rodomina, & cohonestatus infixio parieti marmore, Andreæ Rodominæ insculpto nomine, patria, virtute, milliarium vastitate, quam esset emensus ad vitam in salutem Sinarum profundendam, quo grati & memoris animi Epitaphio illustri, non nemo ex iis qui diu post, in Dei opere illi successerunt, incitari se sensit magnoperè ad salutem tam nobilis populi animosè constanterque curandam. Porro in fabrica sacelli, & deinceps, ea dicuntur contigisse, quæ prorsus non scriberem, nisi magno testium numero constarent, tum ethnicorum; tum Christianorum. Primum cædendis in opus lapidibus, auditæ sunt crebriùs articulata in lamentum voces. Abeamus hinc, vbi grauior pœna, quò longior mora; nec durando vincemus; succlamabant alij maiori rabie, male pereant isti qui hanc etiam solitudinem tot sæculis nostram, nobis eripiunt, estque verò similis fuisse dæmones qui nidulabantur in eo monte, ut in multis pariter desertis, vbi à maleficis & Magis, quibus sciant Sinæ ad sua veneficia requiruntur. Alterum odoris ignoti exquisita fragrantia è sarcophago expirans, aliquot mensibus post Rodominæ conditum cadaver, qui vndecumque afflaretur, certè ab natura non videbatur posse existere. Tertium caterua ethnicorum nocte sæpius intempesta in montem euadens ad profanandam crucem, & sacellum, semper illie armatos reperit, quibus impar esset expugnandis, crediditque hos esse Christianos qui pro defensione loci excubarent. Sed vbi tandem perspectum est, Christianorum neminem vel eò cum armis vel noctu profectum; intellectum pariter sacram ædiculam beatis

geniis curæ esse, piisque functorum animis pro quibus annuatim mortuorum die, res diuina solenni ritu in ea fiebat. Verum omiſſis nunc pluribus quæ naturam transcendent prodigiis, Neophytorum piæ fiducia affatim concessis, pauca narrabo maioris miraculi, beneficio Dei proſus ſingulari ad animorum salutem edita. Differebatur ethnico baptiſmus, quod errorum suorum optimè conſcius, antea vitæ aſſuetudine improba teneretur; huic erat filius quem plus oculis amabat, hunc cernens morbo ad extrema perductum, vſuque ſenſuum intercepto animam agentem, & ipſe præ dolore, ſemiuiuus, diſcruciari, angique morte filij, ſed æterna magis, quàm temporaria, vt qui ſacro-adhuc careret baptiſmate. In hoc ergo rerum præcipiti, motus diuinitus, moribundo ad aurem ſe applicat, eumque de nomine inclamans; tantisper ait, ô fili ſuſtine; crastinum expecta, manè aderit nobis Pater, qui te baptiſmo expiatum transmittet in vitam immortalem; peris alioqui, & in ignos raperis ſempiternos, ex quibus nulla te vel tua alterius opera vnquam eripiet; cui velut reuiuifcens puer; omninò genitor, crastinum, & Patrem, & baptiſmum ab eo, vitamque beatam præſtolabor. Adest poſterito die Pater, puerum baptizat, & poſt horæ quadrantem, oculos claudit morienti. Baptiſmum item ardentè flagitans, virgo annos nata vix quatuordecim, differebatur à parentibus Chriſtianis, quòd tam crasti foret ingenij, vt fidei ſymbolum nullo ſtudio poſſet menti deſigere. Mœſta repulſæ pudore, ac damno puella, ſecedit in domeſticum ſacellum; illic vt poterat, dùm precatur, matronam videt adorabili maiestate, & formæ præſtantia diuinam, cuius blanda voce erigitur; ne metue filia, quin ad me propiùs accede, & ſidenter ſequere præcuntem. Inde verbatim puellæ ſymbolum recitare, puella verbatim repetere, quod vbi abſoluit, abi nunc, ait, & tuis edicto ne pergant tibi de cœtero baptiſmum negare. Illa curſu parentibus, viſa, & audita enuntiat, & recitatione ſymboli expedita probat, nec dubitatum eſt ab cœli Regina edoctræ, cui erat, & ipſa, parentum imitatione maximè addiſta. Eiuſdem Regina Deiparæ munus fuit, annus octogenariæ ad Chriſtum accessus, cui præter ætatem ſuperſtitionibus incoctræ, obſtabat ſtulta ſed pertinax meritorum ingentium apud vitæ futuræ Deos, opinio; quàm à ſe ſceleſtiſſimis Bonziis acè imbiberat. Annos nata non plus octodecim, maritum amiſit, & dedignata tunc ſe feminam eſſe ne in hac vita ſub vbi poteſtate; in alia Diis eſſet exoſa; vidua permaſit. Vendunt enim maximis prætiis Bonzij ſingraphas, quarum arcana vi, feminæ mutato ſexu renaſcuntur in maſculos, & hæc præterea longè cariùs ab iis emerat obſignatam fidem Dei Præſidis tranſmigrationum, qua ſpondebat iuratus effecturum ſe ſtatim poſt obitum, vt in Mandarinum naſceretur, quo delirio amens mulier velut propediem futuro, ſtola muliebri abiecta, Mandarinum cultu incedebat, monſtroſa viſu, ſed auaritiæ Bonziorum ſancta; totaque penitus in adoratione idolorum. Reſpexit infelicem anum, piæ, & miſericors

virgo,

81.
Virginem
docet Dei-
paræ, ſcitu
neceſſaria ad
bapt.

Ex anum 80
a pn. mirab.
conuertit.

virgo, aliena fraude quàm proprio scelere magis ream; nocte quadam illi spectantiam se præbuit sereno vultu & hilari, cum formosissimis pueris duobus, Christo, & Ioanne Baptista; monuit benignè, ne sequi pigeret, multo meliùs ipsi, quam sibi fingeret post vitam hanc fore. Hæc illi somnium tam expressis imaginibus viuum, vt rem sibi crederet vigilanti, prudentique obiectam, sed quòd, cum quibus, & quam sequi deberet ignorabat, en ergo sub noctem sequentis diei, P. Gaspar Ferreira in id oppidum venit Chiencianæ subiectum ditioni, sacram in altari componit ornâtque imaginem quod in auditorio struxerat cogendis ethnicis præparato, confluit populus ad imaginem nondum vilam, & apud Sinas elegantem, ex qua Ferreira docendi aditus captabat; adest inter alios quoque anus cernendæ imaginis curiositate, de qua vulgo mira dicebantur, etsi multæ artis specimen non esset: primo autem ingressû, & aspectu, subsistens exclamat. Tres illi en! hi sunt quos nocte hac vidi, hos, inquam, ipsos vidi, quod P. Gaspari la-cbrimans cum distinctè narrasset, ex eo didicit quòd invitaretur, & sequi quos viderat aliud non esse nisi fieri Christianam. Quod ample-xata mox, personam deponit Mandarinæ, pallam resumit femineam, nugaram plaustra illi tradit igni absumenda, quibus absumptæ fuerant eius opes ab nequissimis Bonziis prærogatiua ipsi beatitatis iura in futuram vitam vendentibus. Postremò diuina bonitas obstinatissimum quoque sin filij monita parentis animum portento misericordiæ sub-egit. Familiam omnem, Christianis adiunxerat filius, solus obstabat suadenti parens, cuius denique infelicissimam animam cum ardentius solito, postularet à Deo filius, alioqui mœrore non consolabili moriturus, sic illam obtinuit. Orabat eodem tempore in larario suo parens, & ecce idola omnia, nullius aut pulsa aut contacta manu, suis moueri sedibus, artis, & loculis; corruere, affligi, & dissilire membratim mutila; ethnicas, quod erat, iam non obscure agnoscere Christianorum Deum Diis omnibus imperare, vnum esse ac verum Deum, solûmque adorandum. Surgens itaque filium accersit; Christianum exinde se asserit, pignus fidei suæ iumentum ad Gasparem mittit, simulachro-tam fragmentis onustum, igni vindicæ absolucndis.

Sequantur nunc prodigia diuinæ gratiæ in Neophytis luculentissima; in his non pono cilicia, catenas, verbera, præmissa communioni sacre
 31. Mirac. gra-tiæ diuinæ in Neoph.

tejunia, celebrationem festorum principum & rei diuinæ, cruda hyeme, per montes asperos, longis itineribus quæsitam; hæc enim omnia, vulgo vsu trita, videri singularia desiere. Literatum Suzaium, hominem ferum icæque impotentissimæ, mouit Deus vt veller esse Christianus. Patrem adit modestus, affabilis, humilis, & ab se iam alius, cui tamen propterea, nec baptismus, nec fides statim datur. Moras sibi, spem inter & repullam iniectas patienter ferens; aliquantò post redit, eadem qua priùs moderatone, suisque tam precibus, tum Christianorum amicorum à Patre suscipitur diuinis imbuendus cum omni fami-
 lia

lia quam ipse iam Christo manciparat. Die lustrico in paratam autem propinqui eius conuenerant, & quibus fuerat in literarum studio magister (quod munus apud Sinas honorificum est) sedit illic se mediam Siuzajus, ad Sacrum fontem, sed eo schemate quod adstantes omnes habuit valdè attonitos; manu altera gestabat facem; vestem & insignia Siuzaj lzuo brachio sustinebat, & hac specie consistens coram Patre, scio, inquit, has vestes non esse reas meorum criminum, his nihilominus peruios aditus ad tribunalia inueni, vbi arte dicendi causarum æquitatem millies venalem habui: boni vt damnarentur, fontes absolverentur feci; nunc aliam initurus vitam, hac veste me spolio, vnàque omni Literatorum iure ad agendas causas pro tribunali- bus; tam certò id obseruaturus, quàm vt maximè vellem, nunquam has vestes sum repetiturus, cum his vestes in ignem coniecit, & demissione sui abiectissima prostratus in genua ritè abluitur Pauli nomen ex fonte sortitus. Dies fluxerant non multi, cum vitæ antea per flagitia omnia exactæ, præcipua scelera grandi caractere in aula propoluit in qua fuerat baptizatus, vt de Christiani, & nuper ethnici moribus intelligerent legentes, Christianæ legis sanctimoniam efficacem, cui esset tam prouum suos in melius mutare. Perseueravit constans in adolescentibus docendis, haud tam suo vili, quàm pretioso illorum, & æterno bono. Ex iis triginta intra paucos menses Ecclesiæ addidit, & animaduertens suo illi Deum afflate conatui, affixo foribus claro programme, gratuitam docendi operam pauperibus obtulit quæ liberalitas boni præceptoris, scholam ei discipulorum numero breui angustam fecit. Prima illic prælectio de Christiana Doctrina habebatur, & crebro subinde aliqui se dabant, quos eius spectabilis probitas, & condiscipuli magistro concolores, Christianissimi desiderio inflammabant, ipse ad Patrem deducebat, baptismo expiandos. Nec dolebant ethnici parentes mutatione illa filiorum; Nam præstantia discendi & morum honestate, ita splendebat Pauli schola, vt beatè secum putaret agi cui obligisset eius disciplinæ suum aliquem filium tradere. Pietatis autem Christianæ quam in ea nostri peculiari diligentia fouebant, quantum gererent sollicitudinem experimento sit quindennis puer qui parte verni ieiunij, quo per artem minimè tenebatur, per inconsiderantiam omilla, erratum innocens decreuit, dierum centum pen- sare ieiunio, produxitque id pensum longissimè quoad monitus Pater vetuit vlterius pergere: fuit & aliud Chiatini, Pauli gymnasio simile, docebat illic iuuenis Christianus, subòque omnes discipulos professioni Christianæ solenter addixerat, educabátque in omni cultu pietatis, sed vnum experiebatur intractabilem rixosum, & parum honestæ apud socios famæ; cumque refractarius adolescens nec blandis monitis, nec seueris melior fieret, seduxit illum aliquando in templum præceptor pulcherrimus & solus cum solo ante aram, de genibus, flens, orans, gemens commendauit Deo miserum iuuentem; post inculcatis ratio- nibus.

nibus quibus cum tories pulsarat, secedit paululum, nudatisque
seorsum humeris, cruento cœpit in sese ac longo verbere sæuire; ac
resumpto denique vestitu, silentio discessit. Hic ille hætenus effrænis
erubescere seipsum, demirari sinceram Magistri beneuolentiam, & è
uestigio illum asssecutus, actis industrij amoris, & curationis operosæ
ab eo exegit præterea, nisi vt Patris consilio regi vellet Christianis
Præfecto, & more condiscipulorum hebdomada quaque apud illum
peccata deponeret. Alium fallente diei memoria frustillum carniuum
in conuiuio cum gustasset, ea cepit obliuionis pœnitudo, vt abstinẽ-
tiam carniuum in annum vouerit. Eratque idem ab omni labecula tam
acerfus; vt tentationum sensus periculosarum retunderet, styli ferrei
punctione, sed tam altè carniibus infixæ, donec multo sanguine flue-
rent, qua sui victoria breui obtinuit, ne se in posterum turbaret im-
pura sollicitatio. Fochiensem quendam Christi caritas ed egit vt ca-
sam pauperem venderet, hoc est quicquid in bonis possidebat, quo li-
brum publicè vtilem à Patribus editum, recudi iuberet suo sumptu,
largèque in omnes, ethnicos, Christianos indilcriminatim dispergeret.
Simili alius instinctu in oppido Nancianensis ditionis, domus suæ fron-
tem hac epigraphè insigniuit, digitalibus conspicua literis. Hic cœli,
& terræ Dominus adoratur; hic eius sanctissima lex seruatur. Domum
subeat qui cupit pluribus, doceri, quærere, disputare. Et verò illam om-
nium ordinum ea frequentia subiit, vt veri Dei cognitio breui quoque
vicina peruaderet oppida; cumquè haud minus agendo quàm dicendo
posset; eius rationes qui minus perciperent, exempla viuendi vltro
capiabant, & virtutum lucem, ob quas apud Deum, magna credebatur
pollere gratia, vocabaturque assidue ad sanationes omnium morbo-
rum; quam ille curandi gratiam prudenter omnino ad propagationem
fidei dispensabat. Nam illud, quo tota constabat eius medicina, aquæ
lustricæ sorbillum priusquam iacenti porrigeret, omnium animos ad
beneficium parabat, domumque purgabat omnibus quæ superstitionem
redolerent, ne posset ab impiis morborum sanatio, nisi Christianorum
Deo attribui. His & aliis sexcentis in omni genere virtutum beatis ma-
nipulis consolabatur Deus annuatim labores Sinensium operariorum;
à quibus certè feminas non excludo, quin iungo dictis superiùs Vir-
ginem Ceuicensem, quæ plenis Missæ solenniis, magna clara voce
Virginitatem Deo consecrauit, cuius facti, fortassis non tam festinatò
à Patribus probandi, habuissè se auetricem interijus & magistram dixit
Deiparam, cui nihil gratiùs censeret, virtutum eius imitatione. Alia-
rum item & Virginum & conditionis omnis in Prouincia Sciansi mu-
lierum extitère præclara in defensionem pudoris decora. Earum enim
oppido irruptione subita prædonum capto, per abrupta in præceps se
demittunt, quò illas haudquaquam ausi sunt prædones consequi, eæ
supra sexum, & periculum audaces membrorum & vitæ discrimen ma-
G G g

luere, quàm honoris subire. Erant Vagnonij in Christo discipula, quatum accepta clade Tuon ille Petrus Siuzaius, vir sanctus familiarum suum ad illas misit, gratias acturum honoris eximij quo Christianitatum illustrant, & quo Christianam pudicitiam commendatant exempli fortissimi; summam inde argenti in eas diuisurum, quæ accepta damna utcumque sarciret. Postremò factum masculæ generositatis, elegantissima historia complexus, latissimè vulgavit. Quibus ille officiis non diu distulit quantam à Deo inisset gratiam sentire. Eius oppidum pariter aggressi prædones quod se præsidio militum pro muris solo tuebatur, putarunt se illo facile potituros, & verò milites quibus Petrus arma cum familiaribus iunxerat, terga vertunt; ipse anitibus solis stupatus famulis Deum, & Angelos magna voce in opem vocantibus, stare fortiter in prædones, instantes repellere, fundere, fugare, prædàmque ex iis opimam recipere, haud sanè alio quam peculiari præsentis Dei auxilio. Matronam in præda nobilem reperit, Mandarin afflictiissimi uxorem, quæ abducebatur in famulam; eam honesto septem comitatu ad virum illico remisit qui beneficio permotus quod negabat posse nisi à Christiano proficisci, & ipse cum uxore, familiæque numerosa factus est Christianus. Superest ab anno tricesimo tertio Sinensis Ecclesiæ ingens lucrum, superest inæstimabilis iactura; illud insula Hainan, nullius antea cultura tactæ. Hæc Pauli Colai, cuius religiosa generositate, & mirabilibus exemplis, Christianitas illa fouebatur.

83.
Hainan insula
sing. &
cæteris apud
nos.

Syllabæ seu voces potius quæ vocem Hainan componunt, australem apud nos sonant oceanum, nam à continenti Cantonensis Prævinciæ vix horæ sex, eius nominis insulam diuisunt, inde austrum versus longè porrigitur, & Sinum de se Hainan nominat, pauendum illud uentis, & infinitarum nauium sepulchrum. Sicilia haud multò minor est: latitudinis gradui boreali vndeicesimo medi a subiacet, oras tamen utrimque in gradus oppositos magnis spatiis extendit. Sed mira ubique soli feracitate; montana eburnum; aquilam, Calambam, & eiusmodi proferunt arbores, odore, natiuis coloribus, & perennitate speciosas; venatu præterea abundant omnis generis ferarum: planorum vbertatem, fluuiorum irrigua sic opimant, ut sint alendis habitatoribus largè suffectura, et si eorum bonam partem contingat à cultoribus omitti; quod si auri quoque illos vrat cupido, auri bracteolæ, & grana, fluminum lapsu ex montibus deuecta, venarum diuitum cæta iis præbent indicia, ex quibus illud effodiant. Præter cæteram autem varietatem vniuersarum frugum Coccum item producent illam, cornucopiam Indorum, ex qua Indi oleum, vinum, acerum, saccharum, clauos, & vasa, vsus cuiuslibet; domos, necessariis ad vitam instructas, naues earumque omnia armamenta, ducunt, ædificant onerantque eiusdem arboris fructibus, in diuersas oras magno quæstu portandis. Sed non sunt Hainenses in vsu eius arboris tam solertes; iis tamen haud parcius suum mare, quàm solum, compendiosum est; bimestrem exer-

cent à Seprerione, piscationem vnionum præstantissimorum; à meridie balenarum; in qua Barauis nihil cedunt. Habent, & quædam naturæ miracula, caneros qui vt mari educti fuerint, lapidei sunt, quod Patres aliqui vidisse referunt; pisces planos qui mari, mortuis similes ventre verso se labi simulant, & marinas aues ad prædam illicetas brachiis inuoluunt, & deuorant. Indigenarum porò est duplex genus. Montani agrestes, inculti, vltim veterem pro lege, libertatem pro domino, paupertatem solitiam & vagam pro tributi pensatione retinentes. Vbicunque libuerit domum ponunt; & degit familia quælibet seu cœtus suo iure; venatu, & syluæ frugibus vescuntur; quibus pelles vrsorum, & tygridum defunt, ad velles & salem, quo carent penitus, calambam, ebenum, & herbas medicas exquisitissimæ raritatis, cornuâque ceruorum immania & quicquid iis aliud mons gignit comportant in plana, commutandum cum iis quibus egent, non ad conficiendam pecuniam quam spernunt, interprete opus est vt percipiantur, quod ignota prorsus vtantur lingua, nisi quod ab æuo creditur ab iis seruata inter inuios externis syluarum recessus. E contrario qui plana incolunt urbani, affabiles, & Sinis ferè per omnia similes. Quatuordecim vrbibus habitant, muro clausis; maiori numero apertis: Iura iis dicunt Cantonensium Mandarinum, cuius Prouinciæ pars quædam est insula, quàm situ propinqua, tam genio dissita. Cantonenses maligni, perfidi, fraudulentum, Hainenses ingenii, fideles sinceri. Furta inter illos continua, inter hos vix vlla; in furem enim, si deprehenderit, tanquam in draconem inuadunt vniuersi, nec abstant priùs quàm male necauerint. Vxore vna contenti viuunt, eaque non vti Sinenfes fortuita & inuisa, sed multiplici probata morum examine: solenne iis est, iurèque sanctum inuiolabili, quod vtinam vbique gentium perinde ratum foret, si priuatos furor in pugnam singularem, aut duos populos in bellum egerit, & itæ armaque expedita cædem vtrimque, & dicta omnia minentur, matrona verò, quamuis silens, per medios transeat; repente omnes arma, vindictam, iniuriam, inimicitias deponunt, & primam gratiam reperunt; idque lege tam certa & necessitaria vt si quæ partium restitit, in eius ruinam omnes circum vndique coniuertent.

Hoc Insula Hainam, & insularium illius ingenium: hinc ortum ducebat Guan ille Ciun Min, Magistratum Præses Mandarinus qui Riccium ante annos quinque, & triginta, vt olim scripsimus, Pechinum duxerat. Huius filium adoptiuum, Mandarinum nunc insignem gradum Patres nuper Pechini iustrauerant Vam Pauli nomine, Deus clementi consilio legerat, vt præconium fidei sacrosanctæ, suæ primus patriæ inferret, quam illi mentem Colaas Paulus Pechini indiderat, vnde recens Macaum appellebat. Macai ab nostris quanta potuit comitate, & reuerentia, hospitio exceptus, ex iis aliquem enixè petiit quem secum duceret ad illuminandam eius Insula cæcitatem. Commodum

sub hoc tempus Inspector nostrorum à Virellescho Generali habebat in mandatis, operarios quoquò versum quàm posset plurimos destinaret, & in Ciampam, Cambogiam, Sianum, Laios, homines expediebantur: ne autem etiam in Coraium, obstabat Tarrarus cuius illic arma grassabantur. Hoc itaque pronius itum est in Hainanensem expeditionem, eoque ambitiosius prensata à Macaensibus Collegis quòd ferè plus habent negotij, & ærumnarum, institutiones Christianorum cœtuum nouæ, quàm continuata veterum cultura. Sortiti sunt tandem hanc Prouinciam Petrus Marchezius, Iaponiæ, Cocincinæ, Tunchini laboribus diu tritus; & F. Dominicus Mendezius Sinensis, dexteritatis miræ Catechista, post exantlatos inter Sinas triginta jam annos, vbi & semel in conuersione ethnicorum ad mortem cæsus. His comitibus alacer Mandarinus Hainan contendit, spretis Cantonensium minaciis, qui delaturos se ad Regem iactabant, inductos ab eo in Hainan exteros. Vix palatium intrat, cum aulæ decumanæ locis conspicuis, professionis Christianæ clara explicuit documenta, Iesu & Mariæ augustissima nomina, caractere Augusto, & ornatu, qui aduentum perstringeret oculos, & ingenia moueret ad interrogandum, quibus ille de Iesu & Maria, de se, de lege Christiana quam profiteretur, de Patribus qui eam docerent dum satisfaceret primos in patriam accessus Christo referabat. Nostri vt essent quibusuis obuij, & ad manum, in ædes concessere satis incommodas, vbi statim Mendez elegantia sermonis, numerosum collegit auditorem, & primam illi diuinitatis veræ affudit notitiam. Primum tamen suscepti baptismatis honorem Vam Pauli familia merebatur. Die itaque Paschæ lætissimo, & beatissimo, eius vxor à P. Marchesio initiata est sacro fonte cum filiis tribus, nuru, quatuor agnatis, & familiis eorum integris, quæ ingentem constabant numerum, & Christianitatis Hainanensis fausta fuere primordia, postmodum vbi quid fuerit scitu dignum à nobis reuiscenda. Hoc religionis incrementum, secuta est, vt dixi, Colai Pauli mors, cui parem non habuit Ecclesia Sinensis, aut magnificentia gestorum in Christi gloriam, aut excellentia virtutum; aut Colai gradu quem Christianis aperuit. Annum agebat septuagesimum alterum, cum initio autumnus, valetudine occupatur non ita leui, quin eum bimestri absumeret; nec ita graui, vt illum à Deo, & æternis dimoueret, tres illi è nostris ad latus erant Sacerdotes, qui cæcis intra palatium fortibus in communi apertis pariete subibant. Visit illum Rex sæpius per primarios eunuchos, verborum consolationem nunquam non condens aliqua donorum raritate, suisque Medicis ad eum sanandum industriam omnem, sollicitudinem, & diligentiam iniungens. Vicissim ipse binos misit ad Regem codicillos, quibus monebat, emendationem Astronomici calculi Sinensis Patrum opera prope finem esse; Patres Adamum Scial, & Iacobum Rhò libros centum triginta ad eam attinentes ex idiomatis Europæis, caractere, ac lingua Sinensi reddidisse. Hoc la-

88.
Colai Pauli
vita heroica.

bore

bore illos, & Regis gratiam, & liberalitatem promeritos; sibi demortuo, ad perfectam operis absolutionem, si Regi placeret, optimè successurum Doctorem Li-Petrum, capitalium cognitorem in Singafu, Prouinciæ Scensis Metropoli. Oblatis codicillis, rescripto suo Rex annuit, quo Paulo venite nihil optatiùs poterat, cum Mandarinum Christiani patrocinio tutos Patres, relinqueret moriens; & commissi securos negotij de temporum emendatione, cuius prerogatiua toto Regno societatem nostram, aduersus Bonzios, & mandarinorum potentiam defendebat. Suauitate ergo intima delibutus, quam oris species, piæque cum Deo, & Patribus de Deo & æternis prodebant colloquia, rite vltimis procuratus factis ad præmia transit summorum in Sinesem Ecclesiam meritorum, quæ Colai Siuchanchi Pauli seruatora est gloriosam memoriam æternis monumentis, & in posteros omnes transmissura.

Tanti viri iactura Rex magnoperè dolens conditorium misit ex ligno pretiosissimo quo defuncti cadauer clauderetur, funeris eius curam Rituum Præfidi imposuit, iussitque illi de fisco Regio magnificentissime parentari: efferendo autem Sciamhaium, eius Patriam corpori Mandarinum præfecit primarij nominis qui tot illis quibus Pechino distat milliariam centenis honores curaret ex more debitos viris in Colai officio defunctis: cohonestauit denique mortuum amplissimis titulis, quos familiæ transcribunt in perpetuos hæredes, seruântque velut monumenta nobilitatis præcipuæ & nunquam in dubium vocandæ. Et si autem anni ab hinc retrò triginta, illustrem semper nobis subiecerint eius laudandi materiam, superest tamen & quidem affatim, qua postremam hanc eius memoriam prosequamur.

Prima illum Dei notitia Sciaocci Cartaneus imbuit; primis fidei Christianæ amoribus Pechini Riccius; primo eius sacramento Rocca, qui eum Nanchini abluit sacro fonte, & dies quindecim apud nos in diuinis plenius erudit; inde ille tam certo assensu & solido Christiana dogmata complecti, tanta profiteri generositate, tam incensis diffundere studiis, vt hæc eius prima sub Christo stipendia emeritam vincerent, aliorum militiam. Riccij liber sententiarum quinque, & viginti, editionibus iteratis toto regno clarus, cum esset denuo in typos omnesque Prouincias mittendus, voluit eadem promulgatione Christianum se Paulus vbique gentium profiteri, libro suam præfixit cordatissimam lucubrationem, qua suscepti ab se Christianismi edebat laudes, mirabiles, sed longè merito parciores sic credi volebat, vt fidem, honorem, & caput, assertionis pignus non dubitaret obstringere. Exagitata non multò post lege Christiana, & suspectis prodendæ patriæ, quibuscum amicè conueniret; nunquam illorum consuetudinem & amicitiam timuit, dissimulauit nunquam; & quoscumque in casus res esset abitura, Christianum se, Patrumque defensorum denuo publicè testatus est; cuius professionis apud Reges

duos, libellis atrocibus accusatus, libellis toridem fassus est quod accusabatur; sed eorum vno, caput ferro præbebat amputandum, nisi liquido Regi constitisset sectas omnes Sinarum falsi reas esse, si dignaretur prius, cum Patribus Bonzios disputatione committere; aut Christianorum vitam cum Ethnicorum vita componere. Libellum quicumque legerant, quanquam occiderent fore illi existabilem, cepto non destitit, quoad Patres monerent desistendum, utrobique profectò generosus, audendo, & obtemperando. Omnium tamen cum iaceret aleam, quoties posceret Dei causa, nunquam sensit damnosam, & in sua desideria malignam: posteritatis votum, & familiæ propagandæ, quod summum ambiunt Literati sacrificarat Deo ad Christum accedens, & patens filij vnus, retinuerat effectam matrem secundariis vxoribus dimissis; Deus illi nepotes ex filio perpetuauit in stirpis successores. Christianus tunc palam cum eius inuidia nominis incipiebat Literatos ab optatis gradibus retardare, præterlapso vix anno inauguratur Doctor præcipuo trecentos inter suffragio; paulò post examinum viginti quatuor periculo nobili, in Collegium Regium euasit; denique paulisper gradu, honoribus, Magistratu deiectus, Colai ethnici scelerato in Christum odio, restitutus est post aliquot menses in integrum; adscitus in Regis Præceptorem; creatus Colaus, quo maiestatis apice post Regem apud Sinas, nihil augustius, potentius, ditius, & nobilitandis in æuum familiis gloriosus. Sed enim vitæ sanctus in hoc rerum suarum liberali artisu hoc vnum gaudebat, quod posset Patribus, & rei prodesse Christianæ. Corium mistum cum summo imperio, in templo vidinus Saluatori coram ad eius fines dilatandos haud minus ardentem se sistere, quàm ad Regis arma fortiter, & fideliter regenda. Verum enim vero alter eius in templum excelsior, & animosior accessus, cum venit gratias acturus ablati per summam iniuriam honoris, quo in rituum tribunali maximo fungebatur, quod supremo sibi decori duceret, Christianissimi causa illatum dedecus. Ceterum utcumque res illi fluere, sublimis, aut humilis, ore semper & animo serenus, quòd acquiesceret vni Deo, & quæcumque ab eo acciperet, in eius gloriam conferret. Hinc ille præterea omnium contemptus præterquam æternorum, & Christiani cuiusuis pauperis æstimatione maior; & ratio, quàm Semideorum aulæ Ministrorum, Regisque ipsius ethnici. Cum prolevariis, modo Christianis, agebat vicit cum patribus, parique cum iis urbanitatum obseruatione; ve si Princeps apud nos, mendicum, aperti capitis, & titulorum reuerentia prosequatur: abiectiorem sui Christianam non norat Philosophia Sincensis, nisi postquam illuc Euangelij sapientia pedem misit, cuius Paulus fuit insignis discipulus, & doctor, sui enim vel solo conspectu, Christianam legem præ sectis omnibus commendabat, & fatebantur ethnici, quod docebant Patres hoc Paulum viuere, illorum præcepta moribus perfecte ab illo exprimi; legis autem illius vim quandam esse diuinam.

diuinam oportere quæ interiore hominem fingeret penitus ex amulsi
rectæ rationis, motusque illius omnes componeret ad numeros soli-
dæ, non personatæ fucatæque modestiæ, tranquillitatis item & be-
neuolentiæ etiam aduersus inimicos. Talem Pauli fuisse virtutem, non
elaboratam exterius, & scenæ famulam, sed ex legis quam Patres do-
cebant dictatis intimis, efflorescentem in morum præstantiam, vitæque
rationem æqualem vbique, nec vsquam ab se dissimilem. Laudabant
viri sapientes, & legem cui insistebat, opinione tam sublimi & effica-
ci vt multos ei adiungeret. Certè anno tantum labentis seculi vigesi-
mo tertio, nec nisi diebus paucissimis, centum viginti, sacro fonti
dedit, eosque partim Literatos, partim ampli ordinis Mandarinos.
factis nimirum dicta sanciebat, eratque suadendo potens, sed poten-
tior agendo, quo Neophytos quoque in conceptæ cursu pietatis acri-
ter animabat; quem enim non mouisset, vir tantæ dignitatis, facienti
ad aram ministrans in linea castula, eoque omni humilitatis cultu, qui
debet eius muneris celsitatem; promiscuè ad hæc in sacris ædibus cum
vulgo audiens, & orans, reiecto loci iure sibi parati discrimine, ac ne
pueros quidem amoueri ferens qui officiebant prospectui, sed velut
vnius è populo, pietate populi gestiens, attentioris ad diuinos quàm ad
humanos ritus. At de Monarchia Ecclesiæ, eiusque tum capite, tum or-
dinibus singulis dici non potest quàm præclare, augustèque sentiret,
quàm dulcibus lachrimis rigaret literas quæ conuersiones ab hæresi, &
incrementa Ecclesiæ quot annis nunciabant. Tunchinum verò tot ei mil-
lia sex tantum annorum spatio adiecisse, incredibili accepit gratulatione,
meritumque posthabito capitis quo vetantur Sinæ dare literas extra re-
gnum, imperare sibi non potuit, quo minus surgentem illic Eccle-
siam corroboraret in omnes casus, ipsamque aded si fausta sors ferret
pro Christo mortem. Se verò ipse Christianum, & Ro. Ecclesiæ fi-
lium cogitans, tanti gratiam æstimabat tanta ad se orbis intercapedine
delatam, vt ab se nihil posse crederet in Dei gloriam suscipi, quod ma-
gnitudinè eius boni aliqua ex parte responderet. Suos quidem pro Dei
Ecclesiæ conatus gaudebat plurimum Patribus probari, sed Pauli quinti
Pontificis maximi salutatione visus est sibi cœlitus saluari. Hanc Roma
Trigaultius retulit, faitque paterni amoris simplex argumentum, quo
illum Pontifex, eiusque in Ecclesiam Sinensem dignabatur egregia me-
rita, nempe illi salutem suo nomine mandabat, subiecta saluti hortat-
iuncula ad durandum constanter in eo fidei ardore in se, & aliis augen-
do: monitus ergo Trigaultium salutis eius latorem aduentare, tota
Mandarinatus sui, familiarium, & amicorum pompa spectabilis, in
aulam processit sui palatij. Et suo cuiusque cum iis ordine, & gradu,
ante aram proiecitus in genua, misit qui Patri diceret se adesse, in-
gresso occurrit mutuis de more vrbaniatibus, quibus redditis Pater,
dexter illi confedit, rusticum enim est in os cuiuspiam considerare. Inde
Trigaultius mandata persunctus salutatione, & hortatu amico summi
Pontificis,

Pontificis,

Pontificis, responso inhiabat quod Paulus graue ac modestum sub lingua dum haberet interturbatus est, teneritate animi subita, & plures edidit lachrimas quam verba. Magnis enim Deus delictis animi, fidei ferui sui pensabat obsequia, & studebat ipse diligenter præsiare se ad illas idoneum; nam curis licet oppressus publicis, suum tamen quotidie fixum contemplationi, sacro, designatisque pietatis muneribus tempus dabat, suos cilicio, ieiunio voluntatio, & flagellationi dies, suas cohortationibus Patrum audiendis horas, et si non nihil subinde verbarum sonarent, quod rerum præstantia captus, ad elegantiam sermonis minus attenderet. In Colam prouectus hoc est totius imperij ministrum, & quidem turbulentissimo belli Tartarici tempore, ante solis exortum per angustas fores ad nos comiebat, præuertebatque nobiscum negotia omnia precatatione matutina; tum aduentibus honoris gratia Magistratibus supremis, ne quid mente, linguaue à Christiano aberraret, singulorum affatus præoccupabat in domestico sacello Deum rogans, vt magis animo ad illum attenderet, quam oculis, ad se aduentem. Summa eius vltimum ægotantis consolatio hæc fuit, suorum brachiis in sacellum deferri, vt rei diuinæ interesset. Quoties tamen diuino accumberet epulo tanta id fiebat significatione pietatis vt secum pariter omnem qui aderat populum ad sensum diuinorum, fluctusque permoueret.

Iam robur viri generosum in fidei causa, & defensione Patrum nullum vt sæpè vidimus refugit periculum, hostis nullius insidias aut potentiam timuit; solus interdum contra omnes; nihil famosum in Patres, & legem quam tradebant, criminofum nihil in lucem vomebatur, cui non ille confutando noctes solidas vigilaret, suggerentibus materiam Patribus eloquentissimo eius stylo, quo si minus aduersariorum improbitas & ignorantia fateri errorem & mendacia cogebatur, viribus saltem deinceps retusis, impudentia posita humi se trahebant. Prodebat liber Literati cuiusdam vel athei, vel idololatæ, qui Christianorum dogma idem esse cum sectæ dogmate assererebat, quæ audiebat pessimè inter Sinas. Paulus mendacio; scriptoris audacia, & argumenti nouitate plausibili, occurrit, laruam confestim effrontem detrahit, discrimina edit quatuordecim, sibi à Patribus descripta, quibus toto scelo Christiana religio discernebatur ab infami secta, minatusque sexcenta alia se daturum, ventosum hominem ad palinodiam adegit. Sed de inuicta generositate fidei propugnandæ non pergo longius; illud malo hic mecum aduertri ab omnibus, vt quam Riccio mentem Deus indiderat, futuri prouidam, futurisque potius intentam Ecclesie loceris, stabilibus, & magnis, quam præsentibus semperque timidis, eandem Paulo indidisse, nempe vni huic incumbentem curæ, vt in regno suspicacissimo, omnia metuenti, exterisque inimicissimo, sedes Societati firmas collocaret, nullisque obnoxias aduersantium impressionibus quod edicto tandem Regio euicit, quo nostros curauit obstringi.

ad.

ad emendationem Astronomiæ Sinensis cui ministerio immensa quæ consecuta sunt, & nunc etiam eduntur animarum lucra debere profectò deprehendet, quisquis attenderit lapsis omnibus retrò annis nostra semper sterisse in lubrico, & vacillasse in alternas vices. Postremò ut quantum sua quoque in familia Paulus extiterit compendio referam, rependus est Sinarum genius, qui felicitatis apicem in familiæ dignitate, honoribus, opibus, perpetuitate constituunt, & quod summum, & Regi secundum in Colarum Præfectura quæ paucis, & sero, & sumptu laborum meritorumque ingentium obtingit, quem tamen breui post grani cum scenore rependit; Colaui quilibet, esto minimè solers (cui solertiæ, metas conscientia non describit) auti millionem quotannis facile reponet; Paulus tam pauper obiit, ut necessariis interdum ad medicamenta paranda egerit, cuius fortè haud satis abstinentiæ constaret fides, nisi tres e nostris Sacerdotes qui morituro tres menses adhibere, illam confitassent; vno inter Sinas eoque singulari Christiani Colai miraculo. Sua enim contentus honoraria mercede legitima sanè mediocri, facultate indulta minimè utebatur, priuatas suas rationes querendi simul cum publicis. Quam integritatem in cæteris item quos gesserat Magistratibus cum semper tenuisset, ex iis semper exsanguis, & sicus exierat. Quod eius in egenos liberalitati magnam addebat commendationem, cum iis alij supetuoacanea largirentur, necessaria ipse sibi detraheret, quibus eorum leuaret inopiam. Natalem quisque apud Sinas lætissimo recolit, & sumptuosissimo instructu, epularum, coneedorum, symphoniarum, & celebrium eiusmodi nugarum; Paulus eius diei hilaritatem quadrifariam diuidebat, nosocomio partem vnam; carcere detentis alteram, tertiam senibus egenis, vltimam Patribus tribuebat, quam ij deinde partiebantur Christianis, quos prolis numero, & inopia premi norant. In Prouinciis quas rexit variis, annonæ, & fame afflictis tam effusa, etiam ethnicis succurrit manu, ut Pater pauperum cognominaretur; contigitque ut mensæ mox accubiturus, petenti stipem mendico prandium donaret sibi præparatum, impransus ipse diem exigeret. Longum fuit ire per familias, & domos, Christianorum maximè, rei que Christianæ vtillum, quas victa, vestitu, opeque omni iauit. Claudio breuiter, Paulum meritotum illustrium & sublimium exemplorum patrimonio sempiterno; rei vero domesticæ angusto suam stabilisse, & locuplerasse familiam. Huic erat filius Iacobus, parenti per omnia similis quem in cursu honorum & graduum cum posset facile frigidula solum commendatione maximè promouere; nefas sibi putauit, vocem eius gratia mittere, alicuius illic iniquum fauore niti, vbi deberent ingenij merito, & labore omnia constare. Verum animis suorum ut prodesset, nulli parcebat sollicitudini, aut labori, dies festis colebat lætitiis quibus aliqui eorum ad fidem accederent; soceri & foerus, & duorum nepotum solenni baptismo, magna ipse pars pompæ interfuit, & Cattaneo ad aram post baptis-

HH h. h.

mum, sui ut erat magistratus ornatu verendus ministravit, & sacro epulo, irerata quater confessione relictus est. Sed Patris decrepiti ætatem idolis à puero miserè mancipatam, quot gemitibus, ieiuniis, precibus, quam duris sui afflictationibus redemit. Nolebat senex de Sinarum Diis multis, & propriis, cum vno externo & ignoto mutandis se cum agi; nolebat sibi septuaginta annos in cassum periisse, & parva per eos merita desperans, nouam sibi texere catenam meritorum: miserus est Deus infelicissimi hominis, & conuersionem eius votis ardentibus optimi filij donauit; baptismo biennium superstes ita vixit, ut eius obitu doleat minus Paulus quàm gauderet. Sed in nepotibus fuere quibus plurimum angeretur; primum quod amicitias cum flagitioso idolorum cultore copulassent obrectatore palam nominis Christiani, nec dissimulauit iis dolorem ex periculosa illorum imprudentia conceptum, at hi dissimulantes se capere quid vellet, in familiaritate impuri hominis proteruè nihilominus hærebant, quod eum tam graui mœrore consternauit ut sesqui diem ieiunus, & solus, & multo pro iis gemitu apud Deum vrgeret supplex, quoad illos à præcipiti reuocasset. Repentè ad frugem traducti eius pedibus aduoluuntur, & malè conciliatam, peiùque culram hominis scelerati amicitiam æternam eiu-rant. Alterum priori longè immaniùs pœna vltus est grauiori. Natu maximo nepotum erat filiùlus ægrotus, pro valetudine infantis, Iacobi famulos in templo idolorum vota quædam fecisse sacrilega cognouit Paulus, Pechini tunc agens; indignatùsque impietatem facinoris, erant enim omnes Christiani, ardentibus iiteris Iacobo filio, pro sua Colai potestate imperauit, seruos illos iuberet cædi asperrimè, domo-que in perpetuum excurbari. Nepotem pueri parentem quo vel con-niuentem, forsitan & iubente, patrata impietas dicebatur, ab se suisque posteris abnegauit, edixitque se item effecturum, ut è regis fastis eraderetur eius nomen, ne quid bonorum ad eum pertingeret quibus sole- rent ab Regibus Colaorum nepotes honestari. Proin domo quoque Rex illum expelleret, tanquam nihil ad se attinentem. Demùm claudebat epistolam tacita reliquorum admonitione, ne faxit Deus, inquebat, ut meos censeam, & meo prognatos sanguine, qui fiducia aliquid in idolis ponunt. Apertis literis cæduntur serui, sed ex pondere plagarum, pondus sui sceleris pendentes, domo ciecti, in templum confugiunt, colloque crassa depresso catena, sacrilegij veniam publicè implorant. Intercessores apud Paulum Patres, non difficilè inuenit nepos, quod planè infcius admissi criminis probaretur; sed ij nihil agebant apud Paulum, nisi cognitione multorum dierum lenta, & prope iuridica eius innocentiam confirmassent, qua perspecta Paulus illum in pristina nam gratiam recepit. Atque his de illo & Sinarum rebus hic annus absoluitur 1633.

Pauca tres vltimi qui sequuntur de regno Cocincinæ, de Tunchino plurima suggerunt. Cocincinam colebant tres nostri Sacerdotes Ma-
nuel

nucl Fernandez, & Gaspar Luigius Europæi, furtim; quia exilio damnati; Machida Matias Iapo apertius, indulto Principis sed patrio habitu. Horum, & Buzomij opera subinde ad suppetias accurrentis, quingenti quadraginta primo anno tincti; altero, multo plures; tertio etiam accessione satis liberali. Quod sacris ædibus excisis, operariis exulibus, vetitis cœtibus, clam tamen, & trepidè partum, non debet exiguum videri; sed operæ eius partem dimidiam cum à se contulerint Catechistæ, laudis quoque in partem non minimam veniunt; excelluere in iis duo Manuël & Petrus, in explodendis Bonziis & idolis tam grati & habiles, vt sollicita custodia excluderentur à palatij foribus, ne regni hæredem Principem facerent Christianum. Buzomium vt pridem diximus exulem, & Ciampæ regnum proximè subiturum, Batauorum nauis, in continentem fuga coniecerat, vbi ex lege tyrannica pro Regis mancipio, velut ex naufragio captus, cum P. Maiorica, Antonio Torres & tribus Catechistis, miserè ac barbarè habitus est, sed data Regi fide referendi pro se ac sociis pretij, si renauigare Macaui sineretur, non id modo benignè obtinuit, sed hoc insuper vt quos relinquebat socij, & nauæ benignè haberentur. Ipse priusquam retrò vela daret, promouit altiùs Cambogiam versùs, inspecturus quam esset idoneum id regnum ad Euangelij sementem. Illinc recessiuit paulò ante religiosos quatuor alterius ordinis repetiisse Philippinas vnde aduenerant, post sterilem illic biennij moram, neque propterea animo conceidit, sed Regem adiens acceptus est ab eo humaniter, & eius quædam ad negotia Macai peragenda fidenter adhibitus: confecto illic redemptionis promissæ pretio, mare iterat cum oneratis quatuor Lusitanis, Auronum tendentibus Cocincinæ portum, quibus superuenere ab India tres Macaui euntes, magno Patrum periculo & metu, si enim Rex aduerteret animum lucri odore Lusitanos, ad suos portus confluere, non autem, vt sibi admixta cum Patribus in Regnum, legis Christianæ reponerent gratiam, futurum videbant, vt Christi prædicationem excluderet, cum sola cupiditas Lusitanos abundè sibi faceret obsequentes. Iturus obuiam huic malo Buzomius, vnum ex Patribus Europæis qui latebant requiri iubet vt sibi quamprimum Societatis habitu adesset velut recens Macao appulsus; Lusitanorum legatum cum eo ad Regem comitatur, qui se illius aduentu gaudere significat, inde apud Legatum, excusare Patrum exilium, culpam in eos coniecere, notare imprudentiam illorum, quod æquo, & iusto non acquiescerent; se cum Lusitanis amicitiam inisse, Deum illorum diligere, & Regno excipere, vicissim ex iis iure peti, vt Regni sui amarent Deos, contra quam erat Patribus solenne, qui diuinitate, cultoribus, statuis, illos spoliabant. Parabat Buzomius negare, posse illos amores conuenire, & vna in sede commorari, vt nec falsum cum vero, & cum terra cœlum; vrbantate superuacanea illius responsum senex improbus anteuertit, veterem erga Buzomium beneuolentiam memorans, iu-

H H h 2

84.
Fructus ex
Cocincina

85.
Cur nostri
Cocincin.
puli.

bensque ab se omnia sperare. Anni postidie, scelestus ille regni Ad-
minister, & motæ vexationis Instigator, prolixius quoque eadem illi
confirmavit; & verò Faifum reuersus Buzomius, rescriptum inuenit
festinatò transmissum quo sibi ab Rege potestas fiebat liberalissima,
visendi, recteandique Christianos, quod eò illorum vberiori fructu
est præstitum quò illi Princeps, & mater Principis Regina fauebant
apertius, cumque cariùs diligebant, & Rescriptum quod illi reddend-
um acceperant, honestauerant peculiari gratulatione. Sed is cum so-
cio dum ministerio incumbit animarum, Sinoæ quæ sedes Regis est,
ignis fortuitus vento incendia spargente, stragem edidit luctuosissi-
mam. Ad hæc pluuiæ montanæ quæ fertilitatem annuam faciunt, cam-
porum sementem diu frustabantur, incipiebátque de futura fame du-
bitari. Duobus his Dij statim crediti sunt iram suam testari, & angu-
stam licet, quam Rex Patribus restituerat, vlscisci, annuntiandi Euan-
gelij libertatem; fremere populus, furere Bonziji; scelestus Anni,
querimoniis illorum, sua apud Regem nefaria consilia miscere, usque
ipsemet præfici exequendis. Faifum aduolat, Lusitano Legato denun-
tiat, Patres secum omnes, primis se iam ventis exerentibus asportet;
cogitúrque Buzomius ægrotans conscendere, & in Ciampam ad redi-
mendos quos reliquerat socios redire, sed eos nauis Lusitana eburnum re-
ferens, reuexerat Macaum: quem verò in aulam Societatis cultu adsci-
uerat comitem, assimulatus in alium, continenti se intimo abdidit, ex
quo interdium latens, noctu operam dabat Christianis. Verum enim
vero suspicio fuit, senem veteratorum, eiusque Administrum aliud
momordisse præter duo illa incendij, & sterilitatis prodigia, auditus est
enim cum iactaret apud Mandarinos, deterfis se demùm oculis crepisse
perspicere, quò Lusitanorum spectarent commercia, quò præconium
legis Christianæ; nempe illos regna ambire aliena; quibus cum occupan-
dis pares viribus non essent, Patres in illud præmittere, qui religionis
vinculo, quo nullum est fortiùs, consociarent illis indigenarum vo-
luntates; idcirco à Patribus crucis tessera notari; adscribi catalogo ve-
luti stipendiarios, & cogi sæpius quasi recensendos. Cuius pestem ve-
næni, haud scio quis illi afflare potuerit, præter illos eosdem hæreti-
cos, qui toties illam hoc ipso tempore Imperatori Iaponiæ adspira-
bant, vt extorquerent denique ab eo deletionem sanguinolentam, &
barbatam florentissimæ Christianitatis; Patrùmque exclusio ab ea in-
stauranda negotium fieret maiestatis non religionis: Nec Regem vi-
deretur Cocincinæ, suspicio alia egisse ad amputandum caput Paulo Man-
darino, cuius sagacitatem consilij, fidelitatem meritorum atque indu-
striam honoribus omnibus cumularat; nunc mendacia persuasus Chri-
stianæ legi prorsus contraria, vt constantius haberet fidelem, noluit
habere Christianum. Misit ergo in primis suasores qui ad patrios ritus
illum reducerent, id Regem ex ipso petere, hoc solo pignore fidem
suam, fore Regi secutam, & tutam. Hæc homini sancto & tempora-
riis, æternorum amore calcandis affucto, araneorum fila videbantur.

Accersit illum Rex ipse die quinto augustioris hebdomadæ anni 1633. & frequenti suorum Prætorio laudatum, blandè inuitat ad desertionem; blanda in pectus animosum cum flaccidè caderent; in acerba, & minas, & facta erumpit; capillos illi è vestigio imperat abscindi, quò nihil censeretur eo in regno probrosius; Mandarinum gradu deiectum edicit, & quantum ex eo Magistratu rem suam auxerat, tanta illum multat pecuniarum summa. Hæc Paulum alacriter magnæ sibi gloriæ vertentem; mente captum nonnulli garriebant, pertinaciam alij arguebant, quæ detrectaret Regis imperium; Deos eius vocaret dæmones; Religionem damnaret, æternæ salutis exitabilem, Christianam contra solam deprædicaret salutarem, solum & verum Christianorum Deum: qua tam luculenta professione veritatis offensus tyrannus, centum illi coram mandat plagas imponi quibus ille acceptis semiuivus cum ex prono ut erat, erigeretur domum reportandus, sat animi habuit, ut serenus Regem affaretur; si tibi, ait, domine! videor supplitio dignus grauiori, quòd Christianus sim, talisque semper Deo propitio futurus, habes quæ reum crudius & diutius ferias, corpus hoc, liberos, uxorem, nihil potest mihi (hanc modo ob causam) venire beatius, timebatur his barbarus iturus quòd cœperat, & tragædiam clausurus, cum prætoriani, partim miserti partim indignantes, proturbant tortores baiulos, & de via eiectos à Regis conspectu amouent. Lusitani qui magno tunc numero in aula, naufragij sui reliquias gratiæ loco ab Rege postulabant, Paulo gratias publice egerunt inuictæ generositatis qua decus Christianum fortiter propugnarat; & stipem nummorum triginta contulere, tunc certè minimè spernendam, cum esset à naufragis, & egentibus collecta. Princeps factum parentis in magno confessu improbauit, quo se Ministrorum fidissimo, & maximè necessario orbasset: auso quin etiam apud Regem hoc ipsum dolere: negare Rex iacturam non potuit, sed Paulum refractaria obstinatione, & contemptione patriarum religionum ac Deorum hanc à se pœnam extorsisse.

Fuit hoc tempore in Tunchino res Christiana felicior, quo Regno haud scio an aliud cœlum clementius viderit: nullum eertè sementi meliorem tam depereratam, & vberem reddidit, nullum tanta tam breui profeminando Euangelio præbuit spatia, nec suos Neophytos cultorum præsentia destitutos, aluit tam constanter in cultu susceptæ pietatis. Fauit quoque portentis supra modum naturæ continujs diuinis bonitas, ad dissipandam opinor ope tam prodiga tyrannidem Dæmonum, præstigijs omnibus, vbique illic imperitantium, maximè corporum inuasionibus, & perinde in pœnas afflictissimæ gentis bacchantium, ut si iam tenerent inferis addictam: non defuere tamen prospectis aduersa; nec aduersis fortes moriendo; cadendo fragiles; sed nec centeni qui decem cadentium ambirent, & occuparent locum de quibus inferiis. Pulso in exilium Rhodio fatore Christianitatis illius primo, & socio eius Marchesio, petiit Rex Patres à Prouinciæ Inspectore

H H h h ;

86.
Tunchin.
Christiani
tas flores.

dumtaxat ne Rhodium, illuc remitteret, ob multas planè falsas quas proferebat rationes, aliquas fortassis, non æquè ab recto alienas. Designatur illuc Antonius Pontes, & Gaspar Amaralius, cum Antonio Cardino, transituro quamprimum, ad illuminandum Christi luce Latorum Regnum, quod consilium postea processu caruit. Februarij octavo decimo anni 1631. Macao cum soluisset dierum septemdecim turbulentissima navigatione Tunchinum attingere, incredibili quidem Christianorum gratulatione, sed sua haud paulò maiori, cum suis ipsi spectarent oculis, quibus extrema timerant salutis pericula, auctos in duplum numero, fervore, & æternorum studio Christianos, quod iure inuento Rhodij attribuendum est, qui tres, vt diximus, insignes Catechistas curæ illius Christianitatis voto obstrinxerat: quanquam si res inspiciatur penitiùs, illæ ad Christum vbique tam faciles, & numerosæ accessiones ortum habuere, ex peculiari diuini spiritus impulsu vniuersum id regnum extraordinaria vi tam efficaciter agitante, vt emersi modo è sacris fontibus seu viri seu femine, statim profilerent, & quæ norant de Christo prædicarent, suaderentque quam plurimis possent: itaque pro quinquies mille sexcentis duobus Christianis quos illinc discedens reliquerat Rhodius, octies mille nongentos quadraginta duos Amaralius veniens numerauit, in quibus permulti armis, literis, & nobilitate valdè conspicui. Magdalena Regis defuncti vidua; Catharina eiusdem filia; Regnantis gener Ignatius, cum Iosepho patente, septuaginta pagorum Præfecto, nec dissimili splendore alij. Post Deum tamen Ricci Catechismus conuersiones has mirificè promouit, cum Mandarinorum Sinensium munitus præemijs, admiratione ac laudibus, maximè verò argumentis ex naturæ depromptis iudicio, censeretur passim indubitata veritatis: eam ob rem, & typis de nouo subiectus, & breuior alius Patre Soerio auctore.

37.
Benignè nostri à Rege habentur.

Tunchinensis Ecclesiæ tam propitium serenum effecit vt Patres Regem confidentiùs adirent, ibat tunc omni ordinum omnium splendidus maiestate, vt Literatorum adesset Examini, & comitabantur procedentem, hominum circiter millia triginta; conspectis qui occurrerant Patribus frontem ad eos explicuit verbisque, ac vultu hilaris, eorum audiuit salutationem; post inter eundem, cum iis paululum collocutus, tres illis mandauit dari equos insignes, quibus sequerentur. Indebiduo accersitos, trahentque familiariter in varia sermonem, interrogauit abruptè, latinè ij libenter suo in regno essent, nec expectato responso ego quoque, subiecit, in eo libenter vos video. Si que huius mei erga vos animi si queritis pignus, quod amplam vobis facio potestatem Christianam legem promulgandi, & meis populis eam amplectendi; dumtaxat Deorum nostrorum statuas ne iniuria lædant, minus quod iis inesse diuinam nihil autument, saltem ne mihi displiceant. Sub hæc iterum de Rhodio, & Marchesio exulibus, postque ritus solennes agendarum Regi gratiarum à Patribus editos, fore vitæ promissis.

promisit, vt templum iis & domum extrueret, (quod ei postea excidit) demum illos ab se comiter dimittere cœli, ait & terræ Dominum rogare, vt vitam mihi, & valetudinem, populo meo messes præstet vberissimas. Et horariam machinam rotis fabre aptam, dono ab iis accepit cuius occasione deinceps crebrius in palatium sunt vocati: Degebant interea iussu Regis apud Mandarinum illius generum, qui ob suam in omnes & vxoris beneficam indolem, toti aulæ in delitiis erat; illic statim facellum decenter componere, sacra tabula decorare, haud quidem per se, sed pro spectantium oculis eleganti, & insinuare sensim mysteria tabulæ, & præcipua dogmata salutis Christianæ quibus Principis vxor, ingens breui concepit, suæ ignorantæ odium, & Bonziorum à quibus decepta fuerat. Tempus aliquod in facello cum honorariis puellis trahebat quotidie ad pedes Saluatoris, recitandis quas iam optime tenebat precibus, & hauriendis auidè de Deo & æternis quæ proponebantur. Quibus tandem effectum vt fateretur Patribus se esse Christianam, Regis tamen parentis metu, à quo teneriter grandi suo malo amabatur à suscipiendo baptismo arceri. Christiani verò reliqui quorum bonam partem ab accessu Patrum excludebat palatij dignitas, contributione liberali domum iis extruere volebant; sed non placuit Patribus grauari illorum paupertatem, aut significare diffidentiam promissi quod de ædificanda nobis æde sacra Rex identidem iterabat. Interpretatus ergo cum Principe coniuge Mandarinus, aut promissa illa, pulchra verba esse, aut fortè veriùs argumenta nostræ parum adhuc in regno solidæ stationis, vt cui nec locus, nec soli palmus attribueretur, domum nobis ad latus sui palatij posuerunt. Non sunt vñ Patres totà illorum munificentia, sed eo solum quod non abhorrebat ab religiosa pauperitate, præferèbaturque semper expectationem promissi Regij de quo nefas erat vllam præferre dubitationem. Paucis diebus constitit fabrica ex connexis inter se cannis, insertis que in rudes è sylua trabes, & opertis palea tegulari. Agitabant ad illam milites iussu Mandarinum nocturnas excubias, quot enim illic interdum opifices, totidem noctu fures, qui eam alioqui nullo negotio expilassent. Augusti vicesimo quarto pars eius sacris dicata est, sacrificij diuini oblatione summe pia, sed minime strepera, ne qua Regem nobis perpetuò intentum, sinistra in nos moueret suspicio. Necessaria plane cautione. Pauld enim quam nauis Lusitana accingeretur ad reditum, ecce tibi ab eo Eunuchus, indicens Patribus vt nauieadem repeterent Macaum quod motum consilio dicitur impiissimi cuiusdam ipsius generi, & indignatione aduersus Lusitanos, à quibus in Regem Cocincinæ negata sibi auxilia dolebat quæ Regi Sinarum contra Tartarum præbuisent. Egere Patres apud eum causam, vocatos venisse, sedem in regno non fixisse nisi vltro delatam; Christianissimi promulgandi facultate vsos quam liberaliter ab eo nuper acceperant, denique infidum ad datæ fidei reuocauere memoriam; vni primùm, deinde alteri mansionem in regno annuit,

Tum elici-
untur.

nuit; sed otiosam & silentem, vetita quam prius ne petentibus quidem indulserat, religionis dilatandæ benigna facultate, tradendæque apud nos publicè doctrinæ Christianæ.

88.
Habitū aulicum incautè assumunt, & fructu exiguè.

Non fuit barbarus detrectatione imperij manifesta lædendus; quin ut eius, & procerum oculos eò minus Patres offenderent quò essent illis similiores quàm externis, consilium ineunt laudabilius forsitan ex eorum mente, quam re ipsa, & factò. Cultum assument illum gravem, & conspicuæ dignitatis quo Literati & nobiles, soliti erant apud Regem obsequiis aulicis defungi. Vestis erat talaris, & ampla sic eam Amaralius describit, ex gossipino tunc, è serico postea, cœrule, aut in viridem variante, promissò lapsu cadentibus, & capacibus manicis, quibus infra medium hominem manus decenter collectæ reconduntur. Multò quoque inferiùs quàm nobis motis est tenui zona laxè præcingitur, ambiente magis quam astringente vestis sinus, inde dextra sub manica funiculi tres ad terram penduli, dignitatis, & gradus indices quem quisque obtineret; tegmen capitis pileus rotundus niger, planus, nonnihil in vertice apertus; eo proluxa casarides antrosum ita colligitur ut tota in humeros magno decoro refundatur. Addit Fontes vilum sibi hunc habitum Sacerdotali quam aulico propiorem, ego senatorio magis quàm religioso.

Hoc Amaralius & Fontes, qualicumque salutatores maturini, Regi se quotidie sistebant, profuitque non nihil personatus hic aulicissimus ad fulciendos Catechistas in sui muneris strenua executione, sua enim Patres nisi furtim, & cautè, & domesticatim ministeria non obibant. Prorsus autem nec Regis animus domuit; neque nullo modo Præfectorum nobis conciliauit benevolentiam; Rex nihilo mitiùs, occasione qualibet, edictis propagationem fidei inhibere; Præfetti edictorum metas modumque prætergredi, ac ne nostrorum quidem ullam propterea ducere rationem. Eam ob rem consilij novitas Rectoribus inscis suscepti, Patres Macaenses graviter offendit, & expostularunt apud Vistellescum, longè aliam viam iniisse Riccium cum ad vitandam infamiam Bonziorum, nostros iudicasset Literatorum veste indui oportere. Amaralius contra factum suum multis rationibus defendit, quibus ita fidebat ut subderet, maioris id esse quam posset ab inexpertis credi (at certè Rhodius fundator missionis non erat inexpertus) hoc solum quod aulam frequentarent, Regique adstarent pluris esse ad Dei gloriam questumque animarum, quam si plenos earum manipulos de assiduis excursionibus reportarent. Sic sua homini facilè placebant; an vero melius Hieronymus Maiorica illuc mense Octobri appulsus, omisâ aula, in missiones maximè fructuosas se totum effuderit, & qui consecuti sunt reliqui; his est, opinor, in forum vitæ alterius minimè remittenda. Rationibus utrimque id modo actum est, ut benè an secus inchoata minori damno continuanda censerentur, quàm si forent ab initio probata. Porro Maiorica, & Bernardinus Regius Itali à P. Palmerio dati sunt.

sunt Petto Antunesio Praefecto nauis in Tunchinum ferendi, hæsurique illic si Rex annuerit, sin è vestigio renauigaturi quod ingenuè Inspector Palmerius suis ad Regem scribebat literis, mittique illos vt suo nomine salutationis officium de mississimè illi exsoluerent, & munusculo aliquo suam reuerentiam testarentur: vtrique Deus pro sua clementia liberalissimè adfuit, in mari de vita, in aula de Regis gratia periclitantibus. Fuera Maiorica Buzomio comes tentandæ in Ciampam quam diximus calamitosæ expeditionis. Regij virtutem magni faciebat Palmerius, & ingenium ad linguas varias facile. Dùm ergo Macao in Tunchinum descendunt, & velis etiam ad medias contractis, tanta erat vis venti, volant magis quam nauigant, inter continentem & Hainam insulam in cæcas arenas se induunt, quibus nauis tantisper priori ex impetu sulcatis hæere capta, conuulsu crepitare, laxare iuncturas, tantum maris haurire, vt ex hauriendæ nulla sufficeret opera. Actum denique intra horam de illa erat ni vento quassari, & cædi fluctibus desisset. Quare Patres ad Deum confugiunt, sanctos Ignatium & Xauerium in auxilium inuocant, & silet illicò sine flatu ventus, tranquillatur mare, nauæ illo sanctorum patrocinio confisi, nauim machinis attollunt, ventoque se statim qui cessarat ad puppim denudò intendente Tunchinum feliciter legunt. Sed transmisluri quæ fluuius prope urbem Regiam portum facit, in truncum arboris incertum, cui vsui defixum incauti offendunt, quo repercussa, ægreque iam sibi cohærens, nauis soluta deprimitur, cum se vectores paulò ante scapha periculo exmississent. Sed diu certandum cum Bonziis vt reciperentur merces, cum nauis demersæ, iurabant sibi Deum illum in somnis adstitisse, & qui eo in templo, & cænobio colebatur iuxta quod nauis perierat, monuisseque ab aquis illac præterlabentibus possessionem eius nauis suo nomine initam, eamque suo cum onere ad se pertinere. Remissurum se tamen in Regis gratiam, quod is remittendum censuisset, reliqua vel stipis, vel redemptionis, vel donarij titulo ab Lusitanis accepturum: accessit mendacio apud vulgus color, quod nullis organis, arte, aut vitibus nauis fundo reuelli potuit; suspicatus Rex Bonziorum incantationibus id agi, qui nauis dæmonem alligassent, comminatus est missurum se alium superioris imperij dæmonem, à quo liberaretur nauis; ipsi vt erant commeriti plecterentur, non fuit opus vltimas ire. Lusitani vrinatorum industria, & peritia machinali piscatorum, merces omnes mari eduxerunt, trimestri vero post etiam nauem ipsam. Maioricam interea & Regium, siue misertus naufragorum, seu leuitate fidei obligandæ de qua minimùm laboraret, aduertes comiter accepit, forteque sibi dixit gratissimum si vellent secum remanere. Naui tamen noua ab Lusitanis fabricata, Ecce improuisus ab eo nautius, iubens duos illorum conscendere, Regium cum eo quem mallent in regno hæere; lapsò autem vix mense, annoque iam 1632. ineunte, pridie quam nauis solueret, omnes ad se vocauit postque mira iterum

89.

Iterum nostri & pel-
luntur, & re-
tinentur.

propensi animi testimonia, nihil tale sperantibus, nedum poscentibus suam detulit gratiam, liberamque in regno habitationem; Deo verfatilem barbarum aliquando firmante, quoad Christianitas illa nascens firmiter constitisset; nanis enim discedens, Patrum metus in mentes saltem aliquot abstulit. Sperabant, & amplam facultatem Apostolici muneris publice obeundi, si Rex bellum inferret rebelli Cocincina, cui recuperandae, ab anno praecedenti habebat in armis ingentes mari terraque exercitus, & in iis elephantes mille qua vectarios qua pugnaes. Vnum deerat ad mouendum, quod nefas putant ante bellum omiti, sacrificium solenne archidæmonum maximo, & Regum functorum Manibus quos eò tantum Semideos colunt, quod Tunchini Reges exiterint. Dies erat auguratò lectus ad sacrificium, secundæ Lunæ vicissimus sextus; Sacerdos ipse Rex; locus sterilis insula quam efficit fluvius, vterque circum exercitus in suos ordines elegantissima specie digestus. In medio Rex, & Mandarinorum Senatus vniuersus, cum praecipuis militiæ Praefectis, longo vtrimque, & pulcherrimo prospectu naues, cuiusmodi solent à Tunchinensibus ornari. Agi vix ceptum, & bubali, porciue mactari, cum vel casu, vel fraude demonis cui sacrum fiebat, densari ex templo nubibus, & nocte caelum, totumque in imbres per horam continuam ruere, post quam Sol serenum referens, duobus circulis coloris ambigui apparet coronatus. Hic statim augures, ipseque Rex eorum nequissimus, praefagiri motus intestinos, abdicari bellum, reduci exercitus domum oportere, de Cocincina mirum silentium, Patres eodem interdicto ministerij sui vt ante ardari, quod occasione belli putarant dissoluendum. Hinc tamen Rex animaduertens, non posse sibi nisi à fratribus in Regno negotium fieri callidè ipsorum enervatas vires, potentiam & opes, priuata propemodum fortunæ adæquat; vtque sensum doloris in hac eorum diminutione splendido titulo incantet, Cinæ honore euanido illos ornat, hoc est sublimè in caelum suspendit nullo iis relicto ad firmamentum solo, quo eius tituli partem aliquam sustinerent Patres tamen occulta & strenua munerum assiduitate (quando publica non licebat) quantis Christi gregem millibus auxerint, quantis promouerint gradibus in sanctimoniam decursu, testes sint primum lustrales membranae in quas magna fide referebantur nomina initiatorum. Sex quidem vltimis anni 1631. mensibus lustratos legimus ethnicos ter mille tres & quadraginta, sequenti anno quinquies mille septingentos, septem & viginti. Anno 33. septem millia septingenti quinquaginta duo prioribus addita, nec annus vllus prouentu caruit, creuitque ad octingentos sexaginta quatuor supra octies mille qui iuncti partim à Rhodio eiusque tribus Catechistis Christianorum millia triginta, & viginti nouem supra ducentos conficiunt in Tunchino renata; cui ante annum xvi huius 27. nec umbra veræ lucis nec veri Dei affulserat; quodque theatrum videtur diuinæ gratiæ luculentissimum, paucorum opera, eaque 17. anni

29.
Conuers. occul-
tæ ingenti
numero.

30.
Pietatis ex-
empla & cura-
tionū dona
quæ in Tū-
chin. & libe-
ratio ar. p.

canni barbari edificationibus, inter fines priuati conatus & taciti circumscripta: neque is ego sum qui bona nonnullorum fide velim numerum in plures extendere, sequi eos malui qui fuerunt in eo computando parciores. Pietatis verò quantus vbique ardor vigerit, testis fuit vbique sacratum crebritas ædium, & frequentatio quæ pro more vsuque regionis triginta interdum pendebant columnis pretiosæ venæ ac proceritatis, & æuo cuilibet ac ponderi paribus. Abundant enim syluis lignorum eiusmodi corruptionis expertium, Checij quæ Regis sedes est duæ erant, præter attributum Catechistis sacellum. Hæ cum affluenti vndique populo, diebus maximè celebrioribus longè angustiores essent, laxatæ sunt pique ad hoc fidelium contributione; & largigitate Autunensij, depressæ nauis Præfecti Lusitani, palatium emptum est parte iusti pretij media quòd morte Mandarinum in eo defuncti refugeretur velut ominosum, eademque de causa eius quædam domus nostrorum habitationi vili etiam coempta, sed ædificium vtrumque in solum commodius translatum, formamque vsui aptiorem. Vix credibile sit æmulatione quàm religiosa Christiani omnes vtrique operi certatim quòd poterant conferrent. Ne feminæ quidem esse ab eo immunes voluerunt, sed in templi dumtaxat fabricam sunt admissæ, lege illic vulgari, vt spontanea illarum opera, in vias & pontes, & publici commodi fabricas admittatur.

Sed hæc leuia, si cum industrio ardore conferantur quo in interius ædificium animorum incubuere septem Catechistæ quos voto solenni diximus illi obstrictos Christianitati probabāt; tales se agendo ac viuendo, vt eorum sortem ambirent plurimi, quæ nisi lectissimis & probatissimis minimè credebatur. Huius ambitus documentum esto Lucas quidam qui adhuc ethnicus, cum & grauibus pœnis, & custodia militati, & affixo ad fores edicto Regio prohiberentur omnes accessu ad Patrem, ad eum nihilominus hac arte penetrauit, curta quam habebat supellectili vendita, emit acinacem, & longè diuersæ à vulgo figuræ pileum militarem, sic in militem subornatus, custodibus forium velut vnus ex ipsis audacter se ingerit, captatòque ad Patres aditu, cum pridem scitu necessaria calleret baptizatur; mutatis inde custodum vicibus domum redit, acinacem vendit, & pileum, collatòque illorum pretio in Catechismum Riccij, pioque libellos, qui magno iam numero circumferebantur, ex eorum Magisterio exiit non modo egregius diuinis in rebus discipulus, sed etiam Magister insignis. Siue autem naturæ, siue Dei dono, eloquentia pollebat ad persuadendum Christum mirabili, quam foelicitatem quærendarum Deo animarum adhibiturus deinceps vberius, vxori auctor fuit vt castam seorsum vitam traduceret, ipse cum Patribus habitaret, qui eius operam magno illius Ecclesiæ bono prosperè occuparunt. Ego ex litteris quibus particulatim ea notat quæ sibi contigerant in excursionibus ad idololatras, hominem aduerto Apostolici characteris, pauperrimum, patientissimum, cupidissimum.

animarum, & iniuriarum, quas sibi non semel Bonziorum instinctu paratas audiens, subibat nihilominus in eorum pagos, & barbarie ethnicorum suis probris, & afflictationibus, saturata; quasi nihil passus, iis se denuo sissebat, placidè rogans, aures commodarent, ne damnerent causam de qua cognoscere renuissent; incipiensque de vero Deo, & religionis Christianæ integritate dicere, parco primùm; paulatim frequenti; totius demùm concursu populi cingebatur, multorumque ex eo conuersionem reportabat, ex aliis saltem desiderium amplius cognoscendi, & opinionem excellentiæ Christianæ. Hæc viri optimi Lucæ virtus, cuius socios habuit non paucos, ex tribus inito ad hoc officij designatis Ignatius à mense Julio in Decembrem anni 31. quingentos addixit baptismo lustrandos. Præter cæteros eius officij sodales, & tyrones, multos diuina mouebat caritas, vt ei se vltro dederent, etiam nobiles, & illustres, germanos illos è regni Primoribus duos Petrum, & Paulum. Magdalenam ex secundariis olim Reginis viduam; Ignatium medicum qui anni spatio ducentis ethnicis vitam animi dedit: quibus aptum non erat ad Catechesim ingenium, suis illam eiusque Magistros iuabant subsidiis, hospitiiis, & secuta in itineribus tutela; quærebant Patribus ethnicos auditores; tollebant proiectos è publico moribundos, blandèque persuasos vt velent morte Christiana, præferres miserias æternis bonis permutare, in nosocomia per mediam urbem propriis humeris deferebant, iam enim ægrotis, in Regia & cæteris urbibus hospitaes domos Christiani multas stauerant.

Huic in lucra salutis alienæ, strenuitati occupatissimæ accedebat vis efficacissima ex prodigiis diuinitus editis quibus illam Deus remunerabatur. Scribit qui aderat & spectabat, illud de Christo vero Deo præsentem legisque illius sanctitate potuisse Tunchinensibus ethnicis exprobrari. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*; additque præterea, restituntur cerebro amittentes; arreptitij à truculentissimis spiritibus liberantur. Cum cernerent, heri ethnicum, sibi que similem, hodie Christianum, repente hodie illa posse quæ heri non poterat, constareque illi hanc potestatem sola Dei sui inuocatione, precatiunculis breuibus, signo crucis, & leui asperione aquæ sanctæ. Eam ob rem nemo Christianus prodibat absque cruce, quam superioris vestis laxioribus manicis tenebat reconditam, vnde cumque verò ad sanandum ægrotum rogaretur, etiam ethnicum, prolata cruce reuerenter ad eam de genibus orabat. Nemo terræ marivæ peregrinaturus, suum aquæ lustralis vaseum omittebat, qui esset ad reditum luffecturus: vt verò donum hoc est per se gratuitum, & ex diuini arbitrij vndique suspensum largitate, non idem, neque ad eadem, nec promiscuè omnibus par dabatur. Dæmonibus alij cum potestate imperabant, alij morbis tantum, vtrisque nonnulli; brevis interdum precatiuncula rem totam absoluebat, alias nisi multorum & precantium,

precantium, & dierum perseverantia non obtinebatur, opinor, ut discedent nihil sibi ex ea priuatum, ac proprium arrogare. Cæcus multis ab annis, baptismum postulans, facultatem videndi momento recepit; eiusdem aut petitione, aut pio proposito, multi grauibus, & inueteratis diu tenti morbis curati sunt; quibusdam reddita valetudo argumentum fuit religionis veræ, atque in posterum seruandæ, quos vero suo in errore impietas tenuit, ingratos licet, semel tamen accepta sanitas nequaquam destituit. Narrabant Chengatenſes à populari suo Michaële, feruidissimo Christiano, decemdiſali prece stultos tres menti restitutos; duos illorum pueros, natura tales ediderat; tertium tribus inde annis destituerat sensus bonus. Ab eodem quoque idololatriam ferum, & Christo palam inimicum, triduanis precationibus à Deo impetratum, & à morbi vitæque extremis, incolumitate redonatum. Sed æquè nullum ex his prodigijs auctoritatem illustrauit nominis Christiani, ut excitata Rumi ex mortuis Maura nomine Christiana; eius obitu filius Benedictus, vitæ innocentissimæ iuuenis, tam acerbum hausit animo dolorem, ut nihil vndeuis admitteret consolationis, eratque illi dolendi causa non matris ipsa mors, sed quod morbi lethalis præcipitantia, & Sacerdotis longinquitas illius animam vlcimis priuasset Christianorum piaculis. Venerant ad funus honestandum frequentes oppidani, etiam ethnici, compositum erat in sarcophago cadauer, & obducebatur configendo clauis opereuto, ut Christianorum pietati committeretur efferendum, cum se certa quadam fiducia repente sentit moueri filius restituendæ sibi à Deo matris, quam & Christianis significat, & eorum ad hoc preces efflagitat; dumque illi orant stillam aquæ lustralis, labris mortuæ infundit, cuius illa contactu oculos aperit, reuiuiscit, seque funebri ex arca incolumis expedit. Perculsi spectaculo Christiani, & ethnici (quorum nemini succurrit dubitatè, fuisse ex mortuis suscitata) flere præ gaudio, stupere attoniti, magnis in cælum vocibus miraculum tollere, omnes demum in laudem præpotentis Dei, & gratiarum actiones desinere: nongenti ad Christum accessere quos prodigij manifesti argumentum ineluctabile, sui erroris effecit conscios.

Superest de illa quam exercebant in dæmones perpetua & imperiosa potestate etiam ipsi Neophyti, adeundo, irridendo, columnæ alligando signo tantum crucis pro vinculo ad manus, aut pedes, aut totum corpus adhibito, ex quo nulla se agitatione quamlibet violenta extricabant; nec subire quemquam suspicio poterat, tot arreptitios (erat enim illorum ingens multitudo) aliunde quàm à dæmonibus vexari, cum iis se iudicij proderent, quæ non possent naturæ, multo minus Deo attribui. Abigebantur autem, è corporibus repente nonnunquam, interdum lentius coactis sæpius Christianis, ad precationes iterandas, & signum crucis, præter quæ alias exorcismi quas adhiberent formas non callebant. Huc facit responsum Pythonis, qui rogatus ab idolola-

Suscitata ex mortuis femina.

91.
Vindicta in
ethnicos.

tra in pago Dausciathen cur obmutuisset? solitus paulò ante densè oracula fundere; negavit se obmutuisse; sed nolle in eò pago loqui, ac ne propiùs quidem ad illum accedere, quod tribus aut quatuor exceptis domibus, habitaretur Christianis à quibus, mutuis, & crudelibus odiis dissideret. Pergentique ethnico quærere, cur illos non interficeret, si forent sibi tantoperè inuisi? possem, inquit, possem! tam liberè, quàm puncto temporis præstarem; ingressu raptim, & egressu pagi, rem totam conficerem: sed negat fieri, qui faciendi negat facultatem; tibi præterea non dissimulabo, infantem Christianum, duos modo sciat in crucem digitos decussare, illámque mihi obiiciat, eodem me terrore torquere, quo cruciamini dum animam agitís. Accedit miris in utilitatem quoque ethnicorum patratis, mira etiam vindicta, quibusdam salubris, nonnullis mortifera: sagæ quatuor (artis illic publicè vernalis) inter se condixerant, vt ludos facerent Catechistam nostrum, eiusque ludibrio, ex laboriosis perpetuisque fumigationibus, & sacris dæmonum, sese paululùm recrearent: docenti ergo cum superuenissent improuisæ; nutare inuicem, niçtare petulanter, clamore obstrepere, & proteruitate meretricia, dicentem à suo argumento, auditorium à dicente auertere. Sed hilaritas improba nequissimarum incantatricum, præsentí supplicio statim mutata est, occupantur à dæmonibus quatuor, modisque lacerantur tam diris & horrendis vt miserationem quærant indignæ, etiam à Christianis exprimerent. Qui tamen haud prius suis precibus valuerunt ab ea carnificina illas absoluerè, quàm claro eius & peruagato documento alij sapere didicissent. Tunc illæ vocato Christianorum Deo, & promissione illi nuncupata legis eius seruandæ, Christianorum precibus instauratis, liberatæ sunt penitens à carnificibus truculentis, & religiosè promissis steterunt: funestiori exitu alius minimum suum clausit, importuna exprobratione insultans Neophyto quod legem mortis sequeretur (cuius vocabuli causam ridiculam pridem narrauimus) illum tandem à Christo ad idola reflexit, sed eius ad pedes suasor pessimus, è vestigio mortuus concidit. Desertor ad mortem ægrotauit; tunc sui denique ac Dei memor, cum sacrilegij venia vitam ab eo & valetudinem impetrauit.

Nec dissimilis pœnæ æterno pondere oppressus Poëta idemque musicus, sed tam inimicus integritati Christianæ, quàm altè in suas turpitudines defossus. Cationem composuerat in Deum iocularem, & iniuriam legi Christianæ: hanc solenni quodam ad exhilarandos qui conuenerant, dum caneat, iuncta instrumentis, & salibus voce inter latos risus Cachinnantium, & applaudentium occulto verberè in terram afflicta animam efflauit, & grandi astantium terrore, solenne ludicrum lamentabiliter absoluit. Tamen si verò quæ naturam transeundunt, eorum à quibus pattantur merita certo testimonio non probent, ab iis tamen dum eduntur qui mensuram professionis Christianæ virtute sua implent, inuicem sibi suffragantur, & argumenta sunt

mutua

mutua piè de vtriusque sentiendi. Hoc in Tunchinensibus Christianis videtur minimè obscurum, nec finit tempus de quo hic agitur vitæ illorum rationem tacitam præterire. Imprimis Lusitani ex Tunchinensi commercio quotannis reduces, implebant Macaum admiratione feruida pietatis, innocentis vitæ, sinceræ castitatis, & mutua benivolentia quæ in Neophytis ipsimet spectauerant, aiebantque beatè cum Christianis actum iri, piè à puero ad senium in Europa educatis, si forent vel mediam virtutum illarum partem assecuti. Anno item 1632. naues Iaponum tres, seu Iunci vt vocant, Checium cum applicuissent, eaque in Regia multorum millium numero, nec dispari ad religiosa opera ardore, florentem Christianismum cum cernerent, tunc sibi redditi (erant enim ferè apostata) occurrantes in vicis amplectebantur passim, lugebant seiplos, damnabant suam ignauiam, & diffidentiam, qua metu lentorum ignium, & ferri, potentissimum & optimum dominum perfidiosè eiurassent, cursuque in templum supplices, ingenti dolore, sacrilegij veniam rogabant. Sed erunt, arbitror, qui pluris æstiment mutationem spadonum aulicorum, quos vita infamis, & nocendi libido pænè arbitraria, & potens formidolos fecerat Christianis; at hi quædam publicæ pietatis, & beneficentiæ opera demirati vsu eatenus ignoto à Christianis vsurpata, scrutatisque illos penitiùs, tam innocentes, & sanctos inuenerunt, vt vetera sua in illos odia, amore pensarent singulari, clareque testarentur, per se quidem nihil obstiturum quo minus qui vellent amplecterentur eam legem, quæ qualicumque auctore prognata, dubitari non poterat quin esset optima. Porrò illam speciem formosæ caritatis, quæ Eunuchorum tam iucundè oculos perstrinxit, aiunt quicumque inde scribunt, fuisse non aliam quam Christianorum, quorum nascente Ecclesia, cor vnum erat, & anima vna: diuites & egenos; plebeios & nobiles, communis fratrum appellatio sociabat, nec ea umbratilis, perinde cuique velut fratri, quilibet opitulabatur, & communia commoda vel secus, sibi tanquam propria deputabat. Iter agentes ex precatorijs de collo globulis, aut cruce à Christiano quopiam agniti, etsi antea nunquam noti, ea profusione comitatis, & beneficentiæ excipiebantur vt si forent eodem ex sanguine, & multum diùque expectati, & vbiicumque esset pernoctandum totidem sibi quisque hospitia, illic esse signata minimè ambigebat, quot essent in pago vel oppido domus.

Mos est Mandarinis, & Præfectis iter agentibus, turbam secum trahere famulorum & militum, quibus si desit hospitium vbiicumque Dominus illorum constiterit, sibi quisque aut ære aut industria parare id cogitur nisi malit sub dio agere. Outhajus igitur filiorum Regis tertio genitus, ad regendam Enghianensem Prouinciã cum transiret, multos secum ducebat milites, quibus indigenæ occurrere obuiam, salutare, complecti, inuitare tam alacriter, & familiariter, vt si forent amici veteres, aut propinqui, etsi alioqui hoc solo noti quod essent

92.
Mores Christi
sancti
etiam Eunuchos con-
uert.

essent Christiani. Post verò omnes in opus accingi, ad quærendas illis, & trabes, & reliqua fabricandis apta domunculis ea sollicitudine & diligentia, vt paucis diebus nouos tecto acciperent hospites; eo pudore ethnicorum, quibus non furari magna sanctitas est, vt suis vix crederent oculis, cum cernerent homines communionem sola vnus Dei & religionis, tam sincerè ac prodigè inuicem amare, omniâque perinde vt fratribus habere communia, nec minus ad hæc stuperent miracula, quam ad sanationes ægrotorum, & solutionem arreptitiorum. Eam ob rem per multis ad sacrum baptisma opus non fuit validiori argumento. Iamque in illa non modo Prouincia sed latè in Regno lex Christianorum, lex inuicem amandi audiebat, hoc est mutux caritatis. Erant præterea nosocomia ægrotis colligendis frequentia, etiam ethnicis; & iis potissimum quos superstitione crudelis proiciebat sub dio morituros, quorum si minus deposita corpora, vt plurimum animi seruabantur. Vigebat toto anno liberalitas priuatorum; publica quinto, & septimo mensè, ad leuandas poenis factorum animas, qua in re ethnici sibi multum placent; potissimum verò Checiensis aulae admirationem aduertebat Christiani cuiusvis funus, proletarij licet, & miseri, cum modestissimo supplicantium ordine à trecentis deduceretur Christianis, manu altera crucem, altera facem gestantibus. Digna res denique quam æmulentur Europæi, vnum sibi legebant singuli quem anno integro alerent pauperem, vel certum habebant domi cubiculum, vbi fame, frigore morboque attritos, dies aliquot refouerent, & misericordiam liberalem, ministerij sui merito cumulerent. Postremò cultu pietatis Christianorum vulgo quantum eminent, ex eo liqueat, quod suum quisque habebat domi locum in quem cum omni familia ad orandum bis quotidie conueniret; pro tenuitate quidem, aut facultate cuiusque adornatum, semper tamen altari, cruce, & sacra imagine instructum. Quod ne ipsis quidem in itineribus, quæ sunt illis quam nobis multò crebriora fas sibi putabant omittere. Quocumque diuertissent, erigebant aliquid altari simile, crucemque in eo cum pia icone reponebant hæc enim duo qui secum non ferret, non rebatur se satis liquido Christianum. Festis diebus si Patres abessent, decantabant vnà carmen doctrinæ Christianæ, dein precatória corona simul etiam Virgini recitata Catechistam legentem audiebant mysterium aliquod Christi patientis. At primariis anni celebritatibus, ea se diligentia comparabant, vt iis totidem fierent spiritus, & virtutis instaurationes. Confessionem sacram ieiunio, & sui flagellatione præuertebant, & cum accubuissent, aliquando sacræ mensæ sexcenti simul, testati sunt qui per octiduum consentibus aures dabant tres nostri Sacerdotes, in multis subtili discussis examine non deprehendisse quod ritè absoluerent, etsi aliqui & conditio, & ætas esse iis labeculæ saltem prona occasio potuisset. Verum enim vero vt essent Checienses in omni genere pietatis excolti præ cæteris, haudquaquam tamen iis. cœquandi, quos tyrannici fu-

roris

roris infestationes, interdum etiam triennes ad purum excoerant; nec dico hos omnes in gradu stetit, deiecit aliquos iners metus, si minus à fide, saltem ab eius necessaria professione. Mouit tempestatem, præstigatorum qui sunt in regno innumerabiles, avaritia immanis, ipsius paulatim artes nefarias, & quæstus cum apud ægros, gratuitis, & puris deteri cernerent Christianorum miraculis, coniurauere communi rabie de illis per calumnias atrocès extirpandis. Harum nulla cum esset apud Iudices crebrior, procliuior credita apud plebem, quam de violatis idolorum templis, noctu in illa sceleratissimi homines subibant, deturbabant humi simulachra, deformabant, membratim condeiebant, ea præcipue quorum erat in populo veneratio sanctior, spectis tamen eorum ornamentis, vt credibilius suspicio omnis in Christianos incumberet. Postridiè mane, clam à se paratum acufare, detestari, damnare, eius auctores Christianos execrationibus deuouere, qui cum præiudicio tenerentur professi odij aduersus idola quibus ante baptismum domos suas consueuerant purgare, indicta causa damnabantur; & alibi quidem immittebantur in eorum domos lictores vilissimi habitu militari, qui profanis & sacris barbarè, & contumeliosè dissipatis, pretium operæ direptionem accipiebant domus, & quicquid libuerat adportabant. Alibi catena stringebantur, affligebantur humi, fustibus corpus, ora & latera calcibus tundebantur. Ducebantur alij ad tribunalia, etiam feminæ, & pueri inter plebeculæ scommata, & conuitorum probra læti, & alacres. Mandarinis quibusdam abrogatus est honor, & dignitas quod essent Christiani; quorundam ædibus subiectus ignis, acti in exilium complures, multati aliqui summa bonis suis grauiori, raptauere capillis vxores Christianas mariti crudeles, & semimortuas extra domum proicere canibus laniandas; parentes, filios pueros ad defectionem diu frustra tentatos, communitatum præsidibus, (& habent subinde hæc communitates ius gladij) detalere vt exemplum in eos ederent. Mitius cum illis actum est, non minus tamen ignominiose, quorum arctata sunt iugo colla, seu vt pridem scripsisse memini, lignis longioribus duobus, cum adiuncto cui quisque mercedem solueret custode milite. In hac tot malorum acerbitate tam varia, & experimentis virtutis Neophytæ tam crudis, ea multorum in animis mirabatur alacritas, in ore serenitas legebatur, vt conselij naturæ debilis ethnici, & diuini roboris ignari attribuerent illam aut incantamentis, aut mentis aberrationi. At si res ad ferrum & sanguinem latius processisset, futuri erant profecto complures, quos vitæ prodigos, fortis in fide constantia sacris martyribus addidisset. Benedictam quandam pauperulam feminam ferox Mandarinus vrgebat ad defectionem, & stricto acinace, nisi è vestigio Christum eiuaret minabatur se illi caput demessurum, illa silentio in genua prociens caput ferro subiecit; qua facilitate fundendi pro Christo sanguinis obstupefactus Mandarinus, silens & ipse intactam reliquit. Felicior alius cui Francisco

K K κ κ

93.
Tempestas
in Christi. à
Magis.

nomen, homo tenuis fortunæ, sed vitæ nobilis, quam totam precando, visendis ægrotis. & speliendis Christianis infumebat, demptis solum horis ministerio debitis, quod inter gestatores seu lectuarios, fratri Regis nauabat; superbissimo, & ferocissimo Principi, hostique Christianorum acerrimo. Qui vt de vita Francisci cognouit, terribili domitum obiurgatione, putauit illicò ad sua idola reuersurum; at is qua seruum decebat modestia, ingenuè respondit, lege quam tanroperè improbarer obstringi se atque animari ad fidelissimum ipsius, & diligentissimum famulatum; fratrum cadauera tangere, virtutis esse non modo Christianæ, sed communiter omnibus laudatæ, quæ nusquam vilesceret, modo quæstu procul, & auaritia obiretur. Cæterum vt quiuis aliter sentiret, auertat inquit, Deus tam horrendum nefas, vt ab eo, & à me deficiam, cuiusque lege, sola veraci, & sola salutari. Obfirmatus itaque priùs mori quam Christum negare, Principis gratia, famulatu, stipendio exutus, palatio eiicitur, Princeps haud multò post seipse colligens, sibi que iratus, quod tam pertinacem iussorum detractionem, hausisset tam patiens; hominem reuocat, iterat imperata, hortatur morem gerat, negat posse Franciscus contra Deum morem hominibus gerere. Mortem demùm præsentem comminanti, bonum factum ait, vt hoc vitæ paucillum, & miseræ, cum immortalis, & beatæ commutem. Hic dato satellites qui adstant signo, magno in terram impetu hominem collidunt, rùm suarum arundinum grauissimo verbere, corpus medium commolunt; inde crura, & ossa tibiærum frangunt; os tandem, caput, & cerebrum conterunt atque comminuunt, hisque illustrem meritis animam Deus sibi, & cælo asserit, prima inter eos donandam corona qui suo deinceps sanguine in regno Tunchinensi Christi fidem signarunt. Contigit ea res anno 1631. cuius item mensibus vltimis Christiani tres, curationum insignes charismate, ab incantatoribus, & medicis sua sibi lucra perire dolentibus, appetiti sunt venæno. Duo ex iis Petrus, & Maurus præsentis exitio, paucas intra horas perierunt; Thomas prodicione deprehensa, validissimis antidotis, venænum discussit, felix! si pari cum aliis sorte interisset; exinde si quidem nec ægrotos curare, nec in templo cerni, nec apparere Christianus, & quantum ex vita intelligi poterat, nec satis ethnicum, nec satis præferre Christianum; Virgines duas duobus in pagis ad documentum constantis fidei Deus seruauit incolumes, Dariam, & Piam; has deposcebat Mandarinus in secundarias vxores, conditionis turpitudinem exosæ, centies tantum vexatæ sunt, quantum in amoribus fuerant. Daria causa Christiani qui pagum eius incolebant exiliis, & spoliationibus vexati, Chæcium ad Patres confugerunt. Pia crudelem in modum cæsa, dies aliquot immobilis iacuit, & destinaret illi tyrannus certam mortem, nisi eam in tutas latebras Christiani callidè submouissent. Illic tanquam sermota in eremo cum Deo tota bonam noctium partem orando ducebat,

94.
Primus in
Tunchin.
martyr.

inde

inde se acri verberatione afflictabat, ob reuerentiam Christi patientis. Daria domi carnifices nacta est parentem vtrumque, & geminos fratres, siue ethnicos seu desertores, & solennia naturæ iura priuatis commodis immolantes. Veriti enim ne se inuolueret Christianorum communis calamitas, si de Daria certiùs resciretur, omnes illi machinas admouere, vt se saltem ethnicam simularet: illa sacrilegium auersata, contestata est semper generosè, reuelli sibi posse vitalia, Christi fidem, & amorem non posse. Responione hac filia inconcussa atque intrepida furens Pater, eam columnæ alligat laquear fulcianti, & matre cum impia, & fratribus impiis tandiu cædit, dum ad pedes illorum mortua caderet, acturæque post paulum animam crederetur, recepit se tamen aliquantulum, & dum minus à suis obseruatur à pio Christiano domi absconditur, vnde furtim Chæcium ad Partes transfmissa est. Christianorum in eius aduentu gratulationes, & alacritas, exantlati laboris partem maximam abstersere, sed consolata est illam præcipuè vitæ sanctus, & mortis pro Christo oppetendæ, ardore nobili, ei simillimus, iam enim secundum obscuro carcere, tanquam mortis pignore tenebatur, diu noctuque crura compedibus; collum iugo adstrictus, accedente subinde ab immani Eunuchò, fustuario crudeli, vt reuocaretur præsentì dolore & futuri metu ad Sacerdotium idoli, & templi quod ei antequam fieret Christianus, Regina commiserat; & quos ad Christum traduxerat populos idolo redderet. At is non minus in propugnanda fide sua fortis; quam in propaganda fuerat strenuus, atque indefessus; Eunuchi feritatem patientia, Reginae spes impias inuicta constantia fregit, liberque dimissus, animarum obsequio liberaliùs etiam quàm prius se deuouit. Non sit huic suppar, at certè mira est, pueri nouennis fortitudo, in retinenda sacrata icone quam gestabat è collo conspicuam, dum pœnatum timor Christianissimi notas in multis occultabat. In hunc Mandarinus dum fortè incidit, & videt patentem ad pectus iconem, fronte tristius caperata propius accedit, manibus illam direpturus, puer manus mittentem auertit, pugno iconem stringit, brachiis se tuctur & contra vim etiam dentibus rem gerit; indecorum Mandarinò erat certare cum puero, minatur itaque, superiores vestes tergo direpturum, quo nihil est illic probrosius, licet, inquit puer interiores quoque: & passu gemino retro cedens, ad Pedes Mandarinì superiorem vestem proiicit exclamans, felicem iacturam! qua seruo quod mihi est carius, cursuque se protipit quò talari abolla implexus Mandarinus eum consequi non posset. Dum hæc varijs geruntur locis, P. Hieronymus Maiorica Neapolitanus, quem diximus nulli loco affigi voluisse, longum sit dicere quot terras obierit, quantam ignem vbique spiritus diuini accenderit, nouem maximè in Regionibus Prouinciæ Engheanæ, anno seculi trigesimo secundo: magno quidem sed necessario accisi corporis detrimento, cum deessent in quos onerum tantorum partes reiceret. Fuit

Κ Κ Κ Κ α

95.
P. Maiorica
excurs. fru-
ctuosissimæ.

cum pagorum duorum ac viginti, confessiones vno loco audiuit, qui ad se dierum trium & quatuor laborioso itinere ventitabant, magnam partem pauperes, & digni quorum causa cibi, somni, suique immemor, diu noctuque iis excipiendis audiendisque se traderet, impetrata vix hora qua pensum officij solueret. His verò cum daret operam aderant ad eum longinquioribus ex pagis legationes interdum sedecim, expectantium eius presentiam, ac dum solum deorsum nauigat, præsto iis futurus quibus condixerat; referit ipsemet vtraque in ripa viros sibi, pueros, feminas occurrisse, præstolantes dum illac transiret, proculque conspecto, quo circumuehebatur lintre, tetendisse in cælum brachia, humi fronte proiecta gratulatos sibi ipsius transitum, propinquanti verò inclamasse omnes, & nobis Pater miserere, sumus enim & nos filij Dei, vt sunt illi ad quos tu properas, & nulla te tangit nostri cura? quæris procul quos serues, & præsentis omittis? ac velut fortassis occasionem nunquam reuisuri, quæ tunc vltro se dabat, menses & hebdomadas numerabant, quibus iam Sacramentis carerent, Maiotica, quod vnum licebat, benè iis milies precatu consolabatur illos, & diem dicebat quo esset iis non raptim, sed abundè facturus satis: quibuscum verò aliquamdiu fuisset, auelli ab iis non poterat sine sensu doloris peracerbo, cum post aquæ lustralis quam secum adsportarent sacratam copiam, post oportuna salutis documenta, & vltimam ante discessum adprecationem, circumuallarent eum singulibus, fletibus, desiderijs audiendi, quærendi, discendi, tanquam recens appulsus. Prolixum foret, referre prodigia quibus illam Deus fouebat Christianitatem; lapsos metu tyranni, sollicitè sagaciterque requisitos, & pœnitadine condigna Deo restitutos; ædificatas ædes sacras, Christianorum cœtus idoneis ad stabilitatem legibus, documentis, Præfectis munitos. Partem hanc laboris ab operario excellenti, Christianorum impensam culturæ, non patavi latius explicandam. Habet pars altera conuersionem ethnicorum, haud paulò maioribus ærumnarum impensis curatam, sed quas operæ pretium etiam dulces fecit multumque amabiles, cum ex iis videret, quinque solum mensium spatio bis mille quingentas septuaginta quinque animas ab idolis ad Christum rediisse.

Præter hæc etiam Antonius Fontes Christianos inuisit qui erant in Tignoa, quo in itinere, ne quis ei remoram poneret, comitatu se adiunxit, quem Regis filius immensum trahebat, ad parentalia matri Reginae instauranda in ea Prouincia sepulta; solet hæc certorum titulum à viris tantum Principibus instauratio usurpari, primòque, vt iis libuerit vel secundo ab obitu anno. Est profecò laus Tunchinensium singularis, pietas in defunctos, in eam sunt qui patrimonia profundant, malintque egere filios suos censu, quam ope mortuos. Mitto caluitium, quo partem sui scedant maximè honoratam; cœlebs triennium, mœtorem non consolabilem, dies insuper habent quam plurimos,

etiam
etiam
etiam

plurimos, Luna potissimum septima, & modos, & inuenta mortualium rituum; esto, sacrilega, stolidi interdum, & deridicula, sed apud eos sacra, & efficacia, liberandis oros funditorum animis, transferendisq; palingenesia meliori in pulchra, sana, sublimis fortunæ gradusq; corpora, qui ferè illis est felicitatis scopus. Hic priuatorum funcribus tacitis quæ pro conditione illorum variantur, tantisper digrediar in Regiæ funus ab ipsomet descriptum spectatore, vt fieret de similibus coniectura; à me verò idcirco redditum vt intelligatur quàm sapienter Patres contenderint pietate aduersus defunctos magnifica, nec Sinenibus nec Tunchinensibus cedere Christianos; tamen si secus nonnullis visum sit fieri oportere, qui heri aduenæ, hodie motis incogniti, iudices agere ausi sunt. Locus, scribit Fontes, exequiis lectus est vasta planities, ad Oppidum Cheuacum; pars eius maxima crassis illis quas habent, & validis arundinibus clathrata, demptis ad quatuor cæli plagas portis ingentibus; intus moles superbæ machinarum, mensium multorum operosus labor. Stabant ad postes decumanæ portæ orienti obuersæ gigantes duo, ad eius custodiam armati. Sequebantur elephantum sex, & equi totidem phalerati, sex inde triemes, suspensis ad nuntum, & cursum remis, vtrimque omnia tum animantia, tum naues eleganti ordine digesta. Aliquantò ulterius gestatorium retè delicatissimæ texturæ, quod puellarum octodecim, & quinquaginta militum stipabat comitatus, eodem omnes resserario colore & bacillo in manibus, vt solent qui Regum propinquos deducunt. Offerebat hæc matri Princeps, futura vsui, si quando illam cepisset cupido oberandi per campos elysios quos fingunt, & pingunt, & credi iubent Bonzij, etiam fabulis latiores. Ponè Regium comitatum, veniebant auiaria, greges, villæ, & quicquid ad mensam pertinet, legitimis missibus ornandam. Erant hæc iustis inter se distincta spatii, turres duodetriginta, coloribus variis, & luminoso sandarachæ obductu longè præfulgentes, exagonæ quædam, rotundæ aliquæ, inæquales nonnullæ, sed nulla quæ ad orgyas saltè quadraginta non surgeret. Ima bubali, boues, capræ & porci occupabant; media animantes palati delicatioris, suprema omnis generis alites, & mixtus vocum tam dissimilium tam erat rabiosus, & calamitosus strepitus, vt confusos inferos claustrum illud graphice referret. Tectum alitum, orizæ sacci, vna, & esculenta varia coronabant; Regiæ scilicet sub terris, & multo meliora, & abundantius reddenda, sic illi tam sine ambiguo, vt vestes, & supellestem adulterino intenta auto, quas ad sepulchrum inferias cremant, putent in alia vita auri probatissimi futura. Spectabantur deinceps vno ex latere, domus ex ligno viginti quatuor, cælaturis, gummissione splendida auriq; obductu, & omnis canonis architectonici elegantia perfectæ; futuræ sub terris palatia Regiæ. Latus oppositum implebant ingentes porticus, in iis vastæ capedines trecentæ octodecim seu conchæ potius, suo singulæ aceruo cibi lautissimi sic exaggeratæ vt inum acerui

96.
Regiæ funus.

tres homines suo complexu non cingerent; eques manu alre sublata fastigium minimè tangeret, prostabat hoc donarium in conspectu Reginae, cuius eminebat in throno statua, sed absque capite (nam solent pro capite statuis mortuorum indere laminam, eorum nominibus insculptam) circum tota illius & sponsæ, & Reginae gaza, ornatusque, sed fictus & aureis pellibus incisus. Deerat turriculæ ex auro solidæ, & argento, deerat probatæ monetæ numerus quo mos est regia, funera honestare, quod noluisset ea contributione populum grauare. Apparatu in hunc modum digesto, prodit tota cum aula, & Mandarinorum ordinibus Princeps, omnes albo atrati, (qui color illic funebris est) maiori ad ortum ingressi porta, rectè feruntur ad statuam Reginae, quam procul conspicati stantis semper deinceps passibus, iterata humi frontis projectione consalutant; post coram ubi consistere scenam utrimque diuisi faciunt, qua medium excipiunt Principem, suprema parenti dicturum verba, & ingentis sui erga illam amoris exigua illa quæ circum cernebat argumenta dolenter oblaturum; sub hæc si minus ex vero, flere saltem ex ritu debuit. Tunc demùm Bonzij (quorum absentia cassæ omni merito putantur exequiales pompæ) familiarum diuersarum multitudine ingenti, pars quiddam decantare, mixtis animalium vocibus quæ clausæ turribus, & fame tenebantur, concantu qualem posset discors Erynnis contexere; pars Regum Tanchini antiqua legendo referre miracula, gigantum quidem, & heroum maiora fabulis, sed æquè credita ut si oculis cernerentur; pars digniori ministerio fungi, & Sacerdotis, Diaconi, & Subdiaconi splendorem habitum exhibere. Nihil enim in Ecclesia sacrum sanctumque est quod Xachæ, & Amidæ detestabilis idololatria in Indiis imitatione sacrilega defœdaturum, vsque in Iapones, & alias gentes non latè distulerit. Fine tandem exequiis posito, commeatus illius tam conferti partem iussit Princeps in pagos vicinos tribui; partem cedere Mandarinis qui parentalibus adfuissent; machinas, turres, domos, supellestem regiam, ad vltimam assulam cremari, eorum cineres, quocumque ventis portarentur, esse testimonium suæ aduersus Reginam pietatis.

Hoc ergo, ut dixi, comitatu, securus Fontes, bonam Prouinciæ Tignoalustravit partem, comite Ioachino sene illo sancto, quondam Mandarinitio, nunc tam præstantis, & diuini ardoris Catechista, ut eodem secum ardore omnes incenderet. Quocumque deuenisset, spreta sua, & Patris quiete, statim illi auditorium cogere, congregato cœtu instare ad mittendum retè, dicenrem audire cum perpetuis lachrimis quæ dicta loquentis peculiari motu confirmabant, apud ethnicos præsertim, quibus nota hominis grauitas. & sapientia, rectam esse ac veram persuadebat legem, cuius ipse tanto amore flagraret tam colendam in alios inducendam, quod ipse illorum iudicium vitæ suæ signabat præclaris documentis. Sed dum Fontes tam strenuo comite ethnicos inicit, Neophytos alit, & roborat, erigit lapsos, & in gradu reponit, re penitè

repentè cogitur in aulam reuerti, ad inhibendum si posset edicti furorem Christianitati exitiabilis, & tam præcipitis vt eius ante sentiretur fulmen quam audiretur fragor.

Chæcium egressis, occurrunt pagi aliquo numero propè contigui, quos iure beneficiario Rex Sanfuz dederat, Concubinas inter, vnicè sibi caræ, sed Bonziorum & dæmonum magisterio duplici sceleratissimæ, & quod consequens erat, legem Christianam implacabiliter exosa. Contigit autem vt ethnicus, sed mentis emotæ subiret in templum quod præcipuo in pago ædificauerat Sanfua sanè magnificum, & sapiens facinus dictante stulticia auderet, caput & brachia idolo confringens Sanfuz maximè venerando; consternati, vt primum illuxit Bonziji ad tantum nefas in aulam certatim procurrere, denuntiare crimen dominæ suæ Sanfuz iam per se proritatæ, & furia furias subdere; illa cursu pariter ad Regem, querelas deponere, dolere, lamentari, Christianorum audaciam ante omnia indignari quos nec Regis maiestas, nec Deorum in officio contineret; pusilli Rex animi, & eius amore perditus, consolabilem non putauit nisi proscrizione legis Christianæ, quam impiissima femina postulabat; quate iussis coram Bonziorum primariis adesse, & queri quæ vellent, indictam causam, inconsulto & præcipitato edicto in hæc verba damnauit. [Nos Regni Annam Dominus Tandonang, subiectos nobis populos volumus nostro huic parere rescripto, cuius executionem, iudicium nostrorum præfectis iniungimus, vt toto illud regno promulgent, & promulgandum curent. Cum ad nos perlatum fuerit, quosdam falsam doctrinam condiscere, & legem profiteri, virute omni cassam, peruersam, mendacem, fraudulentam, eoque audaciæ progredi, vt simulaehra in templis indignè dehonestent; veramus quenquam in posterum; quantumcumque sit, legem illam publicè, aut priuatim, verbis, aut opere profiteri; ad hæc vllum sectæ huiusmodi, pedem in templa immittere, & loca idolorum cultui dicata; qui secus faxit, potestatem facimus præsentem cuiuslibet iniiciendi in illum manus, sistendique nobis reum impudentem; id qui præstiterit eius strenuam fidem sequetur præmium gradus alicuius etiam Mandarinum, vt solet qui bello fortiter aliquid gesserint. Datum decimæ Lunæ decimo septimo, anni Ciam] hoc est duodetrigesimo Nouemb. anno 1632. hoc tamen Rescripto, creditur voluisse expressione legis Christianæ idè abstinere, ne Lusitanos offenderet, quos nihilominus amicos cupiebat. Porro cum sit & Sinis, & Tunchinensibus tam apta locorum, & Magistratum ex superioribus articulatio, vt quicquid Rex iusserit, nusquam omnino ignoretur, breui vbiq; probrosi edicti apographa lecta sunt; sed edicti metas prætergressa insaniens Sanfua, parum habuit præesse executioni, pagis suis in futurum cauenti, nisi vlcisceretur illatam, vt putabat à Christianis iniuriam. Ad hoc, armorum Mandarinum nacta clientem suum, tempori suo idoneum, ingenio peiorem, immittit illum ad cladem in-

fontium.

96
Regis edictum contra
Christ. à
concup. falsa
ex causa ex-
pr.

fontium, Adest globo cinctus hominum perditorum, qui essent cum eo milites, prædones, & carnifices acturi. Verso ille in templum digito quod erat amplitudine, & ornatu præstans, signum dat impiis, concurrunt, euertunt, solo æquant, materiam aliò transferunt ad constituendum idolo sanum; leuior fuit furenti mulierculæ, Dei sui violati hæc ultio; Saluatoris effigiem quam staterant in altari Patres, idcirco habuit cariorem quod eius vitione, discruciatum esset Christianos; sacra æde destructa, Catechistæ sacellum complanatur; priuatorum ex ædibus sacrum omne direptum & comportatum in aggerem igni absumitur, ac ne quod pietatis, nedum religionis vestigium restaret super, nosocomium etiam crudelis incendit Mandarinus, euulsi- bus miseris, seque inde humi trahentibus ne eodem incendio arderent. Post hæc verso furore ad vexandos, quos iam expilauerat Christianos grandem illis multam, & imparem viribus indixit; tum sparsit in vulgus, velle se illos omnino desertores, aut mortuos, ostentauitque terculamentum stragis quam esset cruentam editurus; eorum viginti coram iussos, produci, argumentis, precibus & minis tentatos cum præstolaretur, responsione timida sibi assensuros, prodiit matrona omnium nomine; de sanctitate legis Christianæ, & Christianorum qui eam tenerent, tanta sui animi voluptate, tanto Mandarinum cruciatu, & tædio dixit, ut is loquentem interpellans, deliram vocaret, & mente captam, minareturque se linguam illam, corque ipsum ei ab radicibus euulsum; cui sedatè illa, fiat id modò, inquit, carnificem expecto immobilis; at is minando potentior quàm agendo, noui negotij specie omnes à se abegit, distulitque in alium diem.

Dùm Christiana res in pagis Sanfuæ immani barbarie iactatur, nobis ex regio edito, ipsisque sub Regis oculis quanquam planè ignari, ruinæ metus incubuit, armatorum turba, magno ut vsus est strepitu, domum nostram intrat; qui primùm occurrerit Bernardino Regio licet arcuatum lignum, iugo haud multum absimile, in collum iniicit, aens Regis nomine illum capi; quo ille nuntio, responderet, nihil sibi venire optatius, & retortas vltro in tergum manus præbet militi ligandas, quem fure instructum aduerterat. Christiani ad hæc qui bono numero aderant, exclamare, expostulare indignitatem facti, vimque ad Patrem liberandum parare, sed eos increpitans & obiurgans amouit, eductusque domo in publicum illuc detentus est, dùm ad eius pedes quicquid domi erat profanum, sacrum congeritur. Currit ad tumultum, & famam populus, Christiani, ethnici, multitudo ingens; occasione, auditorio, & ardore vsus quo nunquam maiorem senserat, in arcam quæ illuc deposita fuerat loco pulpiti scandit, de necessitate legis Christi, & felicitate pro Christo moriendi magna vi detonat, eumque is accensus non satis haberet expeditos, & erant quæ dicebat supremi ad salutem momenti, exceptas ab eo sententias, nunc ille, nunc alius auditori, explicatiùs repetebat, vestem, pedes, vincula osculis premebant
alij,

alij, beatum appellantes, qui martyrij decus (sic fore statuerant) per tot quæsitum maria denique inuenisset. His Amaralius dùm foris redit, mirari primum reiuñctis in dorsum manibus Regium, custodia septum militari; tùm se magno animo Ministris offerre, vt se cum Regio pariter ligatum in partem honoris adsciscerent, cunctis demùm abnuenti- bus, & ipse ex edito astiti populum, & de gloria vinculorum, pœna- rum, & ignominia magnificè dicere, quorum crimen non esset aliud nisi vita & salus, immensis periculis, & itineribus regno importata & communicata cum populis longè ab ea errantibus, quæ dùm incitato feroore sequitur inculcare, voce procul sublata, ex aula nuntius, audi- tores aduertit, & iubet Rex inquit, nihil à Patribus auferri, si quid fuerit ablatum restitui, & iis pro sua clementia ignoscat. Ignoscat nempe? resumit Amaralius clata voce, hæc vero est gratia, sed quam ne- cessario præcedit culpa; cuius autem nos culpæ rei, nisi quod sanctam & veram Dei legem populo denuntiauimus? hanc certè ob causam vel ipsum moti, gratia summa est, qua nos vtinam dignetur Deus; Regi quæso sistamur, vt qui culpæ veniam largitur, doceat, & culpam. Prouidè omninò, Amaralius ne oblata palam, & admitta taciti crimi- nis venia, enormia quælibet Bonziji fingerent quæ Rex nobis clementer ignouisset; Regius vero ab suis custodibus, multis precibus exorauit, vt se mediam per urbem, quâ vici maximè populo feruebant ducerent, ad captanda plebis conuitia, & contumelias Bonziorum. Recreabat se Rex equorum spectaculo, quo explorabatur eorum velocitas; vbi ed- ventum, sistit se coram Amaralius, & modestè quidem, ac demissè, sed tamen liberè, quærit ex eo quod nostrum ob scelus apparitores do- mum immisisset, qui eam in vicum publicum effunderent, & P. Regium quem præsentem cernebat, ligarent? percussus factò improviso, atto- nitusque Rex mirari, dolere, culpam in alios quos nesciebat reicere, idque suo iniussu, & se inscio protus aiebat attentasse. Patrem impe- rat solui, vtrumque ab se humanissimè dimittit; milites seueris cogni- toribus traditos cum parum se purgarent, aliquot mensium carceri, pœnæque non lenibus addicit, nec vlla Patrum intercessione ab iis ab- solui potuère. Biduo post præco, vrbis compita peruadens denuntia- uis magna voce, religionis causa factum iri negotium nemini; qua in- dictione restincta est rabies Bonziorum, occasionem irati Regis capran- tium ad laniam illius Christianitatis ad quam Mandarinis incendere cœperant. Non multum inde temporis fluxerat, & is qui scelestissimæ Sanctæ idolom confregerat, stultus, & cerebro vacuus comparet, rem gestam sermonibus iactari audiens, auctorem se illius iterum, ter- tio, læpius apud omnes non modo intrepidè fatetur, verum etiam glo- riatur, nec fuit in potestate Bonziorum in eius caput defigere, vt sui illius quo se ostentabat præclari facinoris gloriam cum Christianis par- tiretur. Existimauère Patres confessionem hanc adeò manifestam, & liquidam non minus ponderis apud Regem ad absoluendos infantes.

habituram, quam habuisset ad eos damnandos cæca, & maligna calumnia; sed noluit errasse barbarus, nec præceps edictum, noua leuitate abrogare. Libellum quidem paucis inde diebus, ab iis comiter accepit, quo sanctimoniam legis Christianæ tuebantur, eius edicto falli, mendacij, & nullius virtutis infamatam; sed rescitum deinde, inter reiectitios ab eo repositum; responsi quidem nihil vnquam retulit.

Procellosum hunc annum tricesimum tertium Christianis fecit, praua passim edicto, Regio à Mandarinis affecta interpretatio. Quin ne ipsa quoque in aula licuit tranquillo diu frui, vbi Rex atheo quam ethnico propior, sua in Christi fidem odia, & amorem moderabatur ex proprio lucro. Nihilo fecius eo indignante, & edicti eius sacrilegi sualoribus inferis, septem millia sexcenti quinquaginta duo, ab idolis ad Christum hoc anno accessere, & baptizatis accensi sunt, quam multos tam breui tempore superiores anni non viderant. Auxere præterea Christi gregem ingenti numero, in Prouincia Engheana, Maiorica; in Tigno Fontes, vterque non sine præmio, carceris scilicet, in quem coniecti sunt, quod disseminarent vbique sanctam Christi legem, quanquam Regis edicto vetitam. At Fontes quidem quatuor tantum illic egit, Maiorica grauibus quadrimestri toto attritus incommodis, inde sex menses ægrotus iacuit, nec alio magis remedio quam patientia est curatus. Aedes sacræ complures fisco addictæ sunt; sed à Mandarinis superioribus postea redditæ. Trium quæ erant in vrbe regia, maximè insignis, capax, & splendida, sacrilegio immani in publicum stabulum versa est, quare in singulas vrbis regiones designatae sunt singulæ aedes amplæ, quarum pars fidelibus pro templo esset. Cæterum in hoc malorum turbido, vbique fortes, vbique debiles, sed eorum superfedeo casibus, vt similium tædium deuitem. Navis quidem Macao aduecta eodem qui ante biennium venerat Antunesio Prefecto spem magnam fecerat, cupidissimi Regis gratiæ reparandæ; at quanto latior, tanto dolor sequens acerbior. Lex erat vt quacumque nauis ad mercaturam appelleret, mercium indicem quas ferebat accuratissimè inquit, Ministri Regis ad eum deferrent, ipse sibi eximia quæque, quibusuis conditionibus vi aut vili optaret. Vexerat autem Antunesi, nauis rerum sacrarum ingentem copiam, libros, reliquiarum thecas, imagines, cruces icunculas, precatórios globulos, & his similia, quæ Neophytorum alenda pietati mittebant Patres Macenses, quod eos audirent magno quotidie numero angeti, & verò annus tricesimus quartus decem ferè millia iis adiecit, nec vllus erat inter Neophytos qui non aliqua saltem pia imagine donaretur. Ex hac rerum sacrarum immensa copia, argumentatus Rex Christianorum in Regno insanum consilium propagationis illorum inhibendæ, quæcumque in nauis sacrum aliquid redolerent, imperat ad se quamprimum deferri, & prodacebatur ignis, iis in cinerem redigendis, cum multis precibus

vix tandem Patres nefas auerterunt; omnia confertim iubet coram in capsam ingentem congeri, clausamque diligenter, & picatam tradit Eunuchorum fidissimo asseruandam, quoad Antunesius ad reditum solueret, tunc verò illi explicatis iam velis reddendam, vt ea Macaum referretur. Ornamenta sacrificatum & altarium, vel nimis displicuerint vt facta, vel nimis placuerint vt pulchra, sibi retinuit; & quò latrocinium euident, priuati commodi ficto neglectu contegeret, viles aliquot è serico vestes ad Patres remisit, & moneræ nonnihil pro libris Sinensibus, & Europæis quos sibi pariter vindicauit. Sed eius ingratiis Neophytorum nemo pia imagine caruit, altera Saluatoris, Deiparæ altera, quibus sacellum ornaret domesticum: vtriusque archetypum ligno incidit Bernardinus Reginus, quod infinitis impressum aut cartis, aut sericis sacras imagines abundè omnibus sufficit. Nunc ad prospera nostra in Sinas redeamus, & iis contiguum annum 1634. quorum pars maximè illustris cum Vagnonio maximè debeat, æquum est hanc laudem ei confirmari testimonio Furtadi Inspectoris ad Genera Vittelleschum. [Inspectoris, inquit, nouem Prouinciis in quibus viginti tres ex nostris Europæis Sacerdotes, fratres Sinæ tres, duodecim stationibus diuidantur omnes comperi desiderio salutis alienæ, & propriæ virtutis ardere. Sed recreant me præcipuè Vagnonius, & Longobardus septuagenario vterque maior, actiuosior quadragenario; Longobardus Pechini, Vagnonius in Prouincia Sciansi vbi multa Christo animarum peperit millia, spatia in vrbes quinque aut sex, & pagos supra quinquaginta: bis omnes quotannis reuisit, & vitam agit in motu perpetuo; si quem diem nactus est quietum, scribendis libellis ad conuersionem ethnicorum infumit. Huic labore egregio non impar Longobardus, non Christianis modo Pechini excolendis, quorum est maxima ea in vrbe multitudo, sed excursionibus etiam longinquis dierum subinde sex aut decem dat operam. Eundem quoque in alijs notauit spiritus ardorem, sed horum duorum in tam graui, & exercita ætate labor indefessus fecit illos mihi præ cæteris memoratu dignos.] Sic ad Vittelleschum scribebat Furtadus: & Longobardi quidem libenter hic memini, tum ad laudem ipsius virtutis, tum ad commendationem præmij quo illam rarissimo in Societate, & extra ordinem remuneratus est Generalis, iusto quidem, & merito, sed nec petenti nec roganti concessio. Eius enim mandato Decembri mense anni 1617. ad professionem votorum quatuor est promotus, annis decem & octo postquam erat formatus in spiritualibus adiutor. Scripturæ Sinensis, & linguæ peritia, perspecta diu virtus, Apostolici labores & perpersiones, id illi iure honorarium acciuerit. Nunc ad Vagnonij operosos quæstus veniamus à quibus nihil virum constantem, & solidum dimouit, cuiusdam alterius vile, & philautia cæcum iudicium qui eum literis inconsultis Generali deserpsit illa indignum missione, & quem nihil propius fuerat quam vt Macaum renocaret; adeo illum pupu-

97.
Fames hor-
reda & cha-
rmas Christ.

gerat Vagnonij firmitas qui certa linguæ Sinensis peritia fretus, eius de Sciant, & Tienciu vocibus decreto obstiterat (de quibus prolixè superius) at enim fixo in Deum oculo, & constans in munere Apostolicæ missionis Vagnonius bis mille octingentos & septuaginta hoc anno abluit; ex perpersionibus ærumnosis & itineribus hibernis ita ægrotavit, ut miraculo creditus sit Christianorum precibus donatus, totum enim illud quo periclitatus est bimestre, orando, vouendo, flectendo, priuatim, & publicè, cruciandisque afflictatione spontanea seipsum perinde traduxerunt, ut si foret quisque de parente in extremis posito anceps, & anxius: & verò quantus Vagnonij esset, & paterno maior erga omnes, etiam ethnicos, maximeque abiectos, & miseros amor, annus hic ostendit tricesimus quartus quo nullus ab ævo Sciant Pro-uinciam calamitosius, & funestius deuastauit; stetit menses octo tristi sereno obfirmatum sine nube, & pluuia cœlum; sementis è terra ne pilus quidem geminavit; hinc lamentabilis annonæ labor, hinc fames si ynquam aliàs crudelis, exemplisque barbaris horrenda. In plebe potissimum egena, infinita, opere in diem, rogato, & furto viuere assucta; consumptis arborum frondibus, mandi cortices, & ligna quamuis exsucca & arida; milij purgamenta, & siliquæ simul teri, & in panes coacta ad solem excocui. Famis denique rabies incaducta hominum semiputrida inuolare, & mortuis vesci. Dicam mox de incendiariis, & grassatoribus quos suprema egestas in exercitum conharat; horum interea complures quotidie ab iudicibus comprehensos, & viuos clavis in terram confixos circumfistebat turba famelica; cultris acutissimis in postremum halitum intenta, statimque in membra, in viscera, in caput inuadere, profecare, rapere, manantia tabo & sanguine vorare; cuius laniens viros quoque honestos partem sibi tulisse F. Manuel Gomez vidit. Execrabilius illud de matre, & filia quæ deprehensæ sunt infantem membratim lacerare, sibi que parare in epulas. Hunc tormentis subiectæ falsæ sunt esse quartum supra tricesimum, quos aut furto sublatos, aut expositos, fami suæ mactassent. Chianco tota, ignominiosè raptata sunt, suspensæ, confixæ iaculis, & famelicis post mortem in escam proiectæ. Crescente interea immentum cadentium numero, vrbeque sepeliendis iam impari, fossæ quatuor ingentes extra muros apertæ sunt, & tracta vncis in eas cadauera, quoad ad summum implerentur. In communi hac strage, infantes, & pueros excepit fors leuior ne dicam felicior; exponebantur primum à matribus, ne coram cernerent morientes, inter voces postremas cibum poscentium, quem dare non poterant; fuere quæ viuos defoderent, ne voracitati eos obicerent; fuit parens, & mater qui suo, & cari filiolj desperato victu, misere illum in annem, sepeliendum aquis, & idè post illum præcipites; diuersis oculis infontem, & reos diuina æquitas respexit; hi fluuio obruti perierunt; ille innatus aquis

receptus,

receptus, traditus Patribus, baptizatus, vnicè iis carus superstes
vixit.

Iam ex quo à matribus destitui cœperant infantes, à Fabro, & Gomez in vrbe & foris, multis milliaribus quærebantur, vt si minus valerent seruare corpora in tuto saltem animos ponerent, errabant itaque in omnem vagitum, & gemitum arrecti, & quoscumque in viuis reperissent, baptismo lustrabant, instabat enim iis certa mors, cum nisi fame iam semimortui à matribus non abicerentur; in iis vnum offendit Gomez mortuo similem cœptumque à vermibus depasci, adhuc ramen spirantem, sed aqua defecerat quam circumferebat ad baptismum, cum ecce tibi aquatum rediens mulier transit; petit ab ea potum Gomez, quem illa humaniter porrectum, ore Gomez tenet, cursuque ad infantem celer, aqua in manum reiecta illum tingit, verba sacra vix pronuntiat, & puer apertis oculis se viuum testatus, mox in mortem beatam eos elausit, & Deo animam reddidit. His, & similibus narrandis Gomez admirabatur lachrymans tam singularia bonitatis diuinæ documenta. Sed enim decursa vt solebat Prouincia, Chianceum redux Vagnonius, campum ratus patere nobilem ad legem Christianam, caritatemque illustrandam, magna se fiducia accinxit ad nosocomium colligendis illuc proiectis infantibus pandendum. Primam operi suggestit impensam, commeatus quem ad suam, & sociorum sustentationem Macao acceperat, hinc domum conduxit; quinquaginta statim requisitos infantes in eam curat deferendos, nec fuere deinceps requirendi, postquam enim res urbem peruasit, vltro ad eum centeni ferebantur, nec propterea cessabat alibi alios qui baptizarentur perscrutari. Tanto vero nutricum, & infantium numero cum nullæ Vagnonij curæ, sumptusque sufficerent, primas ei suppetias tulere Christiani; post etiam ethnici, tam pij operis misericordia emolliti, & verecundati pauperes homines orbe toto à patria distitos, eam filiolis quos ipsi exponebant, opem ferre, quam iis & diuites, & ciues, & parentes negarent. Nullus ferè de aliis in vrbe sermo; generositas Christiana suspiciebatur, si cui nostrorum Mandarinum per urbem occurrissent, gestatores suos sistebant, laudabant consilium, gratulabantur nostris etiam publici nomine. Excibat omnes ad videndum admirabilitas ordinis, ministeriorum, strenuitatis, industriæ; Gubernatorem, Taolium, propinquos Regis, omnis ordinis Magistratus; ne matronæ quidem primariæ solitudine se tenebant, quam seruant Nostratibus religiosius; nec videndo, mirando, laudando curiositas explebatur, dabant lachrymas pias, dabant capitis ornamenta, dabant gemmas in subsidium sumptuum; argentum homines conferebant; quidam aliquos legebant suis impendiis alendos, alij etiam adoptabant. Feliciores omnibus, quos è limine vitæ infelicis, baptismi gratia beatæ transcripsit immortalitati: censi sunt breui tempore trecenti quibus vita seruari nulla ciborum opportunitate valuit, quod essent iam pessimis alimentis adeo-

98.
Insignis
char. Man-
darini Petri.

vitiat, vt ex eorum graueolentia frater Gomez, bis ad extrema agrotarit. Dedere quoque Christiani nonnulli caritatis profus heroicæ fortia documenta; ruti vnus in puerum incidens, abiectum, nudum, vermibus opertum, persuasit sibi quo illum indicio Deus monstrauerat, eodem illum sibi commendasse, sublato puerum domum defert, purgat saniem vulnerum, vermes deradit, squalorum detergit, suomet in lecto collocat, blanditur, assidet, consolatur ea animi sui voluptate, vt quod temporis punctum ab eo aberat, diem putaret bene longum, nemo ambigebat puerum proximè moriturum, credita est caritas viri boni, vitam illi sanitatemque promerita. Mandarinus Tuon Petrus, cuius ante non semel, mirati sumus virtutem egregiam, ex iis pueris centum domi suæ collegit, præter alios pauperes à quibus perpetuò obsidebantur eius fores; & spectabatur palam, homo id ætatis, & auctoritatis, vnum aut alterum ex iis infantibus inter brachia gestare, & domum ferre, vbi sedulitatem iis omnem exhibebat quam eius ætatis necessitas misera posceret, nec cessit vxori paulum delicatam & iniquo animo ferenti per se illum obire, quæ præstaret seruis, & ancillis committi; at is subridens hortabatur, vt iis è foribus gemmas seligeret, hoc est meritum caritatis, & decus veræ non solo nomine Christianæ; quod non modo ex ipsa obtinuit, verum etiam ex fratre, & ex sorore. Accepit aliquando auditos extra urbem infantis vagitus præmaturè ab suis sepulti, accurrit anhelus, & multum rogans vt bono Angelo indice puerum inueniret priusquam expirasset, inuentum sinu tollit, intranti domum occurrunt famulæ, vt puerum lauent; sed putor, & sanies, & odor pestilens retro illas abegit, vult ergo, inquit, Deus totam huius venationis gloriam, ad me pertinere, susque ablutum manibus & in lectulo compositum peculiari sollicitudine curauit. His eius familia præclaris facinoribus inflammata, eius ardebat imitatione, & conuersionibus ethnicorum quos è vicinia, centum breui ad baptismum perduxit.

99.
Tacronum
ex. rc.

Octimestrem famem secutum est latrocinium immane, & quouis bello peius. Sceleratissimi homines, vitam exosi suam, quam sustentare nisi rapto non poterant, in pagos, & oppida effundi, alij turmatim & temere, sub ducibus alij, rapere, occidere, deprædari, quicquid audeat hostis probrosum & barbarum patrare, eadem, & incendia circumferre, neo villo loco consistere ne obliuioni ansam darent. Iam Prouincias vastabat lues illa, & regni vniuersi communis rebellio timebatur, cum Chianecum regendam suscepit Mandarinus vir sagax, & ad remedia extrema malis extremis adhibenda intrepidus; passim igitur illos, cateruarim, sigillatim, vi, dolo bono, industria deprehensos captos, festinata sententia damnatos, arborum truncis, muris, solo configere, & famelicæ plebis ferinis moribus laniandos & deuorandos exponere. Verum enim vero tam crudelis vindictæ sæua spectacula, ipsis quoque Chincei prædiariis tantum formidinis hauquaquam intulere, vt vrbis incendio,

dno, & direptione abstinere, nocte appetente quæ p̄ imā p̄cedebat Lunam, cum anni vertentis festas latitias ciues in st̄ ruerent, spargunt incendia milites variis simul regionibus ciuitatis, & p̄dās inter ignes captant. Arsit Chianceum integra illa nocte, & die sequenti, nec de illa quicquam residuum fuisse p̄ter muros, si vel auræ sibilus spirasset. Incitatus est ignis vehementius in ædes diuitum, vt fugatis iis p̄dones libentius quod vellent tollerent. Solæ Christianorum ædes, & eorum qui expositos infantes alebant, Christiani forent vel ethnici; plebeij, aut diuites, immunes ab igne perstitero, & quanquam iis sapius iniectus, nunquam arsit. Hinc mira Christianæ legis, & mosocomicij à Vagnonio instituti laudatio: erat enim illarum ædium ingens multitudo, & paucis ethnicorum exceptis, omnes Iesu augusto nomine frontibus p̄fixo notabiles; vnus tamen valdè Neophyti contiguæ flammis correpta domus conflagrabat, cum implorata mox Dei ope, spectabilis omnibus puer apparuit, qui vestis suæ laciniola flammam huc illuc sequens, & tegens p̄focabat, eaque penitus vndique restincta videri desit. Foris item pagis, igni ab latronibus iniecto deuoratis: Christianorum domos ne scintilla quidem violauit. Alibi ædes ethnicorum cum dep̄darentur, cæcutiebant ad Christianorum fores tamen diuitum, easque intactas velut inuisas p̄teribant. Pago duæ p̄donum equitum instabant turmæ, nec dabatur aut fugæ aut defensionis locus, cum vt erant incolæ virtute singulares, vocato statim in auxilium Deo equos sistunt, in calcæria, & verbera tam refractarios vt nequierint vterius adigi; quare sessores consternati furorem aliud vertunt. Post anni squalorem, & famem pestilens morbus terræ incubuit qui contagio sparsus paucis diebus ictos absoluebat. Noua Vagnonio misericordiæ, & caritatis seges. Cumque morbo stragem latam edenui, ab natura, & arte deessen remedia; eo p̄sentit à Deo adfuerit, p̄sertim ex chirographo S. Ignatij quod propterea circumferebatur. Multi morte optantes Christiana, vitam ethnicam claudere, sacro baptismo sanati sunt; lustrali aqua innumeri; erat femina Christianæ filiolus; huic alterum oculorum, concreta suffusio clauserat; matrem vicini fatigabant idolo cuidam vt sacrificaret, magno vt aiebant cæcitatatis, & oculorum Æsculapio; hortabatur illa è contrario ad verum Deum confagerent, dissipaturum cæcitatē, qua tenebantur tam densa, & periculosa vt sibi coram apertos inferos non viderent. Inter hæc puerum alteri oculo innascens membrana penitus excæcat. Insultare hic matri omnes, exprobare inanem fiduciam, Deum illius traducere; at hæc duplo confidentior, geminato filij sui malo, extremum digiti aqua lustrali mergit, & stillam filij oculo vtrique infundit, eius tactu panduntur oculi redit lux, & visus facultas longè quàm antea potior. cursum puer, seseque ostentat per ædes vicinorum, & factum modumque seiscitantibus enarrat cum incredibili eorum stupore; quanquam erat aded inter ethnicos certum Christianorum Deum illorum fiducia p̄sto

109.
 Mirac. sanationum.

præsto esse, ut hoc in ista morbi Chianceum populantis strage testati sint. Circuibat vicos Bonziorum, & melesicorum agmen; hi pestiferos spiritus cantionibus abigebant ne auram venæarent; illi ad ianuas domorum, maximè diuitum execrationes in mortem vibrabant tam horrendas, ut si domum ingressa iam foret, esset omninò è fenestris salutum præcipitatura. Sed cum domos obitet agmen hoc circumforaneum, eius ductor ad fores Christiani cuiusvis, Iesu nomine fat notas, exclamabat, Christiani domus: respondebant alij, nostra opera non eger, habent suum, ac cæli Dominum cui credunt, à quo egregiè seruantur incolumes, & medicinam accipiunt nostra quavis salubriorem.

101.
Christiani-
tas Pucei
fundat.

Cæterum palmare huius anni opus à Vagnonio peractum, fuit Christianismi fundatio in vrbe Puceo, qui deinde illic si vsquam alibi magnificè floruit; superiori anno Vagnonius eius vrbs tentarat ingenia, Colai Han vsus comitatu sibi intimè addicti; eiusdem nunc fretus præsentia ad quam hiscere auderet nemo, illuc redit, missoque sibi obviam à Parente duos Colai filios inuenit, dehinc etiam ab ipsomet, eiusque germano officiosè inuisitur, quod in Magistratu Regi vni secundo, humanitatis & amoris prodigium extitit. Post tugatio eductum quod sibi conduxerat, tamdiu detinet in palatio hospitem, dum illi commodam metatur stationem, ea interim affectus præcipui, & reuerentiæ in sanctum senem, testificatione palam ac publicè, ut intelligerent vniuersi, quanti esset habendus, quanta docenti fides tribuenda. Legem enim Christi sapienti Colao; sermones nostrorum, & Christianorum mores, tam amabilem fecerant ut nihil optaret ardentius quam suam patriam Puceum cernere Christianam. Nondum tamen surgebat ad æterna; dumtaxat virtutem suspiciebat moderatricem vitæ, & deprædicabat institutum quod suos efficeret bonos, alios meliores, atque in hæc duo contentiones omnes consumeret. Domum igitur mandat Vagnonio quæri, ministeriis eius idoneam. Huius partem Vagnonius sacrificio diuino inaugurat; inde in selecta Literatorum frequentia, viros tres proceres Colai propinquos solenni baptismo expiuit, eiusque filiolos quatuor; & paucis ab hinc hebdomadis Literatos, & Mandarinos eo numero qui par esset sodalitati congregandæ ad peculiare studium pietatis, & magisterium populi, exempla sodalium sectatari. Certè inter illos inualuerat is ardor, ut profiterentur Christiano indignos nomine nisi ethnicos saltem sua quisque pro parte decem Christo esset lucratus, eodemque igne beatitatis alienæ ardebant illico quicumque ad fidem accederent. Reuisebat illos quotannis Vagnonius, & cautè dilatam baptisma maturis conferebat: anno demùm 37. edidit creuit Christianorum multitudo ut ei curator attribueretur Ignatius Costa, doctrinam & linguam Sinensem apprime doctus, qui & ipse suburbicarios Puceo pagos fructuosissimis excursionibus coluit; sed biennio priùs Franciscus Sambiasius eximius clarus in Ecclesiam Sinensem metuis, nostram in Regia Nanchineusi stationem denique instaurauit.

rauit, eam tyrannus Scin, in ruinas impulerat ex quibus annos octo-
decim non valuerat sese attollere, connitentibus licet Doctoribus Mi-
chaële, Leone, Thoma, & Philippo, ipsoque adeò Colao Paulo,
tam diris impius Christi hostis fautores suos in eam odiis imbutos re-
liquerat. Ecti enim subinde nostri urbem adirent, ipsique Ciues Chri-
stiani, cœtus suos ut erant edocti variis in domibus haberent, sed hæc
furtim, & suspenso gradu atque manu, quod centum oculis, Bonzij
obseruarent ne in urbem nostri nisi raptim pedem iniicerent. Hoc de-
mum anno, Sambiasius primùm tolerari, deinde amari, paulò post
foueri, tandem etiam certatim frequentari. Rescripto munitus Colai
Pauli, tum hoc viuis exempto, Doctoris Petri, urbem ingressus est;
Præerat Paulus reformatoribus Calendarij Sinensis, edicebatque Sam-
biasium publico comodo, & iubente id Rege, oportere in vrbe con-
sistere, & poli gradus, defectionesque luminarium obseruare. Erat
Sambiasius ob virtutem ethnicis quoque venerandus, dexteritatis au-
tem miræ, in negotio quouis difficili explicando & verbis, ac gestu
salua religiosi hominis, & Literati grauitate summè amabilis, sed iu-
dicij circumspectissimi. Hunc Mandarinum aliquot cum adissent à Chri-
stianis minus alieni, ita sunt eius humanitate, & scientia capti, ut ad
eum visendum, alios mouerint complures, pari apud omnes laude vir-
tutis & doctrinæ. Inter hæc eclipsim paulò post futuram cum prænun-
tiasset, eiusque articulos, momenta, & durationem ex astronomico
Europæorum canone descripsisset, sub eius initium flos Mandarinorum
ad eum conuenit, & respondentes ad amussim prædictionibus
iplas quoque euentuum minutias singulas cum vidissent, pro oraculo
suscepere, securæ sunt intimæ quorundam amicitia cum illo, familia-
ritates, & tituli, elegantibus inscripti tabulis, domum pompa solenni,
& symphonix concentu ad eum perlatis, quibus in aula propatulo lo-
catis, conciliatur auctoritatis splendor iis quorum in laudem compositi
fuerint. Eminerat quoque superliminari edictio, qua palam fiebat
grandioribus literis Patrem ad Regis domum pertinere, iubebantur vi-
carij tribuni, diu, noctuque illius saluti excubare, quem deprehen-
dissent in eum aliquid moliri captum sistere tribunali. Pars in hunc
modum aula gratia, & opinione, secutus deinceps diuinam gloriam
salutemque vrgere animarum, ad quam eatenus omnia sed dissimulatim
referebat. Primum eius conatum fortunauit Deus nobili pignore opu-
lentæ in posterum messis, Mandarinum eius aula decus Ecclesiæ ad-
iunxit. Illectus enim Sambiasij suauissimis moribus, & blanda comi-
tate, suum illi tradidit filium erudiendum astronomicis elementis,
quem Sambiasius de aspectabili hoc cœlo, ad æterna sensim attollens
spectacula, prælectionibus perpaucis ex mathematico Euangelij fecit
discipulum; & aquis vitalibus regenerauit in nouum hominem, mo-
resque longè à pristinis diuersos; mutatione inexpectata, & subita
perstrictus parens, dum causam inuestigat, capitur, & ipse Christia-

M M m m

101.
Nanch. ecci
restituitur.

norum dogmatum honestate, excellentia, & soliditate, fallūque se victum baptizatur; tū septuaginta paulō post ethnici, quos inter Eunuchus palatij, septuagenario grandior, qui felicissimam deinde, ac strenuissimam operam multorum conuersionibus sudauit. His rerum prosperis sapienter diffusus Sambiasus, factusque cautiō damnosa ibidem præcedentium annorum experientia, inuidiosa omnia deuitabat, submouebatque ab oculis, maximè Bonziorum. Quare non est passus Christianos apud se congregari, sed domos quatuor; foris binas; in vrbe totidem assignauit, in quibus sacros peragerent cœtus; quintam feminis solis peculiarem & propriam; obibatque diuersis diebus sigillatim hos cœtus, concionibus, sacramentis, institutione ethnicorum quos amici docendos adducebant, omnique officio Apostolicæ functionis. Obscure in speciem, & minimi strepitus, sed secreta, & valde vtili opera.

Anno tricesimo septimo, nam præcedentiū duorum intercedere nobis monumenta, eundem lego Nanchinenſi augendæ Christianitati magnis contentionibus intentum, eam octo primariis vrbibus, multisque minoribus intulisse, & tolerantiā laborum supra quam vires ferrent infatigabili periculose ægotasse. Mandarinis aulæ tametsi ethnicos illum intimè obseruasse, & propter illum legem Christianam; triginta ex ipsis liberali contributione ædificasse domos duas quas illi donarunt, alteram extra vrbem in sepulchra nostrorum, cum olim Pechini Riccium, sepulchro magnifico Rex ipse ornasset: in vrbe alteram, cogendis ad sacra Christianis, cuius fronti marmor indidēte, perennatura in æuum Christianæ legis insculptum commendatione, sed illustrata est clariùs Sambiasij existimatio, factō Bonzij senis, & cœnobiarchæ inter suos nominatissimi; qui contra tamorem morēque Bonziorum proclinationibus infimis, eum persecutus, vertit se ad illum quem secum duxerat (arate grauem, & aspectu qui procul venerat de rebus animi consulturus) & huic ait, securè te trado, de iis edocendum, sapientiùs vtique quàm possim præstiturum; omnes eum aulæ Mandarinij, hoc est omnis doctrinæ, & prudentiæ medulla, demitantur, obseruant, diligunt, certatim colunt, ex quo fit consequens, esse iis virtutum & scientiæ dotibus præditum quibus alibi frustra requiritur ditiores. Sub hæc Saluatoris adorata sapiens icone abscedit, & suum profelytum iniciandum fidei dogmatis Sambiasio relinquit. Hanc legem Sambiasus vsu sanciuerat, vt quicumque venissent, eandem effigiem adorarent, videns ergo quandoque insignis Mandarinus stare coram nonnullos, & curiosè magis, quàm reuerenter aspicere, reprehensos, exemplo compulit ad eandem Christi venerationem. Hanc imitatus est Nanchinenſis ipse Taolius (sunt hi Præfectis eminentiores, & monitores Regum, si quid Regni administratio à bono exeret.) Hic mirè cordatus, & Regno Dei aptus oprabat magnoperè Sambiasium placidè audire, sed occupationibus obrutus, perseverabat ad mortem ethnici-

cus, nisi Deo volente Rex, Taolij pondus leuiori officio illi commutasset, post hoc enim audito Sambialio, breui Vero & recto quò iam erat à natura pronus, manus dedit, & sacro ex fonte nominatus est Paulus; quanta ethnicorum admiratione, quàm effusis ad Deum inter Christianos actionibus gratiarum, melius cogitatur quam dicitur. Porro hæc fidei incrementa secundis rumoribus longè extra urbem dissipata, accersebant ad illum aliarum urbium nuncios, implorantium eius opem, quibus nisi raptim & paucis diebus iens & rediens cum satisfacere non posset, discruciabatur eorum miseris vehementer: hæc tamen Ciampij aliquamdiu Doctoris Thomæ patria, vbi præter suam expectationem, expectatissimus, & fama notissimus, incredibili gratulatione Mandarinorum exceptus est. Audiebatur vero in Doctoris Thomæ suburbano musæo ea frequentia, vt cum perorasset, auditori nouo repetenda esset habita concio. In Cathecumenis docendis durabat ad medias noctes; pridie quàm baptizarentur eam in iis mouebat diuinæ offensæ detestationem, & horrorem vt præteriti dolore soluerentur in lachrimas, & lamenta; sponderentque Deo in posterum innocentie Christianæ obseruantiam inuiolabilem; trecentis baptismum contulit, triaque hunc foris posebant opida, erantque magnis accessionibus nascentem illic Ecclesiam auctura; sed eam Bonzj, mendicitatis metu exciùdere mox tempestatem, vt satius duxerit spem paruam in præsens omittere, quàm rei summam in periculum vocare.

Iam de Regno Dei inter Sinas læta mihi suggerit hic annus seculi huius, tricesimus septimus; nam ad Regnum Sinarum quod attinet, semper hinc deinceps quot annis in peius, & in præceps ruit, quoad denique transiret ad Tartaros qui Prouincias eius dum hæc scribo, saltem duodecim obtinent. Defuncto ante biennium, P. Palmertio Prouinciarum Inspectori, quæ solent Macao operarios petere, Manuel Diaz, suffectus est ad discrimen alterius iuuenis, & cognominis, senior appellatus, qui pro suo in Sinas ardenti studio, viginti mox operarios à Vitellescho Præposito mitti ad se quotannis postulauit generosos, nec amantiore vitæ quàm ferret cursus illius nauigationis, qui tolerabilis habetur si vel mediam ex Europa vectorum partem transmittat incolumem. Sed enim inspecto postmodum quàm longè pluribus operariis egeret, Semedo Viceprouinciæ Procuratori negotium dedit, vt Roma rediens bona cum venia Generalis, ex nationibus variis septuaginta deligeret secum in Sinas perducendos, addiditque Semedi precibus pradens senex valdè sapientem ad Vitelleschum epistolam, quam à tanto viro, missionumque illarum experientissimo, non ab re arbitror posteris profuturam. Sic ergo ille Martij 10. anno 1637. annorum sum quinque, & septuaginta, ex iis sexaginta translegi in Societate, & quidem quod pudet negligenter, versor in his Prouinciis quinquagesimum nunc annum, & in regendi, consultandique munere quadragessimum nonum, quod præmittendum idcirco censui vt intelligat V.

M M m m 2

103.
Omnium
nationum
operarij ad
Sinam con-
uert. necessa-
rij.

P. quantum mea intersit vera dicere & scribere, cum accersendum tunc quamprimum sentiam ad reddendam Deo omnium rationem. Fidelitatem à me nisi sum impiè ingratus, singularem Societas repetit, cui tot vitam annorum, & quicquid boni habeo, debeo; cum eam ingreſſus, vix nisi absurdè loqui possem: tamdiu præterea personas expertus, resque tum nostras, tum externas; Paternitati vestræ asseuero nihil esse ad salutem harum Prouinciarum desiderabilius, & maius, quam vt ex multis nationibus operarij ad eam concurrant. Suis enim hominibus Lusitani egent in Lusitania, egent iisdem in Brasilia, nec possunt Prouincijs quatuor de suis cultores suggerere, quæ à capite bonæ spei huc vsque porriguntur. Vt necesse sit alterum fieri ex duobus, aut externos è nostris in subsidium euocare, aut susceptam Sinarum, Cocincinae, Tunchini conuersionem omittere, Cambogiæ præterea, & Laiorum, quorum aditum regnorum ab annis septemdecim tenemus. Accersendas ergo ex nationibus alijs subsidiarias operas hæc sunt quæ Paternitati vestræ possunt confirmare.

1. Iapones, & Sinas haudquaquam primi eruderunt è nostris Lusitani, sed alij, primamque in iis sementem cum fecerint, æquam esse vt pergant, & messem colligant animarum quam excoluerunt.

2. Deinde Macaum paucos habet ad Societatem idoneos; milites sunt Præſidiarij ducenti quinquaginta, sed ij ne mediocriter quidem instructi dotibus ad nostra munera opportunis; & si quibus aliquid viuax insit, Regi malunt in India militare, quam hic nulla spe honoris aut occasionis bonæ torpere; Macao quidem oriundi, natis in India longè præstant, quodd eorum, & melior indoles, & educatio, at ij & pauci sunt; & in iis qui Societatem expetant pauciores; cum tamen Sinarum, & Iaponum vastitas, & cultissima literis, & intelligentiâ virtutum ingenia, quamplurimos exigant, & magnis animi præſidijs fultos!

3. Qui admittuntur hic in Societatem, annos octo, sumptuque non leui, & propter aduersum studentibus cælum, fructu exiguo, literis incumbunt, iisque ita enervantur vt fiant laboribus impares quos harum missionum conditio strenuos exigit; Externæ Prouinciæ dant nobis homines virtute, ac literis absolutos, gratuitos, & solo huc vsque Vlyſſipone, viatici sumptu: quanto prouentu animarum, diuise sufficiat, illos strenuè semper, & fideliter laborasse.

4. Magnum nostris hisce Prouincijs nomen facit, quod earum causa suas deferant externi, ac licet in iis vtiliter & honorificè occupentur; nostras tamen has magno ambitu present.

5. Exempli est admodum illustris tam nobili inter nos amore congmentatam cernere caritatem, vt fratres fratribus ad laboriosa, & ardua tam procul suppetias ferant; periculâque & ærumnas præferant commodis quibus in patria gaudebant, intra metas religiosæ obseruationis quod hic ordinibus cæteris in vsu esse non videmus.

6. Contin

6. Contingit non raro peti à nobis Mathematicum insignem, aut solertem pictorem, quod iis careant Lusitani, iam si semel aduertant externæ Prouinciæ, natali spiritu nos agi; nec eæ faciliè postulata concedent, nec decebit nos ad ea postulanda descendere.

7. Denique Sineses, cum multa faciant ad Societatem idoneos, sed fidei sunt aded teneræ, vt quantum capio, nisi multo tempore maturescant, & corroborentur, intutum valde sit Societatis famam, votorum sanctitatem, & sacramentorum ministeria iis committere. Iapones verò (si pergat tyrannus vt facturus videtur) furere multis annis nascuntur ethnici, ethnica educatione, ad superstitiones idololatriæ dictatis ethnicis fingentur, ecquando igitur in illis ad Societatem aut Sacerdotium fore habiles expectemus? quare oportet nos esse Catechistis laicis contentos: Sacerdotes verò ex Europa accerfere, quos cum sufficere Lusitania non possit, petantur sanè ex nationibus aliis docilioribus ad nexum mutua caritatis] ista sapiens senex religiosissimo instinctu solidæ pietatis, quibus adderem multa si vellem historiam in argumenta deslectere, atque illud imprimis, operarios externos, possessionem stationum à dominis (sic verbo venia) nequaquam auferre; sed multas ex paucis; ex maeris, & parum fructuosis ob penuriam sociorum, sociis operum diuites facere; iam vtri præstiterint in Apostolico munere, discernant facta ipsa non verba.

Huic suo insistens considerato iudicio Diaz, quatuor in Sinas hoc anno 37. destinat Ioannem Monterum, Franciscum Brancatium, Hieronymum Grauinum, & Ludouicum Bullium, qui se Macai pridem ad eam expeditionem comparabant; Primus Lusitanus, reliqui Siculi, senioribus diuersas in Prouincias adiuncti quorum vsu, & linguam, & modum agendi persicerent; quo se vtroque ab anno 1630. abundè munierant Tranquillus Grassetius, Petrus Caneuarius, Michaël Trigaultius, Benedictus de Matos, & secundum hos Antonius Gouea, & Ignatius de Costa; quorum aduentus Seniorum Patrum cadentem ætatem inexplicabili gaudio affectit, dum se in iis renasci quodammodo cernerent, considerentque nunquam defuturos ad consummandam conuersionem imperij in qua ipsi tam diu sudauerant; nunc planè exhausti viribus, quod vitæ supererat in compositionem librorum conferebant quorum emolumentum perpetuum, & omnibus commune Christianam rem inter Sinas, Cocincinenses, & Tunchinenses promouit plurimum, censebanturque iam hoc anno 37. ducenti quindecim; manuscripti verò, proximèque edendi duodetriginta supra centam caractere omnes difficili, & lingua illorum regnorum exquisita, de Religione, pietatis cultu, Philosophia morū, natura & Mathematicis.

Sed quietis huius, etsi laboriosæ, impatiens Longobardus rem aggressus est hoc anno periculofam, & difficilem, quæ tamen feliciter, Dei beneficio est confecta. Vocatus fuerat ante aliquot annos Pechino Cinanfun, Sciantuanensis Prouinciæ urbem primariam, ad filium

103.
Noui oper.
noui Christi.
Longobar.
fund.

Colai Pauli confessione sacra expiandum, vbi ethnicos tredecim Christo lucrificet; & Mandarinos expertus est tam præclare erga te animatos, vt hoc instar promissi habuerit pangenda illic Christianitati; nec eò reditum distulit vltra annum; quo, itineris duce feruido Christiano, initium fecit Euangelij prædicandi ab eius patria bidui spatio Cinanfano distante, plus centum ethnicos errorem dedocuit aut lauit; in reliquo populo eos exciuit motus qui desituri videbantur in professionem omnium Christianam, nisi Bonzij Deorum Sinenfium ad verbis Præfectum querelas detulissent, quos aiebant à Mago, Peregrino, Seditioso, falsario proferri. Præfectus accusationem pro comprobata re habens ratam, & accusatores pro testibus, decernit Longobardum cum comite, non examinandos, sed puniendos comprehendere; verum eius ætate inhibitus, & quadam veluti aspectus maiestate, frontem solum rugauit, contemptum minatus, nisi tuam hanc attenderem promissam canitiem, plagas hinc ferres quinquaginta, & volentem aliquid dicere foras iussit extrudi; ejus comitem crudeliter cædi, & iugo tanquam carcere adstringi. Longobardus & ipse vrbe pulsus Cinanfum solus venit, & Mandarinorum amicorum intercessione recepto comite Pechinum regreditur. Sed vlciscente iniuriam Deo, Præfectus gradu, & officio motus, successorem accipit Mandarinum æquitate præstantem, æstimatorem Longobardi magnum, qui hac cæca illectus, per niues, & gelu concreta flumina, eandem iterat expeditionem. Cuius ipse successus sanctus senex quàm verè prælagisset, testatur eorum felicitas de qua sic ipsemet ad Viceprouincialem. [Res, inquit, nostræ Sciantunenfes, votorum meorum mensuram æquarunt. Taingan ap-pulsus Præfectum vrbis, amicissimum nobis pro obsequij munere adij; visendi officium is statim rependit, hinc quicquid in vrbe Mandarinorum est me domi visere, ego illorum comitates, dies totos viginti excipere, & Saluatoris effigiem iis ostendere, qui mihi aditus ad diuina, & salutem animæ, apud eos erat, valuitque ad triginta ex ipsis baptismo tingendos. Vulgata erga me Mandarinatus vniuersi honorifica beneuolentia, conuenire ad me ex vicinia ethnici complures, & quotquot erant Christiani, certioresque facti vexationem præteritam ex ignoratione legis Christianæ ab ex præfecto attentatam, magnis animis illi ad eam ambiendam, ad retinendam isti sese accingero. Ego stabilito mihi in vrbe domicilio exiui in propinquos pagos tanta eorum lætitia, quantum ab ipsis expectatus, & trecentos in iis, quæ Dei est gratia, ethnicos baptizauit, sonabatque circum tam longè, ac lætæ fama nobili, lex magni Occidentis (sic eam nominant) vt à milliari septuagesimo ad audiendum concurrerent, & me quisque in suum oppidum traheret, sed Decembris & Ianuarij spatio à R. V. conscriptus, satisfacere illis non potui nisi spe facta mei reuifendi ad quintam, aut septimam lunam. Recreauit autem illos præcipuè domus in eorum Metropoli figendæ promissio, vnde nostros ad manum toto anno essent

essent habituri, hoc futurum ut sperem Mandarinorum promissis confido à quibus illic sub medium annum expectabar] hæcenus ille; magnopere rogans operarios strenuos in procinctu haberi & reliqua ad ponendam illic stationem necessaria, ex qua Prouinciæ integræ penderet salus. Nusquam tamen is esse poterat quam Pechini utilior ubi Adamo Scial, & Iacobo Rhò in Sinense Calendarium intentis, solus ipse pondus sustinebat nobilissimæ illius Christianitatis ad quam sexcentæ hoc anno animæ accessere, sed euentu nonnullæ tam admirabili quàm certo extra omnes vires, attemque credebatur. Fuit hæc præclara feminarum octodecim, quæ primas in palatio tenebant ad Christum conuersio. Fiet rei gestæ præstantia clarior, si præmiserò Sinarum Regem nullius vti nisi Eunuchorum famulatu, & multò magis feminarum. Triplex harum est ordo prout ad maiora ab Rege adhibentur. Primæ duodecim Ciameicæ dicuntur hoc est, sapienter loquentes, eæ linguæ Sinensis, & scripturæ concinnitatem omnem callent, & sublimitatem; ministerij vices pro Regis cubiculo obseruant; libellos ad Regem supplices à primis palatij Eunuchis, qui Colais extra palatium respondent, acceptos legunt, Regi offerunt, & exponunt; rescriptos à Rege, Eunuchis reportant; Eunuchi ad Colaos remittunt. Secundum ordinem faciunt Tataianæ numero quadraginta penes quas omnia quæ ipsummet ad Regem attinent, vestes, libri, atramentum, penicillus ad scribendum, denique omnia, nec re vititur vlla Rex nisi earum manibus porrecta. Tertio gradu sunt Siaoræ; quæ Regi mensam ponunt, instruunt, ministrant, adstant utrimque discumbenti, nitorem cubiculi curant & supellectilem. Hoc triplici ordine principum feminarum, nihil infra Reginas augustius; habent & ipsæ singulæ suas Eunuchorum familias, & honorarias puellas; habent, & alias Reginæ multo plures suis obstrictas obsequiis, sed inferiores gradu iis quæ Regi deseruiunt. Iam quod septa interioris palatij, æterno adamante feminis illis clausa, lux veri Dei, penetrarit, consilium fuit diuinæ bonitatis, quæ Christiani Eunuchi non magni nominis, virtutem eximiam nobilitauit tam pulchro facinore. Appellabatur Van Iosephus, triennis Neophytus, sed veterum nemini secundus. Domui præerat nobilis femina secundarum Reginarum cuiusdam honorariam operam nauantis: hanc post expagnatos feliciter, traductòsque ad Christum propinquos suos, aggressus est. Ac primum de illa cum Deo ardentem; de Deo postea cum illa, de vita post mortem, de æternitate, & sanctimonia legis Christianæ agere, audiri ab ea cupiè, probèque percipi, eò tandem processu ut vellet esse Christiana; ille dominæ suæ salute gestiens ad Patres accurrat à quibus edoctus quæ ritè fieri oporteret, amplius eruditam lustrauit sacro baptisate, & Catharinam nominauit. Duobus his accessit tertius Lien Marcus Eunuchus, quos tanto afflatu diuini spiritus, ad difficillimam illarum feminarum conuersionem inflammavit, ut paucis nihilominus mensibus, præter illas quæ adhuc pendebant

104
Mira femin.
conuersio in
palat. per
Eunuchos.

pendebant ancipites, primi ordinis tres ad sacrum fontem perduxerint, secundi vnam; ex tertio quatuor; nouem ex familiis Reginarum, quarum mox omnium viuendi ratio eiusmodi fuit, vt ex disciplina Monialium expressæ viderentur, nostrorum quidem (quantum procul amotis licebat) institutione formata, sed longè felicior, efficacia diuinæ gratiæ Sacramentorum supplente vsum, quo necessariò carere cogebantur; seruabant stata orandi tempora, legendi, & inuicem communicandi de rebus animi; si quid labeculæ iis excidisset apud Patres dolebant per literas, eiusque pœnam, & cauendi monita rogabant. Intercedebar inter illas eò iucundior mirabiliorque consensio, quò antea simultatibus femineis, æmulatione, honoris ambitu & superbia ventilitatis ferè semper inter se dissidebant; largitas verò in egentes, & cultum diuinum liberalis; earum familiæ ad mores compositæ dominarum, multique in iis ipsarum hortatu Christiani, vt ex agnatis similitèr quos statim à baptismo hortatæ sunt ad præclaram sui imitationem; postremò Regi & Reginis si daretur anxia, tam luculentam sui, & religionis susceptæ parabant rationem, vt quod multum sperabant Christiani, de elicienda eius approbatione publica nequaquam diffiderent.

Annuit quoque hoc anno Deus veteribus Patrum desiderijs de Euangelij sacra face in Huguanensem Prouinciam inferenda, totius imperij locupletissimam, centum triginta quatuor vrbibus habitatur, primi, medij, & tertij nominis, præter pagos innumerabiles, & castella. Vocabulum ducit ex lacu perameno quem Hu vocant, & ciuitates amplissimæ quatuor aliæque minoris ordinis coronant; Prouincijs octo conterminis cingitur Hugwana, & anni regio Chiano propè media secatur, qui tandem in Iancio (maris filio) nomen cum aquis perdit. Metropolim habet Vuciansum in montis editi sitam planitie, quem decurrentes è summo aquæ, propè in peninsulam redigunt. Pridem illuc nostri spes sanctas miserant, in cassum semper, his annis potissimum, quibus annonæ labor Prouinciam præ cæteris diuitem, prædationibus & incendijs latius & crudelius habebat infestam. De hac eius Prouinciæ amœnitate, & opulentia Mandarinij duo ex ea oriundi, Iacobus, & Matthias, cum nostris dum agerent, facti sunt nostri nullam esse beatitatem quadrupedum terrena, & fragili fortunatiorem, cæterum nullam egentiozem veris bonis, Dei notitia, & felicitatis sempiternæ, neminem illie æterna & immortalia cogitare. Quibus paulò fusiùs deploratis, viros egregios acriter pupugit Dei honor, & patria charitas; Viceprovinciali Furtado vltro spondent, si quem ex Patribus eo mittere placeret, fore illi se duces itineris, omnemque ab illo iniuriam defensuros; Iacobi fratrem in recens in illum, quem explicuimus, Doctoris apicem prouectum, futurum ei potenti præsidio; Vuciansum vrbem esse aptissimam summæque docilem ad concipiendos verbi Dei fatus; adduntque alia in rei commendationem, qua sanè Furtadus non egebat vt cui nihil æquè cordi esset; Goueam confestim Hanceo euocat mittitque
Vuciansum

Vucianfum, mensis integri fuit ea nauigatio aduerso flumine, luctuoso vtrinq; per sex dies spectaculo horrenda; ardebant vtraque in ripa pagi, & castella milliaribus singulis, vastabant regionem latronum Cateruæ, incolæ miserè vt ferrum, & ignes fugerent, subire in fluiuium coacti sorbebantur. Ipsemet Gouea parum abfuit quin demergeretur ab suis nauiculariis, quo genere nullum inter Sinas latronum genus deterius. Iniecerant oculos in Gouea sarcinas duabus diuisas captulis, vna librorum, altera vestium ad sacrificandum. Latere iis captulis thesaurum suspicati, has vt submergerent, postmodum piseaturi, venti vim tantam in latus colligunt, vt velo nauis succumberet, euertenda omninò, nisi Regis cursores duo, veli pedem stricto acinace illico abscidissent, minati se caput iis abscissuros, si quod ausi bis erant scelerati, idem tertio attentarent. Ianuarij sexto Vucianfum ingressus Mandarinum inuenit Iacobum, quod tamen non esset ab scientiis exoticis admodum instructus, Mathesi præsertim, quibus Mandarinorum æstimationem, & beneuolentiam prolectaret, solitarius, & ignotus egit; hiemisque residuum in montis vertice sub tecto paupere traduxit, vnde nihilo secius subinde progrediens, Christianos effecit triginta, Iacobi fermè propinquos, aut famulos. Tum præterquam metuerat, Proregem nactus humanissimum impetrauit ex eo facultatem domicilij in vrbe statuendi, lentisque progressibus biennio post, plures trecentis baptizauit.

Hoc etiam anno Fochiensis, & Sciansiensis Prouinciæ ab Alenio, & Vagnonio earum Apostolis, (hoc illos dignantur nomine qui de illis huc scribunt) administratæ, mille sexcentos Christo peperere, sed clara virtute, & prodigiorum editione mirabiles; potissimum verò studiis nunquam antea sic incensis Ecclesiarum augendi numerum, populis Neophytis alios populos in accepti doni societatem vocantibus. Erat Vagnonio laborum comes, & heroicæ pietatis P. Stephanus Fabri Auenionensis vir prudens, & sanctus dignusque iam tum qui accenseretur in præstantissimis viarum illius cultoribus, sed annorum deinceps viginti profectibus in eum prouectus meritorum gradum, ex quo veluti canone fingi possint, religiosi virtute perfecti, & Apostolica operatione. Schola ipsi fuit Vagnonius, ex ipso didicit quo Magister alius fieret. Quam potè Vagnonius vitæ formam suis imprimeret Neophytis, vel ex ea liquet veneratione, qua idololatræ etiam pessimi eos obseruabant; contigit aliquando prædones impetum facere in turmam viatorum, quibus plures decuplo cum essent, seorsum singulos è turma seductos spoliant, nudant, secto capite obruncant. Ad Christianum cum venissent qui vnus erat ex viatoribus, reculas inter, quas illi detrahebant precatoriam aduertunt coronam, & interrogant quid sibi hoc vellet? respondit is Christianum se esse; iis se globulis vt ad cæli Dominum colendum, exorandaque ab eo animi patrocina, & bona. Ad hæc omnes, turba perditorum, circumstare

NNnn.

hominem, laudare quod esset Christianus, gratulari, atque inuidere, profiterique se fore Christianos si possent aliud quàm raptò vivere, hominem denique suis cum sarcinis dimittunt intactum, sola sibi re-tenta corona Deiparæ Virginis, teste suæ propensæ in Christianissimum voluntatis. Iam pelliciendis ad Christum Mandarinis elucubrabat Vagnonius tractatus complures, quos cum etiam manuscriptos avidè perlegissent, remittebant cum pecuniis ad Patrem in necessarios editioni sumptus ad quam illum magnoperè urgebant, ne legis tam sanctæ notitia regnum diutiùs priuaretur. Ut autem prædones necessitate rapiendi excubant quod non fierent Christiani, sic isti polygamix assuetudine, quam ut abrumperent non satis sibi imperabant, agebat hoc tamen celsa illa in iis existimatio dogmatis Christiani, ut Christi legem tuerentur, cuperentque fundi latissimè: qua ex re Deus Vagnonio ad religionis incrementa suppeditavit nouum, & perutile inuentum. Aedes sacras viginti statuerat multò pluribus cogendis Christianorum pagis non sine illorum qui procul distarent incommodo: Mandarinarum ergo fiducia qui se tam comiter ad accipiendam quamlibet gratiam inuitabant, Præfecti maximè, ausus est petere ut ex templis pagorum, & urbium, tam multis in quibus dæmon colebatur, aliqua darentur Christianis in quibus cæli dominum colerent, quod ubi multis impetrasset locis, in aedes sacras ita commutabat, ut formæ nouitas, superstitionis antiquæ memoriam aboleret; nec id multum inuitis fiebat ethnæicis, ut quibus esset venerationi Christianorum Deus, & Rex communi opinione Christianus. Illum enim iconem Redemptoris suo quondam auro donatam, ornasse magnificè; loco aulae maioris primario statuisse; coram illa quotidie ter quater in frontem pro-cidere; extrussisse palatio simulachra, & dispuluerasse, quod solent baptizandi, cum solus coli velit qui solus Deus est Christianorum Deus. Hæc illi de factis ab Rege vera; de consilio illius & animo falsa, verum ad auctoritatis incrementam, fidei sacræ percommoda. Peregrinantes quoque ad varia Bonziorum sanctuaria ethnæici, non prius recedebant quam imaginem Redemptoris in Christianorum templo adorassent, & quod opportunè admodum captabatur, de illo docerentur quem picta species referebat, vno & vero Deo, cælique Domino, aliorum verò effigies, hominum esse mortuorum aut cacodæmonum. Quod apud ethnæicos tam certo iam inualuerat, ut si cælum stetisset, vel alia urgeret calamitas, fatigatis frustra simulachris suis, conuenirent ad poscendum in opem Christianorum Deum, & donario aliquo publicè placandum, & impetrata ferrent quæ postulauerant. Spectandis demùm ob oculos curationum prodigiis, quæ pueris etiam & mulierculis tam erant in promptu, ut paucis preculis, aquæ stilla, vel cruce constarent, eluctari non poterant diuinitatis præpotentis, & suorum amantis, inextricabile argumentum. Cæcis planè, videndi facultatem, tabidis valetudinem, apoplecticis vitam repentinis sanationibus videbant restitutam;

104
Greiberr. mi-
rac. in con-
suet. fidei.

cateruatim

cateruatim lupos è montibus, in subiectos pagos, famis rabies exegit, quemcumque obuium inuenissent, vallatum, deiectum, strangulatum, diuulsum vorabant, soli ab iis immunes erant Christiani, & sola crucis ob signatione tuti.

Fochiensem, quam dixi, Prouinciam, partim Diaz à Castelblanco, & Lobus; coluere, partim Alenius Brixianus, qui Christi nomen in vrbes duodecim propagauit, Ciuenceo in qua residebat conterminis; quibus vnus sat esse non valens Caneuarium accepit focum tam perspecta iam notum pietate, vt ei lata gratulatione alij triduo, duplo longius nonnulli occurrerint. Liber statione Alenius in vrbes effunditur Iuncium subiectas, & earum pagos, vbique Christum, Christianorum novos cœtus, & sacras ædes ferens, rustici operis, sed magnæ ob cruces, & sacras imagines, impetratæque in iis beneficia venerationis. Clauderem hunc annum factis heroicis Christianorum Sinenfium nisi essent iam dictis similia. Sollicitati iuvenes ab heris & parentibus ad fidem Christo eiuandam, precibus, fustibus, cruciatu; sterere in gradu tam alacres vt admirationi essent torquentibus; castimoniam alij sæua verberum perpeffione redemerunt; Cechianenses Christiani ex institutione Catanei & Froes afflictandis seipsis tam erant rigidi, & immisericordes vt frænâ egerent. Sanctioris hebdomadæ ultimo triduo, anus debilis cibo potuque abstinit, dura Sinis inedia, quater in diem edere solitis. Appressum capiti circulum, duobus & septuaginta horrentem spinis constanter gestauit, sæpè in seipsam flagellis defœuit; nec fuit dissimilis illorum ratio quos in Prouincia Fochiensis Alenius Christo educarat. Primum anni diem quem Sinæ agitant solutis hilaritatibus, consueuerant Christiani vnâ rebus diuinis in templo insumere, illuc iuuenis Christianus cum subisset, elegans, comptulus, cultu venusto, & florido; signari primum oculis tacitè, post indignanter, nec sine pudore; tercia demùm commonitione castigatus ab vno ex adstantibus viro graui, domum se recipit, detritis, & vilibus induitur, Christianorum cœtui niente & habitu mutatus, se sistit de genibus, veniamque errati à Deo, & ab iis petit. Actiori obiurgatione sed necessaria offensionem emendauit Mandarinus quidam Pechinensis; priuatus dum esset vitam exigebat Christiano, vt erat, dignissimam; Mandarinatus fumo mox ebrius, tumere, disfluere, Christianismi sui que immemor, dissolutis propalam moribus omnes offendere. Hic illum per vrbem dum ouans equitat, turba pedilequa, & anteambulombus stipatus, adoritur matrona, solidæ ac masculæ pietatis, prœsensque habenis exultantem morata, modestè sed fortiter, qualis esset, qualis ante fuisset repræsentat. Vnde tam alius ab eo qui fuerat? ex Mandarinatus videlicet gloria, nisi ergo viueres Mandarinus, Dei contemptor non viueres, nec Christiano nomini probrosus? tibi æquum videtur, vt beneficio diuino collata in te dignitatis, indignitate motam, & offensione publici respondeas? & Dei bonitas, ex semente fe-

raci, & diuite hos fructus metat: mitto rationes conscientia Christiana; miror tantum qui possis, pudorem omnibus insutum, cum vita quam agis sustinere. Si non est emortuum penitus fidei tuae lumen, cum emortuo igne tuae charitatis, puto te in praesentiarum prospecturum, quid te post vitam futurum sit. Expectabant omnes, feminae libertatem, quo ferret supercilio Mandarinus, in nutus arrepti, ad iniiciendas illi manus si significasset coercendam; at is vitae futurae amara confixus mentione, exscendit equo, agit matronae moniti gratias, facturum spondet quod admonueat. Nec facere distulit, ea enim domum officiosè reducta Patres adit, accusat, execraturque praeterita, & in nouum ardorem accenditur, extincto meliorem. Emendatum est duorum qui sequuntur peccatum stolidius, crassiori poena. Imperatum sibi à Confessario ieiunium tridui alter neglexerat; huic in conuiuio celebri, lethalis humoris infesta guttula os repente distorsit; simul animo recurrit quam culpam lueret, & factum doluit, haud tamen prius ex deformitate os restitutum est, & glutendi recepit facultatem, quam planè ieiunium triduum impleset. Alter die quodam Dominico dum sacro interest, prolixitatis tædio sub medium discedit, non sine offensione adstantium. Efferenti pedem duo se obiiiciunt iuuenes; vnus exeunti manu pectori indita moram facit, sonorum alter impingit colaphum, cuius clarus plausus cum templi totius oculos ad fores aduertisset, vident miserum humi volutari extra se positum, & seminanimum, donec peracta re diuina, recepit sese, fassus adhuc tremens se ab duobus Angelis ad emendationem sui, & aliorum disciplinam castigatum.

Dum religionis inter Sinas, tam bellè negotium procedit, nihil propius abfuit quam ipso cum regno funditus in Cocincina deleteretur, sustentauit illam Buzomius nunc Deo propitio ex Cambogia redux qui viginti ab annis eam fundauerat. Agebatur annus æui huius trigésimus quartus (ex quo filum scribendi de Cocincina resumimus) nostri vero simulati exilij quintus quo tutari nos priuatim latebris sinebamus, dum ne in publicum nos daremus nisi cum oneraria Lusitana ad illos portus applicaret. Applicuit autem hoc anno auspiciatissima. Nauis enim Praefectum dona Regi solita ferentem comitatus Sinoam P. Manuël Fernandez, tam inopinati erga nos affectus, in eo offendit popularitatem, quam eius ab ore insuetam, & nouam; dolere se grauius nostris malis, euersione sacrarum adium, & exilij decreto, quibus quintam iam annum nos vexasset, haud vilo quidem aduersum nos odio, sed quòd pij & æqui saluo iure, non possit Princeps, antiquos Regni Deos Christianorum probris, & stragi permittere, qua saepe moniti, pergebant nihilominus in eos seruire; sed hoc quicquid ante hac transactum, transierit, inquit, & obliteretur penitus; noua exinde amicitia, nouis conditionibus colatur. Meis integrum sit religionem profiteri in qua securius cuiusque animus acquiescet, seu Dei vnus,

coelestium

105.
Cocinc. Rex
praeter mo-
rum benefi-
cius.

cœlestium Domini; seu auitam Deorum plurium. Sed alterius ab sua sequaces, verbo, factoue lædar nemo; qui secus faxit, culpæ audaciam condigna pœna læet; hac lege libertatis in religione optanda quam quisque maluerit, constans alatur concordia, quam fore vobis inuio-
 latam, & sanctam confido; veniant Patres, & centum si volent; omnes mea gratia complectar, Bazomium maximè, cuius magnitudinem animi dotesque virtutis, & prudentiæ, pridem sibi probatas, mirè dilaudauit. Lusitanis præterea ædificandi pagi potestatem fecit in portu Turonensi, frequentare illum habitatoribus suæ nationis quàm multis liberet, suo illic iure, ac legibus viuere, Præfecto & iudice Lusitano, cui ad hoc amplam tribuit facultatem. Iam hæc contra omnem expectationem, nec rogata, nec nobis cogitata liberalitas Regis tam larga & subita, non satis diuinabant Patres, secluso Dei nutu, vnde proflueret, nisi forte ex amplificata maiorem in modum, in Tunchino confini, & hostili, Christianitate, & se putaret vaser senex rationibus regni, sibi vni aut notis aut fictis consulere; velletque Christianis, & eorum legi videri beneficis, & amicus eò propensius quod in Patrum vita subtili examine cribrata, nihil potuisset arguere, præter illam quem falsò putabat permissi fidelibus futorem ad proritandos populi animos defectione ac probro idolorum; contra Bonzios norat ex omni collu-
 nie scelerum concretos. Horum tamen sectas si regno non pelleret, cur Patres, & eorum legem? expertusque suo cum magno dedecore fuerat cuiusmodi esset animal Bonzios. Venerat enim paulò ante in aulam è regno Sinarum qui ore cultuque squallidò, modestus, humilis, terrenorum contemptor, & verborum maximè pondere, aspectusque in cœlum crebritate aditum sibi tanquam cœlo dilapsus in palatium fecit, spondens fore vt animos suorum cum spiritu Deorum iungeret, nescio quo amoris glutine quod omnes præter se ignorarent; mentes fluxerant non multi cum deprehensus est longè alio suis quam spiritus amore nexaque coniungi, insimulatusque vulgante fama, etiam cum Regis filia consueisse, verè an falsò, quadratus dissectus est: eius scintilla, gemmarum, & auri thesauro grauida quo simulatorem illum paupertatis, & spernacem bonorum, suæ ditabant discipula. Argumentatus Rex Bonzios ceteros non posse isto omnium optimo esse meliores, vetuit feminas pedem mittere in eorum templa, ratus hoc fore castiores quo absissent ab iis longiùs. Singulari hæc Regis beneficentia vnde cumque tandem proficisceretur, haud cunctanter Patres vestem depouunt simulatam, resumunt propriam, ministeria repetunt publicè intermissa, tepentem in multis, extinctam in quibusdam, iterato inflammant pietatem, quæ nostrorum quinquenni exilio iners iacuerat. Turone fabricant ædem sacram, quæ in aliam ripam deinde translata est vbi nouum pagum, noua Lusitanorum colonia Regis concessu obtinebat; inistant denique conciones, excursiones in oppida, baptismi solennia, & quæ sua, quæ Catechistarum industria octoginta supra octingen-

106.
Bonzios insignis hypococponitur.

107.
Femina Christiana galizat.

tos sacris fontibus tingunt. Præcessit hanc instaurationem femina
 Christianæ planè audax & insolens facinus, Ioanna vocabatur, &
 quæstus indigens aut indigentiam simulans, circumferebat pagatim
 merces aliquas venales sed nulla ipsi merx & quæstuosior, & expedi-
 tior procederet, quam Regni Dei insinuatio, quæ tam suavi cæcos illos
 mulcebat dæmonum cultores, ut in Dei filios mutaret. Ianuarium hu-
 ius anni huic commercio insumpsit quo vno ex pago ethnicos quadra-
 ginta Christo asseruit, & loci Præfectum Mandarinum. Duobus
 cum Bonziis diuinorum Magistris disputauit de animo, & beatitate
 quam extra Deum assequi nullam posset; explosit illorum stolidam in
 alia corpora transmirationem, & supra feminam, illos pressim ad e-
 totondit, & domuit ut acclamaretur à numeroso auditore theologo-
 rum duorum expugnatrix. Sed mirabilius ex multitudine ethnicorum
 sese expediuit, qui ad sancendum veri Dei quem prædicabat coluum,
 sanari ab ea infantem flagitabant periculose ægrotantem, coramque
 allatum ad experimentum de illa sumendum; nihil cunctata in cœlum
 attollit oculos, Dei opem implorat, cruce puerum signat, & sanatione
 repentina, ex morbo restituit. Expostulabant eiues apud Mandarinum,
 Antonium nomine, cuius domi degebat Ioanna, quòd tantus cum esset,
 nunquam quicquam ex iis ab eo audissent, quæ simplex femina, tam
 necessaria, & magnifica docebat. Quibus ille, vitam fateor hæcenus
 studendo contriui, sed partem, inquit, eorum centesimam non sum
 assecutus, quæ ista suoapte haudquaquam ingenio, sed cœlesti afflata
 spiritu loquitur. Certe quidem extra id temporis quo verba faciebat ad
 ethnicos, nihil se profitebatur scire, nec eius ab ore verba tria coha-
 renter duxisset; dicenti ad ethnicos, affluebant sententiæ, argumeta,
 compositio, & modus explicandi ut videretur non ipsa, sed alia loqui;
 ut autem dicendo, hæc decus fidei, causamque magnoperè adiuuit, sic
 illa pridem à nobis dicta Maria Princeps, agendo, ac fouendo. Erat
 huic filius Regis frater, sed longè carius quod se Christianis, Matrem
 posset præstare quicumque aulam, & vnde cumque adiiissent negotio-
 rum causa: templi vicem cunctis præbebat eius palatium, sacros illic
 agebant cœtus, & diuinattractabant, toto exilij nostri quinquennio,
 Rege velut inscio, suæ in eam obseruantia id dissimulante, cum nul-
 quam præterea fas esset Christianis palam conuenire. Manuëlem Fer-
 nandez cum Præfecto nauis Lusitano in aulam appulsum incredibili gau-
 freretur vberius, non est passa illum extra palatium degere vbi magnus
 eius lætitiæ accessit cumulus ex Mandarinis duobus ab eo baptizatis,
 multisque aliis, qui iam Christianorum nominum appellatione, ac vita
 baptismum præuerterant. Inde suos Fernandez reuiscens Christianos, &
 Sinoam, & proximè Tunchinum haud sine aliquo Christi lucro excu-
 rit; post in Prouincia Quagnia iterum morbo cotreptus est ex quo non
 pridem valuerat, fuitque Caciauum prætorio lembo repostandus, vbi
 matris

108
 Princ femi-
 nar. vitus.

maris violenta prostratus agitatione, tertio quàm applicuerat die interit, vir patientiæ multis & grauius aduersis exercitæ, qui labori annorum duodecim, si linguæ peritiam iungere potuisset illis regionibus vſitatam, quæstus ex iis tulisset haud paulò ditiores. Tentugalli natus in Lusitania, vixit annos ætatis quinquaginta, Societatis triginta quatuor.

Inter hæc Buzomius à P. Palmerio ex regno Cambogiæ, vbi eum putabat in condendo Christianismo frustra niti, Macaum reuocatur, illic, aiebat, talentum creditum occupaturus vtilius: verum quicquid benè aut secus cogitarit, diuini fuit consilij, vt hac via Cocincinæ restitueretur, ad Christianam rem fulciendam, quæ illic in ruinam vltimam pendebat. Et Cambogiæ quidem, aduenas complures, Christo lucrificis: multos quoque illi reconciliauit Iapones apostatas, quos tormentorum inmanitas in desertionem præcipites egerat; ex indige is vero vix octo & triginta baptismo lustrauit, quod Rege in nepotem, & nepote in Regem armato, intestino bello arderent vniuersi. Fuisse tamen illi vndequadraginta primitiæ segetum quas Societatis operarij postea mesuere, metantque nunc etiam in eo regno amplissimas. Illinc ergo profectus *Visitatoris* iussu Buzomius redibat Macaum, cum iter medium emensus obiter attigit Cocincinam anno in quem subimus 1635. reperitque ab nouo Inspectore seu *Visitatore*, Manuèle Diaz mandatum priori æquius, in Cocincina remanendi, cuius clades inspectæ propiùs acerbum illi dolorem inflixere. Caciæni, Faiſi, Tutori ædes sacræ, olim amplæ, ornata, sumptuosæ, tunc mapalibus similes, & caulis pastorum, regionis totius incendio duplici cinerata; & deprædatione nauigij à Batauis priuata subsidio, quod iis reparandis mittebatur: sed eum confixit acrius à Præfecto Prouinciæ edictum, quo iuebatur aliò gentium mare iterare; Christiani, pœna capitis cœtibus; Patres sacris muneribus abstinere; milites, templorum miserabiles reliquias, cum repositis vtriusque altaribus, imaginibus, crucibus perdere. Sceleratissimum iuuenem, & sine quo clausit dignissimum in hæc sacrilegia non egit, odium fidei; sed declinandæ infamiæ conatus qua apud populum ingenti laborabat ob inductam in eum improvida gubernatione diram famem; hanc ipse volebat iratis Diis attribui, ob restitutum cœli Domino religionis suæ cultum. Cessaturam vero templorum profanatione, & repetito sacrorum Patrûmque exilio. Veram impietas execrabiliter meditata suum frustrata est auctorem; Caciæni quidem satellites in ædem sacræ improbos misit, quorum duo reliquis impudentiùs audaces sacræ imaginem stricto acinace quadatim secuere, quasi pœnam de offensis Diis à Christianorum Deo exigentes. Buzomius vero haud facile strepitu terreti solitus, aduersus mandatum, purgandi quamprimum Prouinciã, edictum protulit, quo Rex nobis liberum fecerat vbiicumque vellens sedem statuere, Regem appellauit, & illo causam apud eum vicit: sed ambitiosum iuuenem

109
Cocincina
in partes
scissa post
mortem Re-
gis.

uenem mordaciores vrebant curæ. Cocincinæ regnum natu maximo liberorū ex primaria vxore à Patre destinatum, meditabatur inuadere; & sublato fratre, Patrem adigere ad cedendum sceptro quod esset alioqui sibi bello asserturus. Ac germani quidem proditoriam necem orditus fuerat priusquam Cacinam Prouinciam regeret, aulicis octo sacramento adstrictis ad eum occidendum cum ipse se primum in sua Prouincia Regem nominasset. Atma interea, terra marique comparabat, ob hæc à Patre in aulam accitus, verbis illum, & naniis ad mensẽ Nouembrem circumduxit, quo senex infelix moriturus, designatum sibi successorem, Coeincinæ Regem iussit acclamari, & iurata fide regni ordines illi obligauit; coniuratos octo quod pepigerant confecturos, tanti arcani rima quædam, fecit nouo Regi suspectos, ipsūque in acrem, & tutam sui custodiam arrectum, inuitabat nihilominus beneuolẽ in aulam, rebellem ad cohonestandas communis parentis exequias: at is non temerè de suo fratris animum æstimans non modo aulam cauit, sed apertè cœpit ad sustinendum fratris exercitum, accingi; Turoni portum qua patebat ingressus validè muniit; fauces amnis præcluse vallo ex templi nostri quam fecerat sceleratissima ruina compacto; parem denique se fore triremibus statts quadraginta duabus credidit, & terrestribus copiis, elephantorum numero formidandis, quod explicatis utrimque ordinibus fideret aduersarios ad se transituros. Fefellit sua spes perduellem, quin & illum sui eadem expectatione ab eo lusi, ante conflictum deserunt; ipse tribus vix triremibus in portus ostia confugit, sed accessione maris, vltiori fuga interclusus pedes in oram se coniecit cum vxore, & paruis liberis, duobusque germanis ex eadem matre, & errabant palantes, qua sua quemque consternatio, & hostis insequens ad quærendas latebras vrgebat. Instare igitur milirem sentiens conclamantem perduellis mortem; pugione sibi guttur sed leniter perstringit, capitur, exarmatur, probris, & cõtumeliis onustus in aulam potatur, clauditurque horribili carcere, vnde mox præsentì quod ante pugnam sibi prouiderat venæno se expedit, vxor filij & fratres probris mortibus necantur; par centum proceres inuoluit laniena; obiciuntur consiliarij armorum suasores elephantis qui proboscide implexos docentur in altum proicere, dente cadentes configere, humique afflictos pede conterere: secti alij quatuor in partes, minus fontes capite truncati; ex quibus Paulus Mandarinus, quem nuper vidimus ab Rege ob professionem Christianam dedecoratum, gradu motum centum plagis affectum. Felix si quod pronum tunc fuit sub earum pondere expirasset. Nunc infortunatus potius quàm reus, non potuit non mori; quam illi mortem rebellis intentarat, nisi Regem Tunchini legatus suo nomine adiret, hanc ei victor denique intulit; eius interitu gaudere ethnicis non diu licuit; luxere statim post facinorosissimi Christianorum hostis Ami Mandarini, eiusque filij, nihilo Patre melioris iustum supplicium, qui deprehensi inter coniuratos viui dissecti sunt.

In hoc discrimine ancipiti turbido, perduellis Princeps federis Buzomio Turoni, confirmabat; duobus ipse comitibus sociis, tam longè in sylvas & montana consultò errauit (nec sine aliquo animarum lucro) ut suspicionem moueret nemini amicitiae cum rebeli. Sedatis inde tumultibus in aulam venit gratulatum coronam nouo Regi. Erat hic homo ferus, indole malè fida, moribus belluinis, quem fama erat, Patre centuplo peiorem, lectum idcirco à Patre successorem, ut eius comparatione suum demortui desiderabile Ciuibus imperium fieret. Germani eius qui duo Caeianam Prouinciam diuersis temporibus rexe- rant, dogmate Christiano plusquam mediocriter imbuti, erant erga illud, & Patres illius Doctores beneuolè affecti, quos ipse præter Buzomium, nec norat, nec quicquam de fide veri Dei, videbaturque de cætero iturus, quo illum dictata familiarium impulissent. Prima tamen hæc ad illum officia Deus Buzomio secundauit, lætatus est eius aditu, affatu, obsequio, & in conferta proceribus aula, tantum illi amoris testatus, ut fratres eius duo, & patruus Mariæ Principis filius gratularentur Buzomio securam in posterum illius beneuolentiam, & defensionem: cùm ecce vix quadriduo post in hæc verba edicit; Patres, multi vel pauci regno in præsens exeunto; in futurum, nunquam pedem in illud referunto. Et fuit hic decumanus fluctus cui auertendo, aiebant redditum Cocincinæ regno Buzomium; regnant enim ferè Principes ut cœperunt, & si ab nostorum exilio auspicaretur imperium frustra foret sperare futurum aliquando qui de reuocandis hiscere auderet, multo minus apud se priuatim dissimulato etiam habitu retinere, certus sibi rem fore cum irritabili homine, & sanguinolento. Ob hoc Buzomius ne viginti annorum periret labor in cultura illius vineæ à nobis posirus, & nunquam postea repetendus, contentiones omnes adhibuit ut exitiabile decretum rescinderetur ab ipsomet rege, nihilque moratus auertentes ab eo conatu velut casto, Dei vnus fiducia, cuius agebat causam, non dubitauit humanis præsidis imprimendam cœlitus vim illam quæ conficiendæ rei sufficeret; impressaque est profectò tam mirabiliter ut homo gente peregrinus, religione aduersarius, aulam omnem ad se diuertet, & Mandarinorum primarios ita suis addiceret partibus, ut si de illorum exilio ageretur. Tanti fuit operarium sapientem, virtutum, & doctrinæ splendore conciliasse sibi voluntates, & admirationem etiam ethnicorum; fuit inter Principes Reginas, cui nunquam visus Buzomius, quæ pari ardore pro illo egit ut si foret maximè Christiana; tot officiis Deus barbati animum inflexit ad rescindendum quod edixerat, addendamque facti excusationem in frequenti suorum confessu; sibi nempe fuisse persuasum, Patres Cocincinæ, & externorum regnorum saturos libenter patrias reuisuros; sed quando iis tantum placebat Cocincina, (quod faustum, & felix) remaneret tùm ipse Buzomius, tùm quos sibi de suis optaret socios; sedes sibi, & illis vbiicumque libitum curaret; ædificaret Deo suo templum, & ad

109.
Rex nouus
Cocin. Patr.
admit.Refer.
reuoat.

se sapius rediret. Actis Deo, & Regi gratiis Buzomius, possessionem statim adit redditæ libertatis, dies triginta sex concionatur ad aulam, & populum, magno ethnicorum ad Christum accessu, in quibus Mandarinus bello clarissimus, & alij quidam ex regio sanguine. Post hæc in Iaponum præfectura cum Rex cuidam Dominico rebellionis fraternæ conscio subrogasset Rocoben nescio quem aut desertorem aut ethnicum, eiectione Patrum insignire hic voluit præfecturæ suæ primordia; prætexens Iapones deinceps aut idololatrias, aut apostatas à fide, non frequentaturos commercii locum ubi essent Magistri religionis eivata, quos præcipuè antehac requirebant. Egit tam fortiter, & cautè Buzomius cum Præfecto externis, Mandarinis intimè erga se affecto, ut Christianorum hostem sacrilegum Magistratu Rex abdicaret, templum Faifi iuberet aperiri, quod homo nequissimus clauserat, & Patres ad sua in auxilium Iaponum repetere munera, sic prosperè hoc anno Buzomij opera renascens Cocincinensis Ecclesia se extulit, quæ per eum ante annos viginti lucem acceperat. Cuius hic finem historie pono, quod quinquennium subsequens ante secularem Societatis annum nihil quod scribam suppeditet.

10.
Ingens numerus bapt. in Tunchino.

117.
Catechisti in Tunchino quales fuerunt.

Plenioribus velis ferebatur Christiana res Tunchinensis cuius gloriosos progressus ab anno seculi trigesimo quarto in consequentes tres continuato filo ducam, in quibus nihil grandius quàm quod quatuor his annis regenerata sunt in Christo ethnicorum triginta quatuor millia sexcenti quadraginta quinque, futuri multò plures nisi fames, & Regis inconstans animus, & priuaræ quædam à Mandarinis diuexationes obstitissent. Lucris tamen adedè numerosis iacubere non nisi quatuor, quinque interdum ex Patribus, quorum semper aliquis, aut morbo languens, aut linguæ ignarus, commodare sociis operam non valebat. Paucitatem hanc supplebant Catechistæ numero quadraginta, ætate, ac viribus integris, quos se gratuito Ecclesiæ illius ministerio, votis solennibus dicasse scripsimus: quorum erat in iis exploratio pietas, & scientia notior, Thaij, hoc est Magistri creabantur, vulgabantur eorum nomina in sacris ædibus, & proponebantur cubitalibus literis è regione altarium, ut se in oculis, documento se omnium viuere meminissent; noui quoque subinde, formandis iis ritus excogitabantur, nouæ perficiendis leges, ut essent religiosi modestia, pudore, demissione sui, & piorum sermonum assiduitate quàm simillimi, quam etiam ob rem peculiaris vestiendi modus eos à vulgo secernebat, nec in eo solùm ministerij illorum ratio versabatur, ut verbum Dei quocumque pateret aditus spretis incommodis circumferrent; sed iugo & carceri; exiliis & probriis læti obuiam irent, fugebátque illos ad hanc animi generositatem, qui ut essent subsidio Patribus eos excitat.

Patres huc illuc perpetuo in quæstum animorum discurrebant. De lustrata hoc anno Engheanensi Prouincia, Rurum in oppidum Majorica rediit, diues ethnicis centum octoginta tribus supra quatuor millia,

millia, quos cum Catechistis Christo feliciter venatus fuerat. Sedem alij fixam in vrbe regia sed mutatis vicibus tenebant, vt opportunis per annum temporibus vicinas excolerent regiones. Est autem regia Checiū Tunchini Metropolis, & mater, habitatore innumerabili conferta, cui suam operam tacite Patres diuidebant, templo enim ca-
 111. Cur in Tun-
 chin. regia,
 nulla sacræ
 ædes.

tere maluerant, quam ejus euerfione, quæ semper in lubrico erat fideles consternati, idololatriæ triumphare, nec Regis amor in odium facilis sinebat nos longius quàm præfenti diei confidere. Ædes ergo legebant ciuium sibi contiguas quinque aut sex, quæ parietibus medijs arundinea texturæ facile solutis, capaces fidelium cœtibus, nouem locis in vrbe præbebant aulas, vbi Christiano perfuncti officio cum abissent, sua ædibus interior species, & distinctio reddebatur. Aduersarij templum in quod sæuirent non habebant; Christianorum ingentem numerum Rex minimè cernebat quem suspicari posset à Patribus in regni perniciem conflatum.

Iam quæ nostris esset in ea Metropoli viuendi ratio, P. Morellius, gestorum memoria celebris, in hunc modum Vitellescho descripsit, anno postquam eò aduenisset. [Ad laborem, ait, quod attinet; quietis nomen diu noctuque ignoramus; sacris operati, preces de more cum Christianis decantamus; audimus confitentes; elucidamus eorum dubitationes; ethnicos erudimus; paratos baptismo tingimus, sacri demum officij pensum nisi ad lucernam non soluimus, detracto ad hoc nocturnæ quieti tempore. Inde per lutosa, & longinqua nudis pedibus huc illuc discurremus, ad religiosam operam Christianis vbique præstandam, stationem hanc quidem per altum ceroma prope curum tenuis ingressus sum, bonum & gratum omen perpeffionum futurarum. Domos hic ligneas nemo præter diuites habitat; nos tuguriola contexta ex paleis; sarcinulas nostras sub cauata humo recondimus (quod omnes itidem faciunt) vt sint ab incendiis securæ quibus creberrimis obnoxia est omnis harum domorum materiatio; nunquam nisi humi sedemus, & si quando commodiùs, subiecta in storea. Somnum in vestibus capio, substrata exili culcitra, cuius reuoluta pars regit dormientem: panem nescimus præterquam ægroti, & quidem buccellatum, qui cum annua naui Macao mittitur, & subinde seruatus diutiùs vanescit in puluerem. Mensarum nostrarum lautitiæ omnes elixa & parca oriza, ne salis quidem tantillo condita. Potus, decoctum ex oriza vinum tam igniti feruoris, vt eius etiam modicum, & aqua dilutum plurima, caput pessimè vaporet, & guttur incendat. Cibi horam nec mos, nec reficiendi præscribit necessitas, sed commoditas eorum quibus laboramus.] Addit Manuel Diaz visitator acubuisse interdum ita fractos vt quiescere magis luberet quàm edere. Nam concionatos in die sexies, haud multo quidem præmissio studio, sed contentione vehementi, ad Christianos, Catechumenos, Ethnicos, Externos, prout visum quibusque conuenire, qui etsi libenter

113.
 PP. viuendi
 ratio in
 Tunch.

114.
P. Regij vita
& mors.

audirent Catechistas, plus multò Patribus deferebant. Hanc inter tam pressas, & graues occupationes ærumnosam vitæ rationem, mirum non est fuisse diurnis confictatam morbis, quibus tamen consueta carissimis filiis, animorum auxilia minimè subtrahebant. Primus succubuit ponderi, P. Bernardinus Regius Alexandria in Italia natus, qui Apostolici Ministri de se spondebat perfectum exemplar, & omni ex parte absolutum. Expeditionem Iaponicam annos duodecim prelatam denique sortitus ex Prouincia Veneta Vlyssiponem profectus fuerat, eodemque dùm oras Africae Indiam versus iam nauigat, fera tempestate reiectus est. Proximum igitur in annum dilatus, repetito cursu Goam applicuit; crebris, in eo quoque itinere, præsentibusque naufragiis vultu semper sereno, & tranquillo animo vitatis, quod non est nisi magnarum mentium. Goæ; Iaponici sermonis initiatum rudimentis, Malacam primis Etesis assimilatus in militem soluit, inde Macaum perrecturus; sed hanc mutandæ personæ artem Iapotyranus eluserat, pœna viuicomburij nauarchis posita, si quem Euangelij præconem, quocumque modo in regnum intulissent, quare ipsis prope in Iaponum portis sacros Dei nutus adorauit, quibus capessendis milliarium octodecim millia emensum se prosperè credidit quanquam vela retro vertere cogeretur; præcluso enim ad Iapones ingressu, in Tunchinum est missus. Sed mortem pro Christo obeundam cuius ambitu Iapones apperebat, enixè roganti mutauit Deus in acerbissimos dolores, quos vt primum sensit, Patri Amaralio indicauit, clementer sibi fuisse concessos, erudo lateris abscessu per mensem cruciatus, præfocatus est tandem maturato pure, dolores interea vehementissimos ne gemitu quidem laxans, sed perpetua pro illis gratiarum ad Deum actione: fuit corporis sui hostis acerrimus, & implacabilis; in alios mitis, & miræ amabilitatis. Religiosæ paupertatis tam ardens amulus, nihil vt admitteret quo posset vita incolumi catere; veste nunquam noua indotus est; vetustæ suæ deritæ, & laceræ plagas manu sua & acu ipsemet emendabat, nec is sui contemptus obiciebat illum aliorum contemptui; venerabantur Mandarini, & aulæ Principes virtutem eius eximiam in vili panno; in accessu & consuetudine modestiam, & suauitatem adamabant, nullum erat domi ministerium adeò abiectum quod non inuaderet; animi tamen celsitate sic rebus omnibus eminebat, vt inter biennij ærumnas maiorem in modum sua hilaritate socios recrearet. Accersebatur ab Rege sæpiùs, & audiebarur cupidè de Deo, rebûsque animi æternis, atque adeò de morte, licet eius nomen sibi ominosum, & intolerandum Tunchineses non efferant nisi lenioribus verbis circumscriptum. Mortem enim docebat germen esse immortalitatis, & aditum ad felicitatem, dùm tamen adesset morti comes, vita Christianè, fideliterque acta, fore alioqui temporariam mortem, atrox præludium sempiternæ. Luxere Regium Christiani vt Patrem, & Magistrum, nec dubitarunt in cælo beatum visere, sed gratum animum significaturi

tuti toto quisque regno, Rosarij recitatione quietem eius certius procuravit; quod erga homines de Societate exinde ab iis observatur: annos natus vnde quadraginta, Maij vigesimo quarto decedens Regius successorem accepit, in cura Ecclesiæ Checienfis Antonium Fontes, in Provincia Tignoæ tam læto proventu occupatum, vt inde hoc anno manipulum tulit ethnicorum bis mille, quadraginta vnus supra quadringentos; Maiorica vero in Engheana Provincia præter illos quos censui fuisse ab eo baptismo lustratos, ædes sacras erexit septem, & viginti: cumque varias excogitaret artes quibus suorum foueret pietatem, nulla ipsi tam bellè & tanto compendio cessit vt editio dramatum quæ gesta sanctorum, & mortes generosas representabat in theatro. Alexij, Eustachij, & similibus quibus miseræ gentis corroborabatur debilitas crebris ob Christum vexationibus ethnicorum exposita. Ad hæc liberos suos iam inde à puero cum in syluis procul pascendis bubalis occuparent (quo nullum habent armentum vtilius) ne ipsi paulatim, bonam anni partem, Christiana cultura destituti, semibubali fierent, prouidit hoc modo Maiorica; puerorum turmas cum suis è pagis ad hoc mitterentur, audiuit in primis confitentes, inde illis doctrinæ pietatisque sacræ elementa inculcauit, tum vnum ex ipsis suæ cuique præfecit cæteræ, cui obtemperarent cæteri, qui eos quotidie congregaret, precesque cum iis & diuina præcepta decantaret. Hinc rudis fides paruorum armentationum, quam prope antea debebat obliuio, excitabatur assiduitate illius reperendæ, alebaturque vsu pietatis. Sicubi autem Christianos (quod in Neophyta, egena, & numerosa rusticitate pronumerat) vel ignorantia, vel arrogancia sciendi, in fraudem induceret, accurrebat eò Maiorica, vt germen virulentum prius reuelleret, quam in exempli perniciem serperet latius; sin minus, pro se mittebat literas, in vicinis, quoque legendas pagis, quibus explicabat quid conscientia integra, & religione fieri liceret; aut esset damnandum. Occupatissimam interdum linguam, stylo noctu adiuuit, quem illi Deus pro quiete visus est copiosissimum dedisse: annis duobus tricesimo quarto, & sequenti tractatus quamplurimos, Annamitico sermone composuit. De præcipuis Christianismi dogmatis, & velut cardinibus: de Christo patiente; robore fidei ab eius hostibus impugnatæ; matrimonio & vsuris; confessione sacra, communionem, & sacrificio diuino; de vitæ Deiparæ Virginis, & Antonij, Hieronymi, & Patriarchæ nostri Ignatij; contemplationes item de variis argumentis de gloria maximè, & felicitate beatorum; aliâque non pauca, magno in populis fidei, & pietatis incremento.

Sed in tanti viri præclarè gestis non faciliè dictu est plusuè deliciarum cœlestium hauserit ex tot animarum quas Deo asseruit salute; quam molestiarum & angoris ex assiduo vitæ discrimine, & perpetuis ærumnis; narrat illas densè ac breuiter Checium ad socios scribens, post lustratam hoc anno trigesimo quinto, pro solenni suo Prouinciam

115.
Editio dramatum vtiliss. inter eth.

116.
P Maioricæ virtutes extimia.

Engheanam; notansque suos multiplices casus, nec raro contrarios, hic se ait baptismo iniussisse quamplurimos; illic initiatos amisisse, & desertione timida, & ignava lapsos reuisentem se tantumnon expulisse. Fortiter alios in fide perstitisse, suaque ad sanguinem pro Christo fundendum uobili comparatione, mœrorem consolatos quem ex ruina lapsorum ceperat non consolabilem, Deum locis quibusdam ethnicos prodigiorum argumento ineluctabili domuisse, suoque nomini mancipasse; alibi Thanos (qui sunt penates Romanorum) aut falso rumore, aut verò spectabiles doluisse quod uoluntario exilio cogerentur Maioricæ aduentum, & eiectionem suam prauertere; ob hæc illos in pagos cum pedem inferret memorat se à furente populo fugatum; pagos alicubi fuga vacuos ne fascinantur suis carminibus, & metu quidem tam anxio ut ripam fluuij signarent in qua ipse manus abluerat, uelut incantatam, ne quis deinceps in ea lauans transformaretur in alium; sæpè se maleficij accusatum, sæpè ductum ad tribunalia ad edendam sui rationem, sæpè nece à magis appetitum (quibus nullus est in Tunchino fidei sacræ hostis damnosior) horum contextum euentuum fat habens cum illo indicasse, ne siam barbarie nominum molestus, paucos eius lingua Italica, sed latinè narrabo, qua scribens ad socios idcirco abstinuit quòd eam non intelligerent. Dauscia, inquit, ex pago, Baden perueneram, tumultuario aggere, & sylua clausum, tigribus maximè infesta; audendum fuit nihilo segniùs, ne qui erant illic haud paruo numero Christiani, necessario diutius carerent auxilio. Recreati sunt maiorem in modum adpectu nostro, et si alioqui, recens in suorum comitio afflicti, & exiguo illo quod habebant in bonis multati ob causam fidei Christianæ; ex iis cum rescissem Catechistam Hieronymum viginti circiter baptizasse, in pago inuentu difficili; quarendum omnino statum, meque pedes itineri dedi per syluas, & inuia, ubi passim nobis uestigia tigrum & prædarum reliquæ quas uenati fuerant occurrebant; inter eundem, monstrabant socij ubi (quos censebant nominatim) alium laceraissent, alium deuorassent, solùmque adhuc eorum ossibus instratum, Deo tamen confisi, cuius imperio mitescunt feræ incolumes ante solis occasum pagum attingimus, in quo sumus experti feras quæ nobis in sylua pepercerant. Moneo Christianos per vnum è Socijs me adesse; respondent, se ab Rectoribus populi graui affectos modestia ob Christianismum quem professi erant; rogat socius uel in crastinum tantum, fessos lecto iuari, nos albente cælo abitururos; cui non esset timor, grati animi decore, & charitate potior inuentus nemo est; nocturno itinere uiam reteximus ieiuni, cum nec pretio, nec prece, orizæ granum potuissemus à quoquam expungere. Cineribus cum Rumi essem Christianos mille signaui pœnitentiæ cinere, lustratisque baptismo triginta ethnicis, eo ipso die Hennum profectus sum ex quo multi fidelium uengæ obuiam. Confessione sacra omnes expiaui; Eucharistia firmiores; baptismo impertij quinquaginta;

quaginta, in quibus Hieronymum quendam ordine Literatum, futurum fortassis aliquando columem illius Christianitatis. Dum inde excurrrens, noctem non amplius illic egi quod expectarer à Duitlonensibus ut me suum in pagum deducerent quo me frigidissimis & ventis, & imbribus, & viarum abruptis contuli magno labore, nec dispari merito, delectavit me singulariter eorum pietas, & nuper ab iis erecta ædes sacra; obij domesticam familias, singulis monita, baptismum aliquibus dedi, omnibus consolationem & animi robur quod à me expectabant. Sed hic Dei hostes in globum coire; vociferari me pagum circumire ad extrudendos ex ea Thanos (familiares Deos) Christianis vim, & templo minari; quod etsi perinde non sunt ausi, Vincentium tamen caput illius Christianitatis, & templi fundatorem Christi odio trucidarunt, vna tunc ipse Deo gratissima pro omnibus victima litavit. Post hæc in oppidum Chemainh cum transissem meo aduentu gestientes & gratulabundos habui Christianos, sed mox incanrorum turba illos exterruit, percursantium oppidum, & tumultuantium Deos Thanos discessum parare ob receptum hospitio Magistrum legis sibi prorsus aduersæ, & exosæ, hinc sibi magnoperè timere Christiani ne accusarentur apud Mandarinam Gubernatricem eius; Ergo, inquit Maiorica, præoccupemus probare illi nostram causam, id enim ex Matthia velle ipsam cognoui, (erat is illic Christianorum caput) optassèque non semel nostris de rebus dicentem audire. Placuit consilium omnibus; parantur dona Mandarinæ eiusque filio. At ipsa longè ab iis quæ senserat & expetierat aliena, non modo affatum & accessum petentibus negavit; sed parum absuit quin nos palatio sustibus exturbaret; occurrit confestim ab ea satelles ore truculentus, iubet itemus in rem malam, dominæ inuisos nos esse, nostraque pariter; à nobis nec verba velle nec munera. Incerti ergo & anxij quose frangeret hic fluctus discedimus. Postero die sacris operatus, & accelerato paucorum baptismo, video armatos cateruatim subire in templum maleficos. Matthiam inuadunt, qui se iis alacer renendum, & ligandum præbet, reus videlicet inducti in oppidum Magistri, legem Dei docentis; mihi discessum quamprimum à Domina imperant; media post hora, maiori numero redeunt, ut Antonium caperent feruentis ingenij concionatorem, & Ignatium Catechistam meum, cui tamen utrumque laxarent, ea lege ut nisi quam citissimè abirem, scirem me mari ab ipsis demergendum. Deum, aiebant, haud scimus cuiusmodi, terrarum, & cœli dominum prædicatis, ignotum atque inauditum, Deum alium nec scimus nec colimus, præterquam Ba Ciua, fuisse hanc tradunt quondam adulteram, ob id à Rege Sinarum iussam interfici, mortuæ cadaver cortice inclusum, fluctibusque commissum in Tunchini littore hæsisse, inde habitam pro Dea, & oceani domina à vicinis Trapensi portui, & imminentibus illi mari pagis adoratam. Coactum abscedere mœsti me ad littus comitabantur Christiani, dolentes maximè
indictam

117.
Generositas
duorum
Christ.

indictam mihi tam barbaram & præcipitem fugam, vix ut licuisset, mediæ eorum partem de peccatis audire. Inter hæc Matthias ut erat in vinculis pergebat annuntiare Christi legem, & ignominia illatæ patientia hilari, & amore, palam ethnicis facere cuiusmodi esset lex quam profitebatur, quoad tandem lictores, audire illum diutius tædedit, sustinuitque dicentem abrupte; quibus excipiendis Antonius qui vincus adhuc tenebatur se medium iniecit, & hunc caditis ait, quod Christianus sit? sum & ego pariter Christianus, si plagas quas ei infligitis (quod rogo plurimum) non lubet in me omnes conuertere, parte me saltem quæ mihi debetur, nolite frustrari. Non fuit hic opus verbosis precibus, vnus Ministrorum detractam, quam ut mos Christianorum est gerebat in manica crucem multis, & durissimis ictibus in os, vultum, & pectus impingit, gemente multum Antonio, salutis instrumentum dedecorari tam indigno vsu. His Mandarinæ filius cum superuenisset, ex Antonio quæsiuit, quod suum ob scelus tam malè haberetur? ego Dei amore, inquit, eiusque legis sanctissimæ benè ac bellè quæ Dei est gratia habeor; quod sarcasmo exceptum ab idololatra, magno ardore suadere Antonius institit, illudque Christi fusius enarrate, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Verso dehinc ad astantes sermone in cælorum Regnum, & ineffabilem Dei præstantiam se latius efferre, quibus teneriter affecta quæ aderant honorariæ aliquot ex palatio puellæ, libertatem illi & socio à Mandarinæ impetrarunt, & multa commendatione probitatem illorum apud ipsam laudarunt; voluit tamen admonitos in posterum saperent; emendaréntque præterita; quibus illic, vtramuis in partem quicquid accideret parati, respondent intrepidè, malorum esse emendationem non rectè factorum. Quale certò esset quod verabat, diuinæ legis præconium; quam cum essent amplexi, eius necessitate perspicuè cognita, non posse illam absque piaculo alios eclare; lictores parum responsis attentis ambos soluunt, *gaudentes quoniam digni habiti essent pro Iesu nomine contumeliam pati.* Huc vsque Maiorica, cuius in Engheana Prouincia, quinquennis, & vagæ expeditionis fuit idem tenor alternantium malorum & bonorum; consolationis & doloris inuicta semper animi firmitate, & constanti laborum perseverantia. Sed enim Septembri huius anni consternatus est immani spectaculo; mare fines egressum eluione improuisa pagos obruit adiacentes, ædes sacras, multosque Neophytos, quos excepit post paulum à Rege furioso terribilior tempestas; edictum infame octaua luna hoc est mense Septembri promulgatum, quo Christianos colluuiem hominum vilem, flagitiosam, nullius pretij & famæ nominabat; vetabat quenquam ad eorum sectam accedere; Catechistis exilium ab aula indicebat; iubebat ab regionalibus Præfectis inuestigari Christianos, nisi professione abiurata patrios cultus repeterent, capi, vinciri, tribunalibus sisti puniendos. Procellæ huius incitator ventus, flatus pessimæ Regis concubinæ. Annonæ angustias,

116.
Edictum
Reg. Tüch.
in Christ in-
fame

angustias, aliquot mensium induxerat siccitas, & famem sementis minabatur, ad extorquendam pluuiam decretum publicè nomen Buz mutare Tunchini scilicet Regi legitimo, qua mutatione vniuersam credunt mutari naturam, nec esse aliud in metu cladum publicarum remedium certius. Addebant huic Bonzij solennia supplicationum, & detracta suis altaribus simulachra cum circumtulissent, nunc vnum, cras alterum sub dio relinquebant, vt eorum aspectu iratum cœlum placaretur. Ex iis vnum graui auro factum notauit furcifer, nactusque malè custoditum, admolitus est Deo suo manus, & ventrem illius, cultorum simplicium vt mos est ditatum liberalitate affatim vacauit. Reus sacrilegij eiusdem ethnicus iis ipsis diebus damnatus fuerat, huius tamen crimen nullo examine, nullis in iurijs in Christianos idcirco coniectum est quòd aduersarentur cultui idolorum; deferuntur à Bonziis ad sceleratam meretricè; ab hac ad Regem cum femineis querelis, & lamentis; causa iudicata Rex, & intacta belluinam vomit præcipit atque sententiam, quæ solenni mox aduersus Christum, & eius cultores edictione sancitur. Patres debilium lapsibus occursum defensionem Veri, & famæ Christianæ solidam in lucem mittunt; altera in modum epistolæ fideles hortantur vt Regis odio, & crudelitate Ministrorum in rem suam prudenter ad meriti cumulum vterentur, qua sanè adhortatione, ab aula semoti potissimum egebant, vt magno suo cum dolore sensit P. Maiorica in Prouincia Engheana. Vbiq; tamen fuere ingenti animo non pauci; plures ignaui, & inerti, quod ferè vsu venit in his aduersus Ecclesiam procellis. Atque hinc nostris integratus labor ad reconciliandos Deo lapsos.

Verum enim vero dum passim Ministri sæuiunt in Prouincia Engheana, & Tignoa in Christianos, & ædes sacras, impietatem Regi suam, eiusque idolis rependit Deus grandi cum fœnore. Chesium regni sedes, nocte vna quæ Februarij sequentis duodecimesimum præcessit, incendio periit, haudquaquam fortuito, sed ab hoste Rege Cocincina, paucorum periculo emissariorum, iniecto, vt hostem qui cum bellum gerebat, potentissimæ ciuitatis, & opulentissimæ præsidio nudaret; ex ea enim paucis horis præter fumum, & cinerem nihil superfuit. Arsit numerus elephantorum ingens, & multa equorum millia qui per inuolutum flammis grassantibus populum furentes, inferorum speciem ignium, & pœnarum horrendo spectaculo exhibebant. Palatium cum gaza regia; cum idolis templa; cum cœnobijs Bonzij paucis exceptis consumpti sunt. Extincto vix igne purgatur solam, noua Chesium designatur, surgitque breuissimo tempore deletæ similis; materia scilicet vt in ruinam sic in fabricam facili. Rex ea mollitus regis vrbs clade, longèque nunc erga nos diuersus, solum nobis construendo templo, & domui offert, & stationibus duabus multum inter se distantibus, vastam illam urbem Societas sub anni finem obtinuit, quo P. Antonius Barbosa, & Felix Morellius ad eam appulerunt, cœterum hic annus.

P.P.p.p.

119.
Rex Tunchi.
in Christ.
æquior.

exacto similis, hoc vnum dissimile suggerit, quod interturbatae edicto Regio, incendio Checij & fame, conuersiones ethnicorum, vltra numerum centum, & viginti vnus supra septem millia non iere. Sed anno proximè consequenti 1637. nouem millia quingenti quinquaginta quatuor loti sunt sacro fonte, plures decem millibus futuri nisi excursionem Barbosæ frugiferam interceptisset latronum globus, quæ pestis illius regni est tam late sparsa, crebra, & immanis, vt si paulum modo ab habitatis recesseris aduolent, peiusque ferro quam tigres vnguibus sæuiant, saltem minus timendæ, quod extra suas syluas nisi fame adactæ non erumpant. Deprehensum Barbosam paratu spolians quem secum ferebat ad sacrificandum; munusculis sacris quæ magna copia collegerat ad excitandam Neophytorum pietatem, vestibus denique nudatum omni contumelia deturpant, vt fuit barbam ei amburere; pro crucifixi effigie, quam sibi rogabat ab iis dono reddi, fustibus onerare. Mone te demum meminisset vitam sibi singulari beneficio relinquere salutem; collectum hospitio Christiani, & quocumque subsidio licuit, iuenerunt. Maiorica item, Fontes, & Morellius, (quibus Neophytorum quos censui debetur pars maxima) vitæ sæpè discrimen adierunt, quod eo in regno cum Apostolica opera ferè coniunctum est. Sed periculum metus perpetuos, & aspera omnia obruebat torrens sanctorum voluptatum cum admirabilitas operum quibus abhibebantur diuinitus, mutationibus cordium illos reficeret, tam pronis, & subitis, vt hodie ethnicum, & dæmoniorum triste mancipium, viderent cras optimum Christianum, vno quidem in pago, ex centum & decem quos Christo pepererunt, magiam, & artes maleficas profitebantur septem, & viginti, (quo genere nullum Christo sceleratius inimicum.) omnes ante baptismum, scripta, characteres, libros cæterumque diabolicae fraudis instrumentum, suo quisque aceruo collectum, igni palam cremarunt, maiori prorsus miraculo, si non erro, quam curationum, quarum tamen tantam Neophytorum fides emerebatur crebritatem, vt iis referendis, integra historia opus sit. Accedebat his latens Christianorum virtus, quæ occasionibus prodebat sese. Mulier pecuniæ damnata, cui soluendæ non erat, vt sineretur viuere Christiana, vendere se ipsam voluit, vt pretio temporariæ libertatis, æternam retineret. Donarunt iudices præstanti sceminae indictam pecuniam, pudicitque illos tam claræ Amazoni Christianismum nundinari: quàm dissimilis ab hac celsitate, vilis & inhumanus pater, cui iuridicè indultum optione filium arctare, vel redeundi ad idola, vel renuntiandi paternis & bonis & spebus; non est cunctatus in hoc ancipiti filius, amplexus brachio infantem filiolum, grandiusculum manu trahens vxore præuia, crudelem patrem cum patrimonio, & latus deserit barbaros, vna prouidentia diuinæ cura de recto in futurum, victuque confusus. Gemina huic alterius iuuenis, sed alterius argumenti virtus. Sollicitatus diu ab impurissima femina, tandemque vi etiam non semel tentatus, explicuit

120.
Christiano-
rum Tunch.
virtutes
egregiæ.

explicuit se animose ex illius Harpyæ vnguibus, fugaque se in hortum
 proripuit, vbi quod supererat noctis, orando transegit, rogans vel ab
 se monstrum hoc amoveri, vel continuari sibi eundem ab eo horrorem:
 singularis est Christianis Tunchinensibus hic pudor, summoque ethni-
 cis stupori, quos prope à puero fœdæ exugunt libidines, in Christia-
 nis aqua sacri fontis extingui videntur, & emori. Præter hos, trium
 excelluit robur in defensione fidei Christo Regi iurata. Alexius quidam
 à Ministris vnus è secundariis Reginis, omnibus exutus, & iugo dies
 tredecim adstrictus, beatitate illa tolerantia pro Christo suæ deprædi-
 canda gestiebat, ob quam ei adstantes indolebant, sed eius mercedem,
 & præmia sic illis & persuasit, & ex viuo descripsit, vt miseratio cederet
 æmulationi, vnusque lictorum se illi discipulum daret in Christi
 doctrina, & in cruciatibus socium. Antonius popularium suorum in
 Christianismo dux, à fidei hostibus tutus, sublime iactatus in aëra, vt
 collideretur casibus iteratis, interrogatusque ab impiis, ecquid sibi
 placerent ij saltus tam agiles? perplacere respondit, nunquam se in vi-
 ta egisse tam alacrem. Michaëlem dæmones, pagi sui penates signifi-
 carunt incantatoribus causam esse pestis quam in bubalos, & porcos
 immiserant; vindictam hanc esse, permitti tranquillè degere in eo
 pago Christiani. Quibus populus in furorem actus domum eius expul-
 sit, vexat miserè afflictatque infontem, ille cancellatis in crucem bra-
 chiis, illatas sibi pro Christo iniurias gratulatus earum auctorem ado-
 rat Deum. In his tamen aliisque permulcis, qui suæ virtutis insignie
 periculum variis in rebus præbuerunt, eminet femina in quam Morel-
 lius fortuito incidit. Excurrerat is ab aula procul in Prouinciam ad or-
 tum, per inuia, præcipitia, abrupta; insulibus tigrum adeo formi-
 dabilia vt esset perpetuo promptis in eas, & obuertiis armis inceden-
 dum. Post iter diei miris calamitosum modis, & cruciabile, succede-
 bat cum comitibus in tugurium ex caricibus, & ramis; famem, & las-
 situdinem leuabat buccellatus panis aqua maceratus, quod vtrumque
 ab iis ferri humeris oportebat tanta erat regionis inhospitæ inopia. Non
 est traditum quanto sigillatim Morellius animarum compendio hæc lo-
 ca obierit, sed ex communibus operis illius, & Antonij Fontes aibi
 fatagentis, baptizatorum tria millia septingenti Christo redière. Cre-
 scente non multo post ad easdem arumnas animo, dum Cheburn inter,
 & Nonchen pagos iter facit, audit de femina Christiana, quæ morti
 proxima dicebatur in sylua iacere, siue illic eam destitissent vires;
 seu mos barbarus illuc abiecisset ne intra suorum moreretur domum:
 inuestigatam, intra septem spinarum & sub dio inuenit annorum qua-
 tuordecim puellam cadaveri similem, verminosam iam, & semiputridam,
 cum intolerandæ graueolentiæ fœtore, quod se nullam in partem præ-
 debilitate, & acerbitate dolorum valeret conuertere. Patris tamen as-
 pectu recreari mirificè visa est; Pater eius horrore percussus, affedit
 nihilominus, & ante omnia audiuit confitentem. Tum percontatus est

ex ea, ecquid illi sanitas in voto esset? hanc ait, haudquaquam desidero, sed de me fieri quicquid Deo maxime visum sit; sanari, mori, iacendo, ut sum, diutius cruciari; tantum quin imo consolationis ex valetudine, mihi non videor haustura, quantum ex his meis duco miseris, dum meo domino crucifixo; tanto similiorem me cogito, quanto acerbis crucior. Quibus dictis vbertim, & diu flens, nondum tamen sat Patri perspicuum fecit, has lacrimas virtus, an sui nativa commiseratio mitteret. Consolari ergo illam Pater, dolorum breuitate, æternitate præmiorum, & mercede supra modum laboris immensa; sed illa non sunt istæ inquit, Pateri mœroris, sed gaudij lachrimæ, iterum dico, tanto similiorem Christo esse, quanto pro illo perpetiare grauiora, quæ potest animo sentiri potentior consolatio, vel excogitari? miratus Pater in barbara virgine Philosophiam sanctorum Ascetarum, confirmauit illam patientia Liduinæ, & quæ tunc menti succurrerunt exemplis fortibus feminarum; nec iuuare illam subsidio alio potuit, cum ea loco vbi iacuerat moueri absque vitæ periculo non posset. Atque hæc de multis Tunchinensium gestis insignibus pauca, in reliquorum inditium dicta sunt; idemque mox de Sinis fiat ad quos cum anno 1638. redeo, si prius nomen exsoluero quod annis retro aliquot sum professus, de postrema Calendarij Sinensis instaurati, ab-
 solutione quæ in hunc denique annum exit.

111.
 Calendarij
 Sin. emenda-
 tio absolu-
 ta.

Huic Regis mandato instabant P. Scial, & P. Iacobus Rhó nec erat triuialium hominum id opus, cui non illud modo incumberebat onus, ut Sinenses Astrologos ab Europæis dissidentes inter se confertrent, saluisque illorum regulis, eorum exerrationes, ex Europæorum canone emendarent; sed erat euidentis earum exerrationum, & nostræ emendationis edenda ratio, & Mathematicis Collegij Regij, Mandarinis eisdem Præfectis, & demum omnibus Regni totius probanda Literatis. Ad hoc erant pandenda quibus omnis Astronomia nititur fundamenta, ut scientissimè ex iis monstraretur, & Astrologis constaret euidenter, practicum veritas operationum. Nam dictum aliàs fuisse ab aliquot sæculis Calendarium Sinarum abacum, Maurorum opera multis erroribus purgatum, & totam eius rationem volumine duplici comprehensam, altero Theoreticem; vsum altero artemque complexo, lingua utroque Arabica. Sed enim Sinenses neglecta contemplatione seu Theoreticæ, arte sola vsuque contenti volumen quo continebatur Sinarum idiomate donatum in scholam induxerunt ad hoc institutum; suos inde formarunt Astrologos quorum omnis in eo peritia versabatur, ut ex eius voluminis calculo motus, stationes, & defectiones maiorum luminum scite computarent, rectè an secus, omninò ignari, quod principia nescirent & causas quibus sic, & non aliter compellerentur numerare, & quod consequens erat, non possent in viam redire, quantum euidentissimè errassent. Eam ob rem Patres statuerunt, totius seriem operis, sibi esse ab suo capite primisque principiis resumendam, deducen

deducendamque per omnes Matheseos partes, quæ possent aliquid conferre ad integram Astronomiæ perfectæ absolutionem: de quo audiendus est P. Scial Pechino scribens anno 1652. cum iam & illa vrbs, & regnum prope vniuersum in Tartari esset potestate [Regis, inquit defuncti, iussu, in reformando Calendario abaco Sinensi annos posuimus quindecim diligentissimæ, & laboriosissimæ operæ; nec raro contigit, iungi à nobis cum diebus noctes, ad scribendos, quos exhiberemus Regi libros, & interualla signanda, morusque stellarum ratos, ex quibus noster constabiliretur, & certò liqueret algorismus, essetque in posterum ab errandi periculo securus. Nec defuere potentes aulici qui tanti honorem muneris, & Regis beneuolentiam externis hominibus inuiderent, & pro nostris competitoribus, auctoritate, & largitione satagerent. Strenuitate laboris, & patientia vicimus, ne dicam soliditate scientiæ, sæpius etiam Rege coram tentata, clarèque perspecta: centum præterea voluminibus in lucem editis, quibus Astronomiæ totius complexi sumus non modo rationem, sed arithmetices, & Geometriæ cæterorumque de Mathematicæ corpore membrorum, quæ ad operis nostri perfectam conformationem facere videbantur] hæc Scial, at libros multo plures editis scripsere, & iam inde ab anno 1634. septem supra centum triginta paratos habebant, & aliquot insuper sub stylo. Ex typis recentes idoneo numero Regi exhibebant, qui magno ingenio cum esset, excipiebat illos singularibus beneuolentiæ argumentis, hortabatúrque ad pergendum constanter, Rescriptis ad eos tam honorificis, vt (lege ac more) vniuerso vulgata, & cantata regno, incredibilem nostris apud Mandarinis Prouinciarum Rectores conciliarent fidem, auctoritatem, latúmque Euangelio seminando, & liberum vndequaue campum. Libellis porò nostrorum supplicibus, & rescriptis ad eos Regiis haudquaquam deinceps nominabantur, *Patres magni Occidentis, sed Iesu Hoci*, hoc est Societatis Iesu, illic tandem pro Instituto habitæ, & à Mandarinis etiam vulgatæ, quod esset publico deuorum bono, & gratuito labore, vitæque adeò quibusuis periculis artem probè viuendi traderet, & sciendi. Emuli verò quos Scial indicat, Colao Paulo superstite, hîscere non sunt ausi; defuncto, quidam se protulit doctrinarum omnium se iactans nomine, præsertim Astronomiæ Sinensis. Hanc ad nostros si posset deprimendos, suus egit tum arrogans genius, tum Mandarinorum præpotens gratia, tum quod erat timendum, consensus Eunuchorum quos omnes pudebat Sinas orbis Magistros, barbarorum duorum discipulos fieri, & ab iis errantes corrigi; parum memores, ab suis maioribus, minus inuidiosus, & magis doctis fuisse magisteria Maurorum in Astronomicis accita. Obtinuere nihilominus conspirantibus libellis, Rescriptum Regium, quo Academia altera institueretur, in qua competitoris Astrologi, & noster examinaretur Mathematicus Canon ad obrusam exactæ rationis, & experientiæ; quem ea styli seuera, & manifesta

periclitatio probasset, victor, & verus censeretur. Hinc Academia in vrbe duæ, nostra ad Occidentem sita; secunda ortum versus; quæ suo illi iactabundo auctori posthuma, Rectorem Vicarium accepit Chiugin quendam secundi Ordinis Literatum. Duæ inter hæc obtinunt luminarium Principum eclipses; & pauenda Sinis coniunctio aliorum duorum Planetarum, ex qua solet horrendos exitus Astronomica Sinarum vaticinatio expectare. Hanc Patres, qui soli aduerterant Regi indicant, adscripta eius figuratione, & calculo temporis. Defectiones solis, & Lunæ ipsomet à Rege minutissimè obseruatæ, prædictioni Patrum ad amissum, momentaque omnia responderant, prædictiones nouorum Academicorum magno interuallo fecerunt. Hinc Regis æquissimum ytrinque iudicium, cum insigni nostrorum commendatione, & contemptu aduersariorum; qui, vt vsus est Sinarum, iuris & rationum penuria in calumnias acti, supplicibus ad Regem literis in Doctorem Petrum, accusare ab eo religionem veterem abiectam; superstitionem Patrum adamatam; proscriptos à Patribus semideorum Regum cultus, antiquos ritus pessundatos, vnus Dei sui adoratione omnibus substituta; exilia demum recoquere, ac repetere quæ auis eius Vanliè iis indixisset. Rex mirè consultus & sapiens Rescriptum paulisper cum sustinisset; respondit admonens, iis attendere quæ sui erant in Regis obsequio muneris; ritus omitterent, nec desisterent ab Astronomicis ad religiones; vbi ingenio certaretur ad indagacionem Veri certam; extra rem esse criminationes; viderique professionem causæ malæ, conatumque violenter auferendi quod iure, ac merito non possis. Ex eius Rescripti sententia pronuntiauit Rituum tribunal, accusationes aduersus Patres nec esse admittendas; quod præter vindictam nihil spirarent; nec audieudas, quod in iis non ratio, sed perturbatio loqueretur. Adiecit huic tribunalis decreto Rex pœnam, qua nulla grauius inuidiosos distorquet & lacerat, fuitque affectus erga nos extraordinaria prorsus & varia significatio, quæ toto mox regno denuntiabatur: oblata enim à Patribus dona, machinamenta ferè ingenij, benigno inspectabat, & accipiebat vultu, ocularem tubum, horologium rotatum molitionis peregrinæ, planisphæria duo, & istiusmodi matheleos organa, à quibus otiosè spectandis, & curiosius tractandis anelli vix posse videbatur, Colais quin etiam summæ gratiæ loco spectanda concedebat, & familiarissimis Eunuchorum globum præ cæteris æneum pedum ambitu ferè duodecim, ad quamlibet supra orizontem, graduum eleuationem, in meridiano suo versatilem. Omnes in eo suis locis stellæ, suaque magnitudine discretæ splendebant, cum obliquo solis, per signa duodecim nostra, siue illorum duoderriginta quibus suum distingunt Zodiacum, forè ob totidem quas Lunæ attribuunt mansiones. Aureis steterat ob excellentiam operis quadringentis, pluris quinquies, hic futurus. Sed eos abundè Rex Patribus refudit. Quanti verò donum id fecerit, quantumque sit.

eo delectatus, testificatione constare voluit, quam per se sanè, & apud nos leuem; Sinæ præ quouis meriti præmio experunt, & adorant. Iussit Patres solenni comitatu, in aulas palatij intimas donum suum portare. Imus ergo, ait Iacobus Rhò, ego & P. Scial, cum Doctore Petro, & Academiæ nostræ Mandarinis, splendida in veste, suorum cuiusque graduum discreta insignibus, & per magnificas vastissimæ Regiæ aulas, & exedras in aulam denique subitum penetralem, in qua solet Rex animum laxare, tam sacram atque illibaram, ut fas sit nemini pedem eò inferre, ne intimo quidem Eunuchorum, nisi ab Rege accersatur; quod nihilominus externis indultum, cuiusmodi eramus, attributum est gratiæ, nulli fortè mortalium ab æuo concessæ. Surgebat media ex aula thronus, altitudine cubitorum quinque, suis nixus gradibus, & cancellis clathratus. Summum eius aut lectus, aut lecto quid simile obtinebat, pulvinis grandibus ad sedendi usum instratus, spondæ laterum fulcris munita pretiosis, & nobilis machinæ moles omnis auro radiabat, artisque eximie cælaturis spectantium tenebat oculos; minor alius è plano extabat, nullius ad speciem maiestatis, sed ex calamba, & aquila lignorum pretiosissimis, simplici opere, ac velut topiario contextus; in huius sede globum posuimus, quod fuit perinde ut in Regis manibus deponi, & ab eo admitti, eam ob rem illas tanquam Regi sedenti proclinationes legitimas, & scrupulosissimas, in aditu obitas repetimus in discessu.] Ita Iacobus Rhò de habiti nobis ab Rege honoris gratia singulari; condigno post hæc Academicos utrosque honorario ornaturus Academiam dissoluit aduersariorum, certoque prospiciens dum Pechini hæterent, nunquam nobis vexandis abstituros, vrente illos dedecoris sui, & nostræ gloriæ impatientia, denis singulos adpersit nummis, iussit quo vellent, sed ab aula procul, & vrbe abire, nec intercessionibus vllis cessit, fatigentium illos retinere, imò & Patribus sese in discipulos tradere. Nostræ vice versa Academiæ Literatos muneratus est liberalissimè, Doctorem Petrum nouo in aula, Magistratu; Mandarinatu quinque alios auxit amplo & minimè vacuo. Restabat usus computi emendari à Præsidibus Rituum decreto iuridico in vniuersum imperium inducendus, quod ipsi Decretum cum diutius traherent, & tempus eximerent aduersarum partium veriti odia, si (quod æquum censebant) *Canonem occidentis* nouum Computum appellassent; conuenit illos Rex acri singulos reprehensione, omissoque illorum consilio à se ipse Decretum concepit, ediditque Rescripto, piis Patrum desideriis tam consentaneo ut videretur cælitus dictatum, quò in bonum rei Christianæ quam maximum res tota cederet, nec ipsi, si posset, fierent etiam æmulis, & aduersariis inuisi. Rescripsit itaque impetans antiquum Calendarij titulum retineri; eclipses, & cunctas astrorum obseruationes ex Patrum Regula putari; earum *Canones* ne lapsu temporum interirent, vel desuetudine mutarentur, Academiam Occidentis, esse in posterum iure perpetuo

perpetuo stabilem, vt quondam fuerat Academia Mauroꝝ; & Mathematicos Collegij Regij, firma lege obstringi vt in Patrum scholam sexies in mense conuenirent, eosque de Mathematicis audirent. Atque hic tandem felices exitus naçta sunt P. Riccij vota longo amorum sexaginta, & vario tractu circumducta, elusa, impugnata, de nostrorum in Sinis habitatione decreto Regio obtinenda, quæ nec fidei hostes metueret, nec esset vlli Mandarinorum potentia, aut Bonziorum seditionibus, calumniisve obnoxia. Probatumque tam fausto, quam sero euentu, quam sapienter & prouidè Patres, tam longum ad eam & laboriosum elegissent, & durassent iter, in Calendarij abaci reformatione, extra quam prorsus nullum fuit, quo posset illuc aliquando pertingi, vbi nunc denique firmo pede, ac sede securi constitimus. Hæc suis Rhò spectauit oculis; suo magna ex parte assecutus est merito, & labore, suo etiam prosequabatur stylo gesta, cum à Deo in cælum vocatus est. Siue autem herbis quas April. 17. cœnarat virulentis, seu deprauata humorum congerie, morbo cœpit iactari, tam intestino, & ignoto, vt quicquid Medicorum præstantium Pechini excellebat, eius causas non potuerit diuinare, sed alius alia in eum tentarit, fortuita magis quam arte præscripta remedia. Nouem quibus ægrotauit diebus, ferè in pedes stetit, & sacris operatus est ad aram, quoad austeriori prostratus inedia, & morbi grauitate interiora depalecente, decubuit; & Lunæ tertiæ decimo tertio, qui Aprilis nostri efficit vicessimum sextum, destititione sensuum repentina oppressus est. Verum animam acturus ad se parumper cum redisset, in effigiem Christi morientis defixit oculos, quam ei P. Pasqualius Mendez obiecit, & alacritate oris, manantibus lacrimis, motuque debili labiorum, suprema cum eo miscens colloquia, horis post noctem mediam duabus, placidissime obiit, annos natus quadraginta septem, ex quibus quinque & viginti exegit in Societate, in Sinis sedecim, quo illum anno 1618. Nicolaus Trigaultius duxerat, virtute illius egregia captus, & petiit in Mathematicis quæ Mediolani tunc proficiebatur. Tanti hominem fecit Christianitas Pechinensis, vt eum Mandarini, exprimendum sibi coloribus Literati ornatu curauerint, velut æterna dignum memoria. De libris quos typis mandabat lepidè sua quadam epistola narrat, anno 1629. se podagra sæpius vehementissime torqueri solitum, de genibus tamen, crucibus, pedibus, vtrumque valeret, parum sollicitum viuere; sed de lingua & manu, agitque Deo plurtimas gratias quod semper iis vteretur sanis; illa quidem ad instituendos diuinis populos; hæc ad peruadendos scriptis libris Sinas, & prædicandum absentibus, & longinquis Deum. Copiosissimam edidit volumine duplici orationis dominicæ, & salutationis Angelicæ explicationem; libros de mortificatione, & ieiunio quatuor; de officiis misericordiæ Christianæ tres, alium de largitate in pauperes, & quintum de precatione. Pia item S. Teresie monita Sinenli sermone conuertit, & quoddam eiusdem,

anni totius Diarium; præter illam quam superius attigi de tota thesi multitudinem librorum ab eo sudatam. Conuenerat inter Christianos ut defuncti cadauer magnifico funere efferrent; sed eos inhibuit Longobardus (quem domi solum reliquerat Scial, ad peragrandam vicinam egressus) ne pietatem illorum interpretaretur populus inanem pompam, & sumptum facerent nostra causa. Vitare tamen non potuit, ne palatij Eunuchi, & Principes feminæ ad coonestandas eius exequias partem necessarij mitterent apparatus; & funebri habitu Christiani, lugerent illum tanquam Patrem. Parentatum est ipsi, quinto Maij, corpusque publicè die eodem tumulo conditum. Extulit illud nostro templo, versus Riccij sepulchrum per frequentissima vrbis loca, Christianorum supplicantium ordo longissimus, & dignus sanè populi oculis qui ad eum spectandum immensus confluerat, incedebant ingenti numero, agmine compositissimo, graui silentio, & modestia singulati, precatoriâ coronam tacitè quisque apud se recitantes, quam manu altera gerebant; altera funale igni ardente odoris pretiosi. Conclusum arca mortui cadauer, ut solet victorum illustrium, extabat in ferculo, quod hominum sedecim honestissimorum humeris portabatur. Præcedebant acerræ, & faces varij generis; citcum & ponè Doctor Petrus, Academici nostri, Regis aliquot Eunuchi, Mandarini, & Literati, etiam ethnici, nobilissimo comitatu. Extra vrbis muros processerant ad celebre Riccij sepulchrum & funalia cerea Christiani omnes accenderunt; ritu solenni Longobardus pro defunctis ad aram fecit, & concionem ad eos habuit; inde honores proclinationum, lege patria, lenta, & longa, & molesta mora sigillatim à cunctis exsoluti feminis prudenter more perpetuo, excludi templo solitis dum viri adessent, multum rogantibus concessum, ut per se quoque viris templo exclusis iusta funebria defuncto biduum exhiberent. Itemque pagis etiam remotis, & Prouinciæ Sciansi, quam per aliquot annos docuerat. Eius morte audita Rex plurimum doluit, & prosecutus est eum multa laude, ac velut superstitem & suæ capacem liberalitatis, bis mille ad eum, ad Patrem Scial nummos misit emendo agro qui alendis iis sufficeret; singulariter vero Patri Scial ad Academiæ stabilitæ magisterium sustinendum, assignauit nummorum duodecim millia, totidem Lunæ mutationibus numeranda. Postremo rogatus à Præsilibus Rituum, ut Patrum doctrinam & labores, regni totius commoda vtilis aliquo dignaretur approbationis publicæ monumento, id quoque præstitit, verum modo omnium maximè glorioso. Quatuor scripsit characteres, & ij lingua illa cuius nec satis efferimus, nec percipimus accentum significationis propriæ indicem, ita sonant *Chin Pao Tien Hio*. Hoc est *Ego Rex approbo, & disco caeli scientiam*. Quod quidem generatim dictum, perinde tamen à Patribus, & Christianis acceptum est, ut si foret approbatio fidei sacrosanctæ, ecclestis omnind, & diuinioris

quam scientia stellarum. Et hanc Regis mentem iis confirmabat, quod librum Patres edidissent de fidei dogmatis, cui de cæli scientia præfixerant titulum. Erant quatuor characteres figuræ grandioris, auro, & inerrantium draconum (qui sunt Regis tesseraium insigne) artificio intertextu, splendide ornati. Tulit hos domum nostram regio comitatu, per celeberrima vrbis loca, Mandarinus vir grauis ex Rituum Præfæctis, anteibat pompam, turba, clangor, & fragor tubicinum, & tympanistarum, musicis aliis concentibus præcincens; sequebantur clauati accensi quatuor, & quoscumque haberent obuios, iubebant equo, sellave exscendere, Regi que verba quæ proximè abeant prostratos reuereri. Portabat hæc in equo Mandarinus, equestri pariter aulæ nobilitate cinctus, duorum vrbis Præfectorum familia, & satellitio; ac nonnullis præterea qui summis quinque tribunalibus Præfecti, Sinensis Monarchiæ, administrant summam, omnes cultu insignes legitimo; qui ostentatam diuturnis ambagibus per densa ciuium Pechini compita scripturam Regiam, apud nos denique statuerunt. Dies erat Epiphaniæ sacer, Ianuarij sextus, cum accedentibus ad ædes propius occurrunt Scial, Doctor Petrus, & Academia nostræ Mandarinus, cum omni suorum graduum splendore, & proclinationibus corporum quas rei tantæ, ac virorum poscebat maiestas, & dignitas, quasque Parapieno ipsi in mensa superbè ornata demùm reposito, exhibuere vniuersi. Est vero Parapienus scripturæ huiusmodi forma quædam ad supremam laudem concinnata. Huic propè similem ad nos misit Colaas de gente Fu, sed hoc illustrius & excellentius quod expressam laudem continebat Dei nostri, eiusque legis sanctissimæ. Accessit & suus à Magistratibus Rituum, quem cum Colaj Parapieno, interiori exceptum aula proposuimus aduentibus spectandum, in priori autem, eaque amplissima Regium; ad quem fuit ingens per multas hebdomadas visentium concursus, & admirantium in Rege amorem nostri prorsus singularem, & scientiæ nostræ existimationem vix satis credibilem. Missum est confestim in omnes stationes quas in decem Sinarum Prouinciis tunc habitabat Societas, huius apographum exemplar quod eis pro tutela esset, non minus fida, quam si foret ipsum Regis autographum. Verum Chiancei vbi agebat Vagnonius Præfectus vrbi, & Regis cognatus, idemque Rex (de iis quos vocant duarum literarum) vicissim præuerrere tertarunt in illa Regis inestimabili scriptura ad eum præmittenda, quem ipsi vnicè diligebant, auertit Præfectum Rex Regis propinquus, cuius filij duo erant Christiani, voluitque id regali, & digna se munificentiâ exequi, sed eam Vagnonius cautè inhibuit, suspicatus nobis inuidiâ multo plus, quam ipsi gloriæ allaturam. Pergebat interea Scial fingendis solidè ac scienter Collegij Regij Astronomis; haud quidem omnibus; nam cum essent tres classes, duæ ex iis merè artiolorum erant, qui anni principio, dies eius & horas faustas & infautas libris duobus prænuulgabant, quibus

inconsultis

inconsultis vel abnuentibus infelix populus, nec iter agere, nec uxores, aut funus ducere, vel quid aliud audebat aggredi, tanta erat nugatoribus apud meticulosam gentem fides, cum tamen omnis eorum scientia nihil esset, præter quandam signorum, arbitriam copulationem quæ nihil posset omnino in prædictos eventus influere. Et quando incidit huius tam diuini Sinarum prognostici mentio, recreabunt opinor lectorem eius aliquot aphorismi, ut sunt; luna quinta, hoc est mense quintili, si Sol defectione obscuratur, regni confinia barbari depopulabuntur; si cælum & aer improviso turbantur, adsunt Tartari ad Regnum obsidendum; si tenaci sereno pluuias, & nubes cælum negauerit, absque vlla dubitatione, opifex aliquis sceleratus, coniuratus est contra Regem; si terra diu mouerit, rebellabit cliens, femina imperabit; si apparebit Sol cum duabus vtriusque auriculis, incestus probrosi fœdabunt familias; si Lunam obteget, lucis quædam in pilei modum projectio; vniuersam imperium communi gaudio gestiet; sed infinita sunt istiusmodi somnia. Scholam Scial tenebat primariam Ciuisnon nomine, quæ extra stellarum errantium, & fixarum, contemplationem Theoricam non exit. Præter Astrologos Collegij Regij, auditores habebat aulæ sapientissimos, & qui se ingenij nomine iactabant insignes Magistratus; ij scientiam docentis, suauitatem morum & illam potissimum tam liberalem & prodigam communicationem rerum præstantium, & reconditarum mirari satis non poterant, quas eorum quisque si solus nosset, sibi vni fruendas, esset aliis inuisurus, sed de Sinarum astronomia plus satis: restat anni huius tricesimi octauo legamus reliquias, casu aliquo memorabiles minimè vulgari.

Ac Pechinum quidem duplex calamitas afflixit, intus incendium, & foris diluuium Tartarorum. Regionem latè deprædatis captisque prodicione ciuium duodecim vrbibus, Pechinum Tartari obsidione arctarunt tam angusta, ut eorum castra murorum prospectui paterent. Mittitur in eos exercitus multitudine infinita duplo maior, animus duplo ignauior. Idem fuit iis vinci, & hostem cernere, vitam fuga seruare, & prælium perdere. Non est tamen potitus Pechino Tartarus, nec erat ea vrbis quæ posset ab eo vel obsidione, vel impressione occupari, licet decies tantum turmarum hostilium in eam duceret. Rexque bis pridem hominum triginta portatus humeris vrbe prodierat (insolens Sinis spectaculum) custodum militum stipatus millibus sexaginta, ad recognoscendos per se muros, sarcindas eorum lacunas, & armandum machinis bellicis eorum ambitum. Prodicione Tartari desperata, qua sola nicebantur ad urbem capiendam, excursione quaquaversum bimestri, ruinis, & stragibus hominum, circumposita deuastant, prædis saturi, arces repetunt à se pridem captas. Sed hæc obiter solumve significarem hisce tumultibus, præclusas fuisse nostris vias ad ministeria; Logobardus & Scial eas inierant, cum se Pechinum recipere sunt coacti, ne & ipsi præda Tartaris fierent. Nouos tamen Christianos

122.
Pechi. Tart.
obsid. ignis
consumit.

norum cœtus duos, spatio illo breui, duobus fundarunt locis, & quâ illic, quâ intra Pechinum, sexaginta supra octingentos iustrarunt sacro fonte. Auspices habuit Neophytorum cœtus duplex, Eunuchos nobiles palatij Regij. Longobardum alter in suam patriam deduxit ad insinuandam popularibus suis veri Dei noticiam; alter Hochienum, cuius erat ciuis, Patrem Scial, vt quam ipse vtrumque inchoarat sacram vrbs illius institutionem absolueret. Suis item hoc anno præclaris accessionibus aucta est virtus, & numerus principum feminarum in palatij septis degentium: in iis fuit nulla, quæ Christianis iniriata mysteriis, propinquos habere idololatrias sustineret. Vrgere ergo illos crebris epistolis, suadere, hortari, rogare Patres inquirerent, audirent, obsequerentur monentibus; nihil salutis, nihil spei post hanc vitam esse, nihil veniæ, nisi ex professione Christiana. Quibus Neophytæ Christi Heroinæ, sed suis magis ad Deum precibus, & vltione sui afflictatione, suorum quamplurimos Christo addixerunt. Pechinum calamitas altera prope funditus deleuit. Ignarij pulueris com meatum, cannarum muralium sedecim millibus instruendis (quibus vrbs illius munitur immensas) fortuitus ignis corripuit, ædificiorum, & hominum tam horrenda strage quam nemo satis sibi animo finxerit, certè aëris impulsu violentia, vltra semileucam muros ad vsque Ricci sepulchrum concussit. Rex ad septem millia nummorum iis iussit diuidi, qui ruinis domorum educta cadauera sepelirent. Sed quod vnicè in rem nostram erat, in hæc verba Edictum promulgauit; omnes cuiuscumque ætatis, & conditionis proximum triduum ieiuni traducunt. Peccata sua emendato, & eorum veniam à Scianti poscunto hoc est à Domino supremo. Hinc latè constans per omnes rumor, mente Regem esse Christianum; recurrere illa quam ante narrauimus simulachrorum eiectione, & quotidianæ ad Saluatoris effigiem adorationes, & recens ad hæc ab eo verita Regina, ritus nescio quos supersticiosos idolis adhibere, nec enim fas esse Deorum quempiam venerari, nisi Dominum cæli, aut alium in opem vocare, præter illum à quo sua probos manerent præmia, suæ reos pœnæ. Fuisse porò affectiones bonæ mentis, & primæuo afflatæ radio veritatis dubitari non potest, cui si libuisset insistere in apertam, & integram Dei noticiam, & professionem euadebat; contra huius neglectæ aut reiectæ pœnam, iactura imperij, & vitæ, & cantando theatris immanibus parricidali laqueo luisse, putarunt viri sapientes: vrbiū autem cœterarum, in quibus nostri residebant nulla fuit quæ illos in longinqua sex aut octo dierum fructuosissimo animarum prouentu non mitteret. Scensiensis Prouincia plus quindecim vrbibus ignem Christi beatum intulere Stephanus Faber, & Augustinus Todechinus, vtrique eximius, sed propria sua & peculiari laude clarus, quod non modo in templo ad populum dicerent sed in frequentia qualibet metropolis Singafu, vt ante palatia Præmatum, vniūsq; ex iis qui Reges dicuntur vniū literæ, nec iis propterea

pretea vel quicquam negotij factum, vel tumultuatum, quod sanctimoniam nomine obseruarentur ab omnibus, & cautè ubique, modestèque rem Christi gererent. Concionum messis quadreginti fuerit ethnici, à simulachris ad Deum translati, quos inter, viri literariis conspicui gradibus; potentes Eunuchi; è stirpe regia nonnulli, & mirum quam liberaliter nascentem illic Ecclesiam, visis, sanationibus aliisque prodigiis, quæ longum sit scribere, Deus promoueret. Nec dissimiliter in Prouincia Scianli quam procurabat Vagnonius, sanctimoniam Christianam ac veritatis existimatio eò pertigerat, vt nihil in eam inuidia tentare confideret; tractatus de diuinis, & animi rebus, quos à Vagnonio lucubratos anno proximo narraui, hoc item auidius etiam ab ethnicis lecti sunt. Præfectus Chiancei, vir mentis solidæ, ac scientia celebris, ex iis vnum suo ære excusum, regno vulgavit vniuerso. Mandarinum vrbs quatrinduo distat, miserunt ex suis qui libros illos à Vagnonio flagitarent; aut veniret ipse, ac de negotio salutis ne grauaretur per se illos erudire. Quod vtrumque ab eo, etiam alij rogarunt. Quanta verò populus etiam ethnicus veneratione afficeretur erga Christianam, exemplo sit pagus Chianceo proximus. Illic erat ædes Paulo Apostolo dicata, festum eius diem Christiani, luminum copia, paratu, artificiosis missilium ignium iaculis (in quo Sinæ excellunt) sed larga porissimum in pauperes stipe, agitabant. Ad hæc sanum suum, suosque demones pertæsi ethnici, iunguntur Christianis, odores, funalia cerea, suffitus, in templum conferunt ad augendos veri Dei, & eius Apostoli honores, Bonziis nequicquam frementibus. Verum Chiancei eiusdem Prouinciæ nobili ciuitate, S. Ignatij gloriam continuatis prodigiis splendide Deus illustrauit. Cælum tunc erat grauidis infestum, & ferè omnibus partus erant letales; quibuscumque vero admouebatur Sancti chirographum, aut imago, Christianam forent vel ethnicam securo, & prospero leuabantur partu, eratque tam euidentis omnibus certumque prodigium, vt fetus suos sacris vndis tingendos matres quanquam idolis addictæ ad Vagnonium mitterent, dicerentque se illos Christianorum Deo acceptos debere, & vltro postularent Ignatij masculis, Ignatiæ feminis nomen indi. Ad sublimem illum ethnicorum de Christianis sensum, maxime proderat Vagnonij diligens in iis fingendis, & sollicita cura. Mirum foret profecto, vel in cultissima Europæ Christianitate, quod in Neophyta illic erat commune; viri locupletes sua perinde dispensabant, vt si forent pauperum non sua, ipsique dumtaxat eorum essent custodes positi, vt in egentes ea partirentur; nec erant ab iis ob necessaria rogandi, sed inuestigandis & iuuandis pari studio instabant, vt si pauperum quisque esset iis natura filius. Horum ex numero fuit Tuon Petrus (de quo pridem cum eximia laude) Chiancei hoc anno Literatorum examine feliciter obito, ab eorum Præside Mandarino remissus est domum præcinente tubarum & tibicinum choro, comitatu extraordinario subsequente, quod profiteretur

123.
Christ. Sic.
virtus, & fa-
ma, & mirac.

Mandarinus, hominis sanctitati hunc honorem auctoritate publica deberi. Thomas quoque, iure Pater pauperum dictus, erat Ciuiibus suis tam venerabilis vt Regi publicè supplicarent, ex secundo Literatorum gradu eum proucheret ad Mandarinum dignitatem, eas enim quibus ipse pollebat in omni genere virtutes, cunctis ingenij, & scientiæ opibus præstare. Degebat, his item maximè geminus, in oppido Chianhienfi Leo, & sodalitiis tribus Literatorum piorum præerat. Horum institutum iuuare animos ad salutem; opitulari egentibus, docere quos poterant fidei rudimenta, & certis anni temporibus, sistere illos Vagnonio, vel eius sociis baptizandos. Fuit autem hoc anno lustratorum summa quingenti sexaginta. Quod Leoni euenit seruandis animis intento mirabilis est quam vt possit sileri, eius seruo natus est filius, & sexto post die mortuus, obuolutum panno efferebat parens extra urbem humandum; urbem egresso occurrit mulier, & curiosius inquirans, cur, inquit, tam mæstus? & quid illic sub brachio geris? filiolum, ait, mihi prope simul mortuum, & natum. Illa fac, infert, videam, seruus hoc solum vt satisfaceret petenti, euoluit infantem, & viuere comperit, cursuque lætus & gestiens, primo statim ingressu, Hero narrat quæ sibi contigerant, is cælo haud dubiè instinctus; aquam sis age hac mihi, & propera, qua illata ritè infantem abluir, infans clausis mox oculis spiritum efflauit.

Vt Vagnonij alumnos Neophytos mirè illustrauit, illa in egenos misericors largitas, sic in Prouincia Nanchinensi alumnos Sambiasij vitæ asperitas, & inexpletum domandi corporis studium utrosque ex genio sui Præceptoris; omnium tamen virtutum expressa non umbratili specie sic florebant, vt etiam ethnici ea plurimum caperentur. Quadringentos hoc anno lustrauit Sambiasius, cui duo tunc equidem adiuncti socij, sed augendo magis quam leuando labõri, vt qui essent ab eo linquam edocendi longè illa in aula quam reliquo regno expositiorem. Nanchinum regebat Præfectus vir præstantissimus, in Sambiasium sic affectus vt videretur esse potius illi frater, quam familiaris, & intimus, nec ei quicquam negaret vnquam, quod in Christianæ fidei gratiam poposcisset. Et vero ex eo nihil vnquam aliud poposcit Sambiasius. Primum igitur impetrauit ædificationem templi fieri; tùm edictum minax quo omnem ab eo Bonziorum iniuriam defenderet; Vicano denique tribuno serid inungi, edicti eius executionem. Et fuit miraculo simile ethnicum Mandarinum suo illo Edicto Deiparam Virginem (cui sacra erat ædes) immensis laudibus cumulare. Sed eius æquè sincerum amorem, & constantem nihil prodit, vt Magistratus, & vitæ periculata quod non est veritus in Sambiasij gratiam subire, misso Macaum fideli Mandarinum, qui decem ex nostris in Sinas induceret, librandis machinis personatos, quanquam nisi duobus, beneficio illo uti non licuit; Patribus nimirum Nicolao Viua, & Michaëli Valta; quibus Sambiasius commendata Nanchini Christianitate,

annuum,

annuum suum instaurat excursus ad novos populos Christo Regi quærendos. Hoaingam ergo, sextiduo distat, hæc illum perduxit occasio. illuc iuuenes duos Literatos, in prociñtu cum essent ad reditum, subiit animus videndi Sambiasij, referendique in patriam, factam famæ par esset qua passim clarebat. Primus illis cum eo de orbe nostro, & Nostratibus sermo, omnia illis mira, ut nobis vicissim externa omnia. Inde Patrem rogare quid tantum causæ esse potuisset, ut per tot maria, & terras; deserta patria, & quæcumque sunt in vita summè chara, non dubitasset illuc aduena fieri, atque hic breui de arcanis, & præceptis diuinis edita ratione, ita sunt iuuenes repente mutati, ut vellent extemplo baptizari, & contestarentur se esse Christianos. At Sambiasio visum oportere lentius festinari; iuuenes esse, semidoctos, adhuc prope informes, eorum tamen populares, ex moribus illorum æstimaturos legem Christianam. Promittit ergo se quamprimum illos aditurum, legerent interim, quos dabat iis libros, quibus in proposito nobili firmarentur. At ij Hoaingam reuerti, dies pro mensibus, & annis durare, iterare cum literis nuncios, & protinus ardentem exigere. Fauitque huic ardori Deus, sextidui iter, diebus quatuor Sambiasius confecit. Appulso alter ex iuuenibus Literatis humanissimè hospitium præbuit, cuius mater clam Patrem ex abdito spectans scire tantum auebat, cuiusmodi formæ essent homines nostri orbis; sed inspecto illo attonita, & palam prodiit, & coram consistens examinabat oculis præsentem silens; nisi quod in discessu audita est apud se dicere [ne pilus quidem abest, ilque omninò ille ipse est.] Hanc anum pro sancta suspiciebant cultores Deorum, tota erat in eorum cultu, eleemosynis, discruciendo ieiuniis corpore, & vigesimum iam annum solo legumine, & olusculis vescatur. At cernens filiū Nanchino redcem conerematis omnibus simulachris prolixè ad crucem orate, non dubitauit cerebro minutum, nec potuit capere ligna duo rudi manu ab eo decussata dininora esse Diis metallicis odoratis, atque vnguentatis, fiebatque fermè de illo à ciuibus idem iudicium. Sed hic matri recurrit somnium quo illac oberrans Sambiasius illi fuerat obiectus; hominem sibi visa erat adstare, oris peregrini, promissa barba, Literati cultu modesto & graui, qui se ab Deorum adoratione serio prohibebat, alioqui æternum perituram; imitaretur filium, & amplecteretur legem quam erat professus, cuius illi obseruatione felicitatem spondebat sempiternam. Hæc ab anu tunc pro somniis habita vix anum monerant, quoad inspecto demum Sambiasio hunc esse comperit quem dormiens viderat; ex eo audiuit, quæ sibi tùm dixerat, eruditæque ab eo in diuinis expiata est sacro baptisate cum filio, & eius quem diximus socio inuene Literato. Accessit Imperatoris gener, auctoritatis summæ, ac prudentiæ dynasta, cuius ad Christum ab amentis simulachrorum obsequio, fortis, & improuisa traductio, urbem exiit vniuersam ad inuestigandum cuiusmodi lex esset tam potens, ut

I: 4.
Conuersio
anus ignor.
at simplic.

tam

tam sapientes, & nobiles viros, à Deorum quibus assuerant, aulicos
 veneratione integrè sibi assereret; ac si licuisset Sambiasio moras illic
 diutius trahere, quàm in diem trigésimum quintum; procliuis stu-
 diis Hoaiuga in Christum ferebatur. Triginta dumtaxat cœlesti lauacro
 abluit, Mandarinos tres, Literatos septem, & viginti; feminas octo-
 ginta, ex vulgo totidem, & se Nanchinum illico recepit vbi Doctoris
 Thomæ ardentibus literis inuitabatur Ciamscium, dierum quinque iti-
 nere. Vrbis est perelegans duarum ambitu leucarum, monti saxoso im-
 posita, sed non ita nudo, quin viriditate Pinerorum, natiuus Saxorum
 varietur candor, grata prospicientium voluptate: duo ad radices emer-
 gunt lacus in maris littore, vterque falsus; alter pisce, diues alter sale.
 Ciuitas omnis, vnum Deorum sacrarium, Bonziarum cœnobii infame
 quinquaginta; & Bonziarum sex, sub eorum videlicet magisterio
 castarum: erat illic nobis sacra ædes, & Christianorum cœtus à Sambia-
 sio restitutus, quem viginti diebus Siuzaiis decem (qui est infimus
 Literatorum gradus) aliisque plus centum auxit solenni baptismo ex-
 piatis. Christiani Prouinciæ Chiansi hoc anno, virtutis præcipuæ me-
 rito laudantur; eos magnis sudoribus ad eam sinxerat, & educarat
 Cattaneus, octogenario tunc vicinus, nisi consilio, & exemplo iuua-
 re non poterat; vicem eius supplebat Froes, operarius quidem in pau-
 cis strenuus, sed qui maiores viribus corporis versabat animos; quare
 agendo fortiter, & ferendo sub anni huius medium defecit, qui fuit
 ætatis quinquagesimus primus, Societatis tricesimus, decimus quat-
 tus laborum Sinensium. Huic fuit patria Portus lætus in Lusitania,
 librum edidit de ope præstanda moribundis, & peculiari cultu sacra-
 tissimis Christi vulneribus adhibendo. Parentatum est illi à Christia-
 nis Hancei dies septem, ducenti cadauer humandum ad quinque millia-
 ria extulere, procidentibus in genua ad eius egressum portarum custo-
 dibus ethnicis, & sanctum vocantibus. Huius & Iacobi Rhò obitu,
 concidere vna cogitationes detioyis hoc anno stationibus locandis in
 Sciantun, & Iunnan Prouinciis. Sed longè grauius Sinarum Ecclesiam
 affecere, damna Prouinciæ Fochiensis (quam Cincem dicunt Lusitani)
 Patrum exilia, Christianorum offensio, conuersiones interclusæ, omnia
 narratu tristia, sed causis ortuque tristiora, & libentiùs tacenda nisi
 integritati historiæ deberentur, & possent posteris documento esse.
 Florebat admirabiliter numero, pietate, couersionibus, Christianitas
 Fochiensis, ductu Iulij Alenij Brixienfis, cui eius fundatio cognomen-
 tum Apostoli fecit. Ædes sacræ in ea patebant septemdecim: Focci vr-
 be primaria, P. Manuel Diaz; Ciuencei Alenius, gaudebant se magis
 impares quotidie fieri occupationi ad Dei gloriam crescenti. Ergo huius
 quoque beati laboris ambitus, alios pupugit, est enim ferè vnus diei
 ab hac Prouincia in Fermosam velificatio, ex qua insula naues crebræ
 in Philippinas referebant de multitudine Sinarum tanta Christianismum
 expetente, vt iis nostri satisfacere non possent. Prodromus omnium,
 vadum

125.
 Imprudens
 & damnosa
 quorondam
 peditio.

vadum vnus præterat, sequuntur sex alij, & hos diuersæ aliorum vi-
ces. Futuri Alenius vates nimium verax quem dixi prodromum, &
per eum socios conuenit, monétque etiam atque etiam cauere à no-
minanda ex qua soluerent formosa, vt quæ Sinis esset maximè suspe-
cta; & si vellent saluti animarum fructuosum laborem nauare, id sine
strepitu, & dissimulata opera præstarent; fore alioqui vt regno no-
biscum pellerentur, & patra perderent, nedum vt nouis auerentur.
Ac promissis quidem se prodromus ab Alenio expedit; cæterum &
ipse, & socij excellentiorem nobis demonstraturi viam, præ illa quâ
incesseramus eatenus, appulsi statim in publicum ire, rituumque Sinen-
sium, Sacrorum iuxta, & ciuilium ignari, antiquissimos Sinarum
Reges, qui morum virtutibus paulò post diluuium elaterunt, pro
concione ad populum, promulgare damnatos æternis ignibus; dam-
natum iisdem & ipsum Consulium, communem Sinarum, & venera-
bilem Magistrum; damnandos Societatis Patres, qui Christianis ido-
latriam erga Confucium indulgerent, hoc est proclinationes illas so-
lo tenus, quas adorationis figebant nota, cum tamen sint merè ciui-
les è Sinis erga Reges, parentes, Magistros, benè meritos vstitatæ.
Hinc offensus Christianorum ingens; tumultus populi, Mandarinorum
indignatio, criminationibus iratis accensa. Noui denique præcones ad
tribunal producti, citatis velis Macaum remittuntur. Edicta postridiè
in legem Christianam, cuiusque Ministros, & sectatores atrocita; P. Ma-
nuel Diaz religiosos illos, dies septem hospites domi habuerat, ægro-
tam ex iis vnum; omnes ad reditum pecunia, & Christiani potentis
iauerat comitatu qui militum insolentiam, quorum erant custodiae
traditi, ab iis defenderet. At ecce dum isti abeunt, superveniunt alij;
quorum vnus ad exasperandos in rabiem animos Præfecti edictum, por-
tæ vrbis præfixum, refigere ausus est, fugaque se mox inde proripuit;
ob hoc & alia temerarij ardoris inconsultissima tentamenta, narratu
molesta, edictis quinquies iteratis proscripita est Christi lex, & nostri qui
eam latè diffuderant Alenius & Diaz exilio damnati, tam procul ab vlla
decreti venia, vt à Præfectis, cæterò qui amicis ne in conspectum qui-
dem admissi sint. Christianis eorum discessu frustra gementibus, &
complorantibus. Fuit itaque fructus gloriose huius expeditionis, vt
hæc Prouincia quotannis solita nongentos Christo dare; centum ægrè
hoc anno dederit. Multique post annis magno conatu sudatum sit, ad
restituendum quod tam facile alij prædideruntque perdiderant. Aedes
sacras omnes, præter vnam ethnici vsurparunt, quasdam in vsum ha-
bitationis; aliquas in locum apothecæ; nonnullas in stabulum: exagi-
tati ad hæc variè Christiani; tam enormi argento multati alij vt fue-
rit qui filios venderet, etsi sunt postea liberalitate fidelium redempti,
alij carcere macerati, quorum vsus in eo diem clausit, assimilatus fra-
tri suo. Litorato qui Hainan in vrbe pro Christo pariter necatus fuerat.

Mirro ingo adstrictos, fugatos patria, caesos publicè, bonis spoliatos, & passos quicquid in sceleratos solet, rebus vaticinium eius anni, clarè nimis certòque præstantibus, quo ingens aliqua Prouinciæ Fochiensis expectabatur vexatio. Hanc sibi ex eo Christiani venturam vaticinabantur, quod resossæ illic paulò ante, vetustæ icones seu monetæ crucem parte altera præferrent. Et rudetibus erutum duplex marmor, cruce quoque extanti eleganter incisum, videretur cruces portendere, surgebat crux altera ex glomo nubium, ex plantæ altera radice veluti cratera ad aspectum pulchro. Vtraque opus quantum intelligi poterat ante multa secula excusum, Vnius illarum inuenio cum incidisset in hebdomadam maiorem, translata est in templum ad venerationem crucifixi Christi, tunc præcipuè feruentem. Hæc de Fochiensis Ecclesiæ aduersis dicta sunt. Nam de ruina longè grauiori, qua religiosi duo, Pechini eadem attentantes, iamque se in aula inuiso habitu ostentantes, Sinensem Ecclesiam perdere cœperant vniuersam, idcirco scribere suis locis omisi, quod ei Patres tempore occurrissent. Dum autem alij Fochiensium decreto reportantur Macaum, & Formosam: nostris clam, & furtim redire, confirmare turbatos, deiectos erigere, nec enim de se spondere virtutem tot Neophytorum millia poterant ita heroicam, vt in eorum nemine titubaret. Alenius interim à Colao Cian, quindecim retrò annis eius Prouinciæ Præsidi sibi que peramico, commendatitias recepit ad Metropolis Præfectum, cum præclaro Christianismi encomio, & Alenij ipsius, quibus mitigatus, vexatione quam mouerat abstulit. Scripto præterea meditatè solidèque concepto, mensuris de rebus Taolium conuenit, quatuor urbium Rectorem, inter quas Metropolis, cuius Taolium Præfectum acri perstrinxit reprehensione, quòd eodem fasce pœnisque iisdem causam nostram damnasset, cum eorum causa qui se ex Formosa in Sinas intraserant. Lectissimum denique Mandarinorum Collegium, libello supplici Taolio insitit pro restitutione Patrum in integrum, vt quæ publicæ rei bono plurimum interesset, quo testimonio Patrum virtus, benivolentia in illos, & estimatio etiam ethnicorum, tam luculenter Taolio constitit vt rescriberet in hæc verba. [Patres eiusdem sunt Ordinis, atque instituti cum P. Matthæo Riccio, de Imperio Sinarum optimè merito Legem optimam docent, optimèque hortantur ad viuendum probè rectèque agendum. Cognoscat de his Præfectus Metropoli amplius, & de compertis me moneat.] Verum idem Præfecto Ciuicem palinodiam imperauit, qua nouo decreto ediceret publicè, haudquam se lectis regno noxiis, & exterminandis, legem dominatoris cœli comprehendere voluisse quæ annuntiabatur à Patribus. Accessere his literæ quas ad Fochiensis Mandarinos à Prorege Nanchini, & Præfecto Alenius impetrauit, quibus petuagatura vbes, & pagos Prouinciæ edicta consistere; suspensa vbi sonuerant, eorum executione. Quamquam autem pro certò haberetur, nunquam nos eidem restituendos loco, & conditioni, qua deiecti eramus, quòd

quoddam Mandatini quatuor, summæ verum Præfecti, & essent nobis per-
infecti, & suam cernerent cum fama auctoritatem agi. Verum Deo
confusus Alenius sensim adrepere; diuersorium capere tertio ab vrbe
milliari, adiri à fidelibus frequenter, non sine pia lachrimarum grati-
tatione, occuparique illic duas hebdomadas iustaurandis, quibus diu
caruerant Sacramentis, nec propterea quicquam ab vrbis motum,
aut improbatum Mandatinis; quo silentio factus audentior, urbem sub-
bit; Christianis dumtaxat se prodit, & paucis quibusdam amicis po-
tentibus, duas iterum hebdomadas semper anceps, quid dies crastina
pareret. Tantum interea ponderis apud nouum Protegem, & summos
Magistratus intercessionibus habuere per Sambiasium exorata vt palam
prodituro, nihil iam secus quam vellet timeretur, cum ad eum visen-
di gratia iidem etiam venissent Magistratus. Quare anno voluentis se-
culi 39. Iulij quarto & decimo, recepta, & recomposita æde sacra
quam in Metropoli habebamus, publicè in ea diuinis perfunctus est,
creditusque exinde damnationis nota liber, quæ in eum, & legem
quam docebat, intorta fuerat.

Successorem paulò post accepit in Sinarum inspectione & Iaponum,
Octobris 15. Diaz cognomento senex ad discrimen Diaz Castroblandi;
& mensis proximi, duodecesimo viuere desit. Octogenarium, & va-
rijs fessum incommodis, Macaensis Collegij professi septem regendo
impatem censuerunt, apertisque, vt fieri debuit; Præpositi literis P.
Antonium Rubinum in officio Inspectoris subrogatum illi inuenerunt.
Qua ille vsus potestate Mechliniam, inde in Iaponiam profectus, vi-
tam illic pro Christo sanctissime posuit inter acerbissimos cruciatus.
Sed exauertorando Diaz emerito senex, & illis vltimi orientis regendis
Prouincijs optimè defuncto ea contingere, quæ nec iure probentur,
nec satis religiosè defendantur, fueruntque illi per mensem quo super-
stes vixit, patientiæ seges non vulgaris, adeò cum iis difficile est ani-
mo conuenire, à quibus iudicio dissides, & saluo vbique charitatis
officio, suum iuri, & æquo tribuere. Diuersas quidem Patrum senten-
tias Alexander Rhodius ex iis vnus, Romæ ad nonam congregationem
generalem optulit, quæ decreto quadragesimo statuit, quid in simili-
bus fieri oporteret, sed posteris, reque dudum peracta, nec valde
laudata. Gestæ de hoc anno intra Sinas, baptizatos cessent quinque
mille quadringentos & octoginta; iustam plurimum expectationem
euerit Tartarus, maiori quam prius exercitu Pechinum, & Sciantu-
num Prouincias populatus, & Sciantuni quidem Metropoli Zinan-
sa, aliisque vel vrbibus vel oppidis numero sexaginta captis, direptis,
eueris, cum se reciperet infinitate illa prædæ grauis, implexus, &
vinci facilis, ante ora S nensis exercitus, placidè, transit intactus
Rege Ducum suorum ignauiam vehementer at frustra indignante,
quam exilio in aliquos morte in alios vltus est, sed morte pecudum
quales sua dignos inertia fecerat. Trimestre anni præteriti; tantundem

226.
Visitator à
PP. officio
motus obse-
nect.

praesentis haec arma tenuere; ut primum licuit Pechino exire missiones suas reperit Longobardus in vili iumento, nempe armis impar deinceps ferendis septuaginta nouem, veteri ardore, se & illos quos adibat incendens miris modis, ex quingentis ferè hoc anno illic baptismo tinctis diuinæ miracula gratiæ, pars potissima. Exiret; senes decrepitos post vitam idolis perpetuo ieiunio immolatam, meritorum obiecta quam sibi finxerant immensa imagine, in legem albam renasci ante prope viuis excessuros quam possent aliquid promereri; Literatos, diuites, Mandarinos, secundarias vxores ex quibus liberos tolerant, domum remittere quamuis suæ cum grandi ad publicam opinionem dedecore, & breuiter alias mutationes fieri tam miras, quam difficultate insuperabili arduas; ad hæc primarias palatij feminas Christianas ad quadraginta pertingere, usque iam virtutum accessionibus Christi fidem ornare ut scribat P. Scial, cuius consilio in rebus animi regerantur, dignas fuisse historiæ laude; tam esse propositi tenaces, ut non dubitarent apud dominas suas Reginas illud explicare; tamosearum viuendi ratio, & sanctè agendi, cuiusmodi essent, non obicere testificaretur. Nec dissimuliter Christianos Eunuchos numero, & religionis profectibus augeti; hæc, inquam, faere clementiæ diuinæ prodigia. Non sequar seorsum Prouincias, & loca, Patrum laboribus, & sudore irrigua. Breuiter dico Brancatium & Grauinam in vrbe Sciama-hai centum, & viginti quatuor supra mille baptismo expiisse; Fabrum & Todeschinum in Prouincia Scensiana, mille ducentos quadraginta; Sambiasum & Bullium; in Nanchinensi centum nonaginta. Alibi autem ægtius nunc ducentos in Fochienfi Prouincia, quam olim, ut solebat nongentos, alios passim aliunde Manuelem Diaz iuniorem Nimpo; Cresciano Trigaultium, monterum Cechiano, Huquani ex pagis P. Goueam; Honani Figheredum; Sacerdotes denique septem & viginti suas Christo prædas, & venationes retulisse, dignas equidem memorata omnes, nisi essent inter se similes. Verum enim vero P. Stephanus Faber communi non debet numero inuolui absque peculiari mentione exuberantis in eo Apostolici spiritus, cui Christianitas Scensiana, accessus pietatis eximios, Religio populos quibus creuit, complures acceptos retulit. Mandarinatu recens, ille Han Stephanus vir sanctus, & Præfecturâ vrbis Iamhiensis ornatus fuerat; is pro singulari erga Fabrum amore, quem consociabat vtriusque par ardor in procuratione salutis alienæ; illum inuitauit ad Iamhienses suos simulachrorum cultum dedocendos, & durandum secum, iis ad Christum trahendis gloriosum laborem, cui Fabrum norat mirificè habilem. Pasca exacto Faber, comite Christiano quem ad se miserat Mandarinus iter aggreditur dierum quatuor, quod secunda die, interceptum repente cateruis grassatorum, ferro, igni, seruitute cuncta vastantium, retexere noluit, sed ampliandæ religionis magna fiducia, nec quatridui per inuia rupium, & præcipitia ipso aspectu formidabilia, vadâque

117.
Conuersi-
rab.

118.
Conuersi-
plurim.

119.
P. Steph. Fa-
bri labor.
virtutes mi-
ra.

yadâque torrentium aquarum fallacia, in dies produxit duodecim, vita
 semper incertis pendente vestigiis & momentis, ut manus prædo-
 num deuitaret. Semel fluente haustus cum abriperetur, sospite Ange-
 lo, in aduersa se ripa stupet attonitus nesciens cuius manu, emergere, in-
 tacto etiam ab aquis & sicco breuiario potuisset: noctem sub tuguris
 lo ducebant quem cadente sole texuerant; famem leuabant buccella-
 to pane, aqua mollito, vel milio; terrebantur sæpè sparsis in via ho-
 minum ossibus, incerti an forent à feris laniati, an castri illic vel ferro
 necati. Ærummosum prolixi huius itineris tormentum, pro dulci quie-
 te, excepit labor eruderandæ statim ineultæ religionis; auditores Fa-
 bro cogebat Mandarinus, parabatque ad eum libenter audiendum,
 quamquam autem maior concursus in dies fieret, & multi baptismo
 initiarentur, sed hi parcius Mandarinus, & Fabri desiderium explebant,
 qui vnam ex eo populo constari optabant Christianitatem: cui ab utro-
 que dum sanctè locatur opera, Mandarinus vrbi præficitur eiusdem
 Prouinciæ, vocabulo Cinea. Illuc suo eum Fabro profectus, cum eo-
 dem mox cepit Euangelij sementem facere, & quidem tam denso qui
 eam exciperet, audire, ut muros, & arbores ad percipienda commo-
 diùs quæ dicebantur inscenderent, spretisque viarum, & cæli mole-
 stis, plures quotidie conuenirent. Quot vero tunc illic tum aliis eius
 Prouinciæ urbibus, & pagis prodigia edere Fabro cœlitus datum sit,
 cum veret prolixitas annumerare lectori distinctius, pauca solum è
 multis indicabo. Depascebatur omnem regionem locustarum exerci-
 tus, & famem indigenis futuram minabatur, cum ad Fabrum accur-
 runt Christiani, quorum multos iam cœtus mensis vnus prædicatio-
 ne instituerat, & expolierat studiis pietatis, precantur supplices, ut eo-
 rum agros ab ea peste redimeret; dolens calamitatem Faber, fideque
 illorum confusus, sequitur abeuntes, sacram imaginem in altari, me-
 dio in campo collocat, & piè de genibus cum omni populo Sancto-
 rum decantat Litanias, inde vibrata ex ritu Ecclesiæ in colluuiem no-
 xiam exsecratione, cum sacrum carmen absolueret, tollit se ingens è
 Christianorum satis nubes locustarum & partitis examinibus diuisa,
 ethnicorum agris incumbit famelica, iis infestior, qui durius animum
 in sua perfidia obstinarant; horum vnus Patrem exorcismos torquen-
 tem, falsè sibi visus deridere, auditis hunc ait, lingua dæmones vo-
 cantem, solis percepta dæmonibus, & ad impij leporem ridicul', nictu
 gloriante adstantes aduertens, vidit Itatim eadem à Christianorum
 œpulsam agris, in suas segetes migrare tam certa omnium, & celeri
 strage, flens, & eiulans sacrilegium suum fateretur, sed sero ad excu-
 tiendam pœnam, sarcasini sui condemnatione. Quod beneficium pal-
 sorum ex agris insectorum, & exorata post sterilia serena pluuia to-
 ties à Fabro in pagos collatum, quot eum pagi pro calamitatis reme-
 dio adierunt. Horum certior factus Prorez, Mandarinum Stephanum
 rogauit, ad se quamprimum Fabrum ut mitteret, ad Metropolitim suam

liberandam, clade vtraque miserabiliter pereuntem. Faber eò vt ve-
 nit, videt agros, arbores, domorum tecta, grandioribus locullis infi-
 nitate innumerabili insideri; squalere cœlum pertinacissima siccitate;
 preces adhibet solitas, lues illa regionem purgat vniuersam. Preces
 integrat, & nocte insequenti continuatus ad lucem imber, sata copio-
 sissimè infundit. Perculli prodigiis Mandarinum, ad vnum omnes suo sin-
 guli cultu adsunt adoraturi sacras imagines, & profecturi donis bene-
 ficentiæ diuinæ promptam mirabilèmq; largitatem, reiectis modeste
 Faber donis, hoc tantum ab iis petiit, cuius causa Deo pro vbertate
 segetum supplicasset, fuissetque ab eo benignè auditus, libertatem vi-
 delicet annunciandæ vbiq; & suscipiendæ Christi legis; cui quidem
 haud scio an maior vsquam honor habitus sit; nam cuncta in vrbe per-
 comperta, foris per vias ex truncis arborum, splendè vbiq; litera-
 ria monumenta quibus cœli Dominus, eiusque lex sancta, & prodigio-
 rum editorum celebrabatur admirabilitas, traducebantur superstitionum
 & vota inania Bonziorum; elaboratis vtrumque ingeniorum
 præstantissimorum conatibus. Concionabatur sub dio Faber, quod
 multitudinem nullus sat caperet in vrbe locus, voce ac viribus defe-
 ctum excipiebat Catechista, vbi paululum respirasset, redibat in pul-
 pitum, eo fractu dicendi, vt multi, etiam Literati abluerentur sacris
 vndis, & incredibili docentis voluptate, illorum quæ iam didicerant
 ex templo fierent aliis Magistri, & ardentissimi suosores. Fabricata est
 in vrbe sacra ædes, in qua vt semel constiterant ad imaginem redem-
 ptoris, auelli ab ea non poterant, narranda eius vita, cruciatibus,
 morte, & gloria, recitandisq; orationibus, quæ memoriæ mandarant:
 hic verò Bonzij, Deorum suorum, suumque pariter dedecus non fe-
 rentes, Patrum doctrinam quos nunquam audierant, & sapientiam
 Euangelij putarunt, sectæ suæ magis fore consimilem, prouocant
 ad concertationem Fabrum qui prouocationem illam dudum caro em-
 ptam voluisset. Ac niñ summus concertandi labor in expugnanda ver-
 teretur nequissimorum hominum voluntate, prædam erat ex ea opu-
 lentissimam relaturus; facile siquidem adigebantur, vt dicerent Deos
 suos fuisse homines, nec potuisse vel propria vel aliena potestate in
 Deos transformari, nec posse Deum præter vnum esse, omnipotem
 fontem, & finem vltimum; qui aliud docerent, pestilenti errore popu-
 los dementare; rebus creatis diuinos honores sacrilegio immuni tri-
 buere, seque ac discipulos pariter in æternum exitium trahere. Hæc
 dum verat pudor concedere, negare ratio non sinit, supercilio posito
 elingues, comperendinantur in alium diem nunquam ipsis venturum;
 at si pessima natio, sceleratior evasit ex perspecta, quam ex ignorata
 veritate, inde Christi fides in adstantium animis magnificè triumphauit:
 memoratur alia quædam secta corporibus iuxta, & animis diram
 pernitiem inuictura, fuisse Fabri concionibus suo ipso in ortu præso-
 cata. Sed dum cursu maximè felici ministerium suum implet, & reli-
 gionis

gionis profectibus gessit Mandarinus, transfertur ab Rege ad urbis ar-
 cilque Præfecturam Tartaris confinem, nobilissimæ quidem custodiæ
 sed suspectæ, atque sollicitæ. Quo in itinere negare se illi Faber non
 potuit S. nganfum vsque, Prouinciæ illius Metropolim. Ordinata er-
 go de Neophytæ Christianitatis, designatis sacrarum ædium quas oport-
 rebat constitui locis idoneis, baptizatis qui dilati erant, ex quibus non
 pauci lustralis aquæ in sanandis morbis efficacitate Christo adhæserant,
 cum Mandarino in viam se dedit. Iter fuit dierum viginti, Mandari-
 num st pabant multis nauigiis, nauæ centum & quinquaginta, qui sub
 occasu solis quotidie legebant terram & cum indigenis qui fortè ac-
 currisseut Fabrum audiebant de salute animi dicentem. Ex nautis qui-
 dem longo illo tractu placidæ nauigationis ab eo inslituris, cum essent
 omnes idolorum serui, alioqui non tantum Christo asserti sunt, sed
 pietatis eximie, & iuuandarum animarum æmulatores feruidi euase-
 rant.

Spectat ad Cantonensem Sinarum Prouinciam Hainan insula, mo-
 ribus ab ea, quam mari disunctior, scire aueat lector quid illic Mar-
 chesius egerit, ad condendam nouam Christianitatem ante sexennium
 eò missus, quanquam & linguæ expertus, & ætatis ad eam docilis.
 Quod tamen aliud non liceret fratris Dominici Mendez lingua tres
 annos vsus, Benedicto de Matos, quod ceperat maiori auctu proue-
 hendum reliquit, qui deinde à quondam nauis Præfecto Sinensi, mari
 demersus est, anno 1651. nec enim fas fuerat Prouinciam integram
 illorum nudare præsidio, qui iuuare illam linguæ peritiæ poterant, vt
 fatisfaceret insulæ ad eam Prouinciam spectanti. Visum tamen conduci-
 bilis, opem ei aliquam præstare quàm illam quanquam protus haud
 fuit exigua quam Marchesius, & Mendez præstiterè, nam cœtus
 Christianorum fundarunt, diuersis in pagis quatuor Chiunceo, Tingo,
 Banca, & Luno, præter familias aliquot hac illuc seminis loco spartas,
 sacella statuerunt, & vbiicumque degerent Christiani cruces; nec de-
 fœe illis argumenta tolerantie ab aduersantibus Mandarinis, & Bon-
 ziiis. Renocato Macaum Marchesio, successit de Matos, cui Palme-
 rius Visitator Focuum, Fochiensis Prouinciæ, roganti, mutauit minus
 operosa insulæ Hainan statione. Chiunceum ingressus, in ædes con-
 cessit ex quibus negabant indigenæ exiturum vita incolumi, adeò illic
 spectorum horrore, strepitu, & feritate verberum dæmones sæuiebant,
 quæ illi terricula ethnicorum opportunum dedere campum de prædican-
 dæ crucis quam ipsi formidarent ac fugerent dæmones; & vero ex iis
 duo famosi oraculis quæ in duobus edebant simulachris, abire se palam
 falsi sunt quod eos cœli Dominus fugaret, vnus sanum ethnicis confer-
 tum, ea graucolentia infecit, vt iis moti ad septuaginta baptismum fla-
 gitarent. Regionem exinde percurrere, visere, hortari, nouos veteri-
 bus addere Christianos, Brancai maximè cuius suo aduentu, magno
 gaudio affectit incolas, sed multo maiori abiens quod nullum in iis re-
 linqueret

130.
 Hainan in-
 sula fructuo-
 se excol. &
 ob calumn.
 intermitti-
 tur.

linqueret ethnicum, & residuum illud quod Fratri Mendezio Christiana tradenti pertinacius obstiterat cessisset denique, ac manus dedisset veritati. Progressus Lunum per deuia, & obrupta quibus occultabatur pagus Christianos inuenit vsque adeo diuinorum rudes, vt essent à primis Christi elementis iterum docendi; se tamen praebebant audiendo, discendo, concurrente, diu noctuque assidui. Moniti verò ne se noctu saltem viarum praeuptis, syluis, torrentibusque committerent; & necessarias operas, interim omnino abiicerent, prudenti responso satisfacere indulgentius admonenti; cum paniculae milij maturae falcem, & manum vocant, se nec solem interdiu coquentem, nec vigiliis nocturnas, secando sentire, quod victum is labor, anni totius suppeditet, quo nec metere licet, nec messes recondere; esse haud paulò alacrius prospiciendum alendo animo; tu enim Pater aliò à nobis migraturus es propediem; nos nisi praeuertimus necessariam menti annonam colligere, ieiuni cogemur ab diuinis medium exigere, & defectam viribus miserè trahere pietatem, templum aedificarunt tanto basilicae magnificentia, & sumptu par, quanto aedificia omnia eius loci, longè illi imparia. Commissura ingens truncarum arborum tendebat parietes, quas omnis populus tam religiosa & hilari pietate vicina è sylua, seculit & tulit, nemo vt esset, quin manum cadendo, portando humeros commodaret erecto templo, palaeorum imponitur. Ornatus interior simplicitas vacua, inauguratur sacrificio diuino, & centum ethnicorum solenni baptismate. Postremo discessurus singulorum visit ruguria, iisque dum fausta precaretur ubique notauit assulam quatuor inscriptam vocibus Ieiunium, festum, dies Veneris, dies Sabbarhi; quam tabulam indictis diebus, Christianae doctrinae scientior, palam familiae proponebat, ad refrenandam cuique seruandi praecepti memoriam. Exibat annus tricesimus sextus, quo toto ad medium sequentis Hainenses iauit, & trecentorum & triginta baptismo laborem clausit. Cum enim se Christianismi proderet dignitas, & prodigiorum aslucta miraculis non modo plebeculam inopem, sed ex primariis etiam & Literatis sibi addiceret, tunc expergestieri Bonziji & rebus sub oculos, positus, desertionem suorum templorum futuram metuere, famae prospicere, quod eos praeceteris stimulabat, alendi subsidio: terrere populum columinari Patrem apud Mandarinos sollicitatae insulae contra Sinas, & affectati per speciem religionis, eius regni. Hoc se ab Diis, cauere admonitos, fore alioqui vt scro caueretur, pollere si quidem cantionibus magicis immensum Patrem, militum figuras ex cartulis fingere, quae ab eo difflatae mox humo surgerent in totidem milites cataphractos, posseque istiusmodi copiis, vastam planitiem die vno implere. Haec à Bonziis iactata, multo procliuus à populo credita, ventilata sunt Mandarinorum libellis supplicibus apud Praefectum metropolis, cui frustra fuit semel & iterum eos reiecisse, Patti vero de Matos amouere se ab eorum conspectu in pagos aliquos ubi liberum ei foret ministerio suo.

suo fungi. At enim illum quocumque pergeret antevertebat calumnia stolidi, & nusquam admittus Chiancum retruditur, ubi ad eius presentiam incrudelium accusationes; exilium ipsi à Præfecto bonis verbis indicitur; ut quid enim illie manere obstinaret, ubi nec aquis sustineretur auribus, sed neque oculis; sibi quidem non esse sat integrum vitam illi securam præstare, sed nec mortis illius edendam rationem in se suscipere. Nautis igitur commendatum, mense Iulio remisit Macaum anno 1637. Loco eius substitit Manuël Catechista in subsidium illius Christianitatis. Vir erat duorum & triginta annorum, & eiusmodi virtutis, quæ iure posset in religioso etiam perfecto suspici, & infensissimum faceret corpori suo hostem: annos septem Focci in patria, Catechistam pro nostris egerat, seque eam ob causam, & qui erat illius ambitus, ut admitteretur in Societatem, paternis abdicarat bonis, è peculiaria distribuerat in egenos. Dexteritatem eius, & ardorem in pellendi ad Deum ethnicis vel hoc solum demonstrat, quod mense quem vixit Patris discessit superstes, septuaginta septem fonte sacro lustravit. Vocatus tridui spatio ab vrbe, ad erudiendos de fide ethnicos, aperuit comiti se vitam cum reditu clausurum. Redeunti occurrunt ex proposito Bonzij (quorum propinquum viæ cœnobium) percontantur ex eo de cœli Domino, & quem cuperent amplecti, cultu eius audire; sub noctem, reditum vrgenti, amicam vim adhibent ut sibi aliquid ante discessum sumat, quòdque præter suum morem id esset, admodum inuitum cogunt esculenti cui venenum miscuerant, paucillum edere. Incessu in caluit prima veneni vis, & cum in urbem pervenisset, comiti denuo confirmavit, se quinto post die obiturum quod vti prædixerat Augusti vicesimo euenit, cum vnas Focum ad parentem; Macaum alteras ad P. de Matos dedisset literas; iam de reditu Matos in insulam, conuersionibus infidelium ab eo factis, calamitosa morte, & successoribus in ministerio non sunt huius temporis argumenta. Reddo solum hic pauca quorum sum debitor, ex rebus Sinenfibus vltimi huius bidui selecta.

Lepidum est quod Fabro contigit pagos Scensianæ Prouinciæ peragranti, occurrens anus præcedentem silit, & Deo, inquit, Pater! visum est, desiderium consolari, quo videndi tui maximo tenebar, impetrandique ex te pro magna gratia facultatem moriendi. Lucis huius & satur, & post tantum annorum fessa sum; suggeri mihi nescio quid interius sentio quod monet adesse profectiois tempus. Subridens Faber ex ea quæsiuit, cuius ætatis esset? illa, centum, ait, & quindecim annorum (quod non aded mirum inter Sinas) par tamen tunc etiam leuibus ruris laboribus; facili præfagitione diuinans Faber quod futurum instabat, audit eam ibidem de peccatis ritè confitentem, & opportuna tunc animi comparatione ad mortem præmunit, illa suavissimè affecta post faustam eius adpreceationem, casulam repetit, & postridie moritur, non alio quam ætatis decrepitæ insanabili morbo.

S S I I

131.
Catechistæ
mors & vita
sanct.

132.
Diuinæ præ-
dest. fing.
exempla.

Mirabilior in alium æternæ ad vitam destinationis beneficentia; casu incidit in eum Faber, dum Iamhienses percurrit pagos. Videri stomacho tenus demersum aquis, è ripa hominem; labenti ceruice, defectum, moribundum, sciscitatur comites, quid illi factum; quid illic ageret? ecquid iuuari posset? Respondent esse insignem reum, & multorum criminum iis aquis damnatum quoad infelicem animam longa morte in eo flumine mergeret; ossa illi prius obtritris pedibus, & cruribus confraeta; post semianimem in saxo & amni compositum, ut si quis misertus panis illi frustra proiecerit, vitam extrahat in malis, morte quavis peiorem; sin autem, fame, frigore, comminutorum dolore ossium absoluitur, & aquis sorbeat. Ad hæc Faber in cœlum suspiciens & illam à Deo petens sibi donari animam, in aquas subire, de Deo, salute animi sempiterna, & Christi lege cum eo agere, quantum præsens poscebat necessitas, quibus felix infortunio suo reus, pleno fidei assensu conceptis, & acerba idololatriæ, ac scelerum in quibus annos traduxerat detestatione, fluminis eiusdem baptizatur aqua, statimque prope à Fabri discessu moritur: mira quoque sed modi alterius solutissimi iuuenis ad frugem reductio, offensionem erat eius vita & de se sermones etiam ethnicis præbebat. Hunc sodalis quidam ad sectam inuitat cuius erat alumnus, tribus illam tantum præceptis obstringi, quibus foret in hac vita sanctus, in altera beatus. Ain' tu inquit iuuenis, tribus tantum? at ego effrenis, & fera sum bestia, quam decem catenis ligari opus sit. Erat hic haud procul à metropoli natus Honanz Prouinciæ, vbi Figheredus quam strenuæ tam sterili operæ insudabat; casu illum iuuenis audiens, decem Dei præcepta exponentem, memoria repetit tria illa quæ amicus sodalis suaserat; & decem quibus sibi dixerat opus esse, quorum explanatione ita delectatus, & edomitus est, ut ex aquis vitalibus, in optimum renasceretur Christianum. Quod sequitur pueri dictum est quo tamen is amor non parum eminet, quem inter Christianos fraternum, & intimum Sinenses mirabantur, visibat amicam Cechianensis mulier, & quem cum illa repetit trimulum suum interrogauit blandiens, de nomine, Clemens nominor, inquit puer; ergo; infert mulier, Christianus? & sum ego pariter Christiana. Ergo subdit versus ad matrem filiulus; comiter illam & liberaliter habeamus, cognata si quidem nobis est, nôisque Christiani, filij Dei omnes sumus, quibus pueri verbis emollita mulier, & viræ laxioris pudore salubriter icta, festinauit ad P. Ferreiram ut confessione sacra illam expiaret, & reuocaret in melius. Nolim hic egregium factum adolescentum duorum interire; alter mensium paucorum Neophytus, ieiunium maius suscepit obeundum, vna in die refectio corporis, vnoque ortivæ alimento aqua macerato Sinis valde durum quibus mos est quater in die comedere, conspicatus illum Alenius vixque pristinum eius agnoscens colorem, & vultum; interrogauit, an & cuius nodi seruaret ieiunium respondet adolescens se magnam quæ iam abierat quadragenarij

quadragenarij partem Dei, gratia debellasse, modumque ingenue falsus est; monitus ut piscem, & olera orizæ adderet, quod nec ætatem attingisset ieiunij obnoxiam legibus, nec illud Ecclesia, cibi tantum vnus ætastet singularitate, fleuit primum, post ah! Pater, inquit Redemptor innocens dies quadraginta in deserto, nec orizæ admisit granum nec aquæ stillam; ego peccator, delicias scilicet, olus, & pisces edere sustinebo cum possim esse oriza contentus? quod ea dolentis animi teneritate protulit, ut non suffecerit Alenio mutatione vlla suscepti ieiunij iuuenem contristare. Alter desperatis ad palmam aliquam studiorum ingenij viribus, Catechistam se Alenio dederat; recurrente vix inde sesquianno, eadem studendi prurigine, filiusque se laboris improbi assiduitate, superaturum tarditatem ingenij, rogauit Alenium, liceret sibi bona eius cum venia abire, & studia omissa repetere: assensit petenti Alenius hac lege, ut se prius ad aram Deiparæ sisteret, cui erat mirificè addictus, ab ea veniam posceret abundi, vel quod præmitti decebat, consilium: & si ars dæmonis hæc esset auxilium ad eam profligandam; iur, orauit flexis coram eius effigie genibus, fixisque in eam oculis instat; inde velut hausto interius responso in cubiculum reuersus, libros, scripta, & quicquid ad studia spectaret, saxo colligata in profluentem misit vnæque studendi cacohetes, quo retrahebatur à præstantissima diuinæ gloriæ procuratione. Accedat vltima dictis euentibus, histronia vaferrimi Dæmonis qui se pagis Cianseij Prouinciæ Nanchinensis, pro bono genio insinuauit mitis modis: erat ex iis vnus qui diuinationes veneficis dictant, & manu inuisibili penicillum ducente iis scribunt oracula; quandoque igitur, petente nemine ad viuum expressit antiquissimi cuiusdam Sinesium Regum effigiem, quam in ara locatam, ethnici iam decreuerant adorare, cum idem motu, manu latente, penicillo scripsit, meam hanc nolite adorare, sed Taciu, hoc est Domini magni effigiem, cuius vocabuli cum nullum ethnici haberent simulachrum, interpretatus est Christianus, iustum adorari Christianorum Deum, perlatamque illuc Saluatoris imaginem, statò cuiusque hebdomadæ die promiscuè ethnici cum Christianis adorabant, hinc Dæmon tam cæceos ad præbendam monitis suis fidem, confidentiùs inescare, scriptis eodem penicillo monitis frequentare hortari ad mane furgendum; recitandas preces; emendandos mores, quorum illis vitia obiectabat, sedulam denique animi sui curam, quam bono Angelo cordi esse ambigebat nemo, quem ad se diuinitus missum in sinu gaudebant, velat prærogatiuo dono cæteris negato fidelibus. Patrefacta deinceps secura ad fraudes etiam crassissimas via, scripto mandat ad confessionem integram omnes se comparent, Philippum Apostolum (quo notabat die) cælo adfuturum, excepturum peccata quæ illi secreto committerent, ille nec aspectabilis, nec audiendus absolueret. Quibus ad amissim tanquam amplissimo, & cælesti perfunctis iubilæo, carnifex histrio, in subiecta ad excipiendum oraculum car-

133.

Fraus dæm.
contra con-
fess.

ta, mouet magicum penicillum; confirmat præsentem Philippum adfuisse, audisse peccata, cumulatissime soluisse, exequendam profus eorum memoriam, nedum sollicitudinem confessionis iterandæ, quod tantò præstaret apud Philippum quam Patrem confessio, & quantò cælestia terrenis. Cuius oraculi gaudio, duplo quàm prius infani Neophyti, voces falsa lætitia ebrias in cælum tollere; dæmon audaciùs in præscribendis monitis pergere, & probis, impia, & improba miscere. Redibat Sambiasius ab excursionibus consuetis, cum ad illum has strophas circumforanei Lemuris, & diabolicam fabulam ab ovo totum Christianus defert religione tactus, & confessionis illius tacita diffidentia anxius. Conuocatos Pater simplicitatis stolidæ, & stultæ obiurgare; docere quot se in fraudes, & crimina induissent, quis esset cui aures, & mentem dedissent; quàm sacrilega, & inanis confessio qua se putabant purè lotos; hortari proinde, illam apud se iterarent, non mente solum, sed verbis etiam & disertæ culparum explicatione, quod ubi est ab iis præstitum fatuitatem suam magnopere verecundantibus, tunc demum persona deposita, furere in illos nequissimus spiritus diras Sambiasio peccati, minari omnia, qui se Magistrum respulissent tyrannum habituros, sed in auras hos fumos Dei clementia discessit, nihilque eorum quæ tanto fragore tonabat perficere valuit.

134.
Quanta ex
Tunchino
messis hoc
triennio.

Quanto interea prouentu Tunchinensem agrum nostri coluerint dici breuiter posset, si de summa rei, momenta partium sat possent intelligi; hoc illi triennio quod mihi superest narrandum, ethnicorum millia triginta vnum octingentos, septuaginta quatuor, Ecclesiæ dederunt. Erant tamen annis prioribus operarij tantum septem, Patris Mauri defuncti vices obière Thomas Rodriguez, & Ludouicus Pigneros, illuc incunte anno quadagesimo peruencti, solo nihilominus beato infusa cælitus à Deo fecunditas, operariis tam paucis, nec statim initio ad eum laborem admodum instructis, messem protulit adeò copiosam. Præter numerum eorum qui Christi lauacro tincti sunt, vix aliud suggerit annus tricesimus octauus. Venit illuc Macao Inspector P. Ioan. Bapt. Bonellius, & officio defunctus, Augusti duodecimo ad Laos proficiscens, nondum Regnum ingressus quarto Nouemb. obiit, aquarum vt creditur potu mortifero, quas vnas suppeditat, interiecta Tunchino, & Laois horrida solitudo, & itinere dierum octoginta quatuor æstuosissimo. Nouum in Tunchino relatum cadauer, illic sepultum est. Prope item fuit vt iactura ingenti, P. Hieronymo Maiorica Tunchinum orbaretur: Rumum appulerat ad mercimonia, prædonum magis Sinenisiam quinquaginta, quàm meteororum turba, illic ad negotium morantur, vident Christianos pridie cinerarium in templum cõtere, ad inuendum sacris mysteris ieiuniorum cursum; concurrunt & ipsi promiscuè, non quidem animo spectandi, sed irridendi peregrina. Iis vt exirent occurritur, reluctantibus adhibetur aliqua vis, inde ad clamores, & ad manus venit. Accurrit Maiorica, suos auerit

rate, Sinas precibus sedaturus; quod dum maximè conatur. Horum vnus prehensum, malleo ferreo cedere; tundere, & ingeminare ad ictus singulos sua lingua Deus Deus, in religionis, eiusque ludibrium: quare hic, & religio, & ira, Christianos, obnitente licet Maiorica, in defensionem, & arma expedit; petulantes extrudunt; aliquos vulnerant; vnus nocte sequenti ex vulneribus moritur. Sed die postero armati redeunt, templum deiectis foribus expilant, profanant sacra, Sacerdotalibus induti mimum de Maiorica faciunt, eius cubiculum aliqui subeant, interfecturi nisi absuisset, diripiunt quicquid illic inuentum; templum denique quod erat tralatitium, magnam partem euerunt, gratulatique demum in Christianorum domos, cum præda naues suas petunt. Absolutis Præfectus Christianis, mortis sententia damnauit Sinenfes, & præsidio militari exarmandos, vinciendos, & Regi sistendos mandauit; quam ipsis vindictam hominum non fuit difficile per noctis tenebras velis & remis effugere; sed assecuta est illos paulò post diuina. Eorum quidem naues erant, nauium onus sanè diues, octo Batauorum, haud certè multo melioris ad fidem Catholicam frugis, quam ipsi ethnici; hos Sinæ largo ad soporem inebriatos potu, tanquam pecudes iugulant, & mari sepeliunt, inde prædam inter se partiti, tribus nauibus, seticum imponunt, in Cambogia, Cœcincina, & Fochiensi Prouincia diuendendum. Vbi suo quique condigno præmio sunt affecti. Priores duo, rem, nauim, libertatem in seruos abacti amiserunt; Fochienses capti, torti, confessi Batauorum necem, & sacrilegas in templum, & Maioricam iniurias luerunt. Maiorica verò duobus his vltimis quos percurro annis, vitam sibi à Deo seruata magnis exaggerauit meritis, & incremento illius Christianitatis. Neophytos annus trigessimus nonus ducentos triginta quatuor supra duodecies mille Christo dedit, ex iis Maiorica pro vitili sua, quadringentos septuaginta duos sibi supra bis mille vindicat, sua ipsius manu baptismo lustratos; anno insequenti ex decem millibus quingentis septuaginta Prouinciæ Tignœ, ad eam totidem spectarunt; illic certè dierum spatio quindecim ethnicos lustrauit trecentum quinquaginta. Incendebat omnia quocumque iter, ibat autem quocumque lucis aliquid affulgeret, conuertendi ethnicos, vel Neophytos iuandi. Et fuit cum æstiuos ardores, confessionibus audiendis in tugatio traduxit, vrentibus folibus peruiso, vnde illum subinde ad anhelandam liberiozem autam prodire oportebat, tamen calentibus radiis vaporatam. Erant hæc planorum infima ex quibus matoro excessu, præuertendæ erant eluisiones montium, vniuersam planitiem mensuræ. Tunc verò Maiorica Septembri redeunte montium edita, & aditu aspera obibat, quamuis & ipsa tum aliàs periculis consita, tum recursu tigrium metuenda, quas inundatio in sua cubilia retrudebat, sed hæc possunt tolerabilia videri ad ætumnas quadragesimi huius anni, quo non temerè affirmasset reuiuiscere illum quotidie, quod quotidiana vitæ discrimina Deo seruata exiret incolumis. Ea tamen inter

hæc illi affluebāt animi voluptates, vt nullis molestiis corporis ab agendo, & laborando tardaretur. Quocumque iter destinasset, impatientes morte pagi, ex longinquo illi occurrebant, tanta multitudi- ne populi vt suspicio- nes veritus Præfectorum, sponderet se certo ad eos venturum, operiren- tur tacite aduentum, nec se interea loco suo mouerent; ex propinquo nec via genuum tenus per lutum calcanda; nec si flumine ferretur, tempus præteruolanti nauigij incertum ab occurſu illos prohibebat; ripas furſum deorſum obſidebant; conſpecto illo exiliebant in amnem mento tenus, vel vt eum primi ſalutarent, vel ferrent ab eo diligentia præ- mium de illius manu, ſacram imaginem, coronam Deiparæ, aut cuiſ- modi aliquid; contigit vt ſemel ad paruam inſulam, ſeu fluuiatile vit- getum applicaret vbi ſe notum putabat nemini, totumque mox locum cimbris coronari, quâ baptiſimum, quâ conſeſſionis copiam eſſagitan- tium. Mari quoque in loca tranſmiſit, ab diſceſſu Rhodij deſerta, propeque oblita Chriſtianæ institutionis; & auditus eſt à multitudine tam denſe in littore diſtenta, vt reducta tantisper in mare nauticula ad eos concionaretur. Conſolari portò afflictoſ Chriſtianos, calamitates fortium audire, & cernere; lapſus erigere infirmorum, & ſemirutam fulcire, ac reſtituere pietatem, vbi pax aut induciæ ſincerent, addita- mentum erat, & corollarium ponere continuum ad quotidianas ipſius occupationes; vbi verò Præfecti & populus arcebant illam affatu, & aditu, cauebat prudenter Neophytorum periculis, quæ sæpè grauiffi- ma è vexationibus publicis oriuntur, ſubductaque in vicinas latebras habitatione, inde illis opitulabatur. Præter Engheanam, & Tignoam, Prouinciæ quatuor Chæcio confines (quibus nomen dedere quatuor orbis plagæ) excolebantur ab duobus Patribus magno fructu, ſolâque illorum carebat laboribus Prouinciæ pars ad Cocincinam ſita, quæ olim Magiſtris Rhodio, & Marchefio, deinde Pontefio, læta floruerat vber- tate, nunc turbarum metu, & ſeditionum Baltazarem Caldeiram, ed- miſſum, inde Catechiſtam eximium, acceſſu omni priuſ excluſerat; & ſpes eluſerat à Præfecto datas qui conuerſus ad Chriſtum Patrem po- poſcerat à quo plenius doceretur. Sex aliis Regni Prouinciis Chriſti nomen, magnis fundebatur profectibus non modo neceſſariæ obſerua- tionis, ſed accuratiſſimæ virtutis: multos Pœlix Morellius in aſtrali, & occidentali Prouinciis ed prouexerat, vt ſpiritum ſanctum ſedere in eorum cordibus Magiſtrum crederet, docentēque illo, cum prehendiſſe apicem pietatis, ad quem magiſterium humanum fruſtra per ſeſe nite- retur. Idem ſub medium anni 1640. ſeptuaginta obiuit pagos in Pro- uincia Engheana, pulchra omnino & lecta digna, geſtorum, & per- peſſionum hiſtoria, niſi officeret præſtantiæ rerum prolixitas. Lancai tantum meminero; pagus eſt capitum ferè quingentorum. Illic Chriſti natale celebratum eſt magno apparatu religioſiſſimæ pietatis, ſed vicin- nis ex pagis ad celebritatem tria millia numero acceſſere. Itaque Patri cuidam illac iter agenti, occurrere paſſim familiæ integræ, conſpicuis omnes

omnes è collo rosariis, victus commeatum humeris gestantes qui ad Christi natalem quarridui spatio, eoque impedivissimo convenirent. Aedes sacræ tres ibi contiguæ solutis quæ illas diuidebant mobilibus parietibus in vnam collectæ, vbi omnes ritè de peccatis audiuit, quingentos facto impertit epulo; triplicem habuit post eius diei sacrificia tria concionem. Ex ea vero qua illos vt diximus, Patres imbuerant fraternâ charitate, fas erat nemini dùm iter ageret meritório vti hospitio, suspicionem alioqui facturo fidei vacillantis; fas quoque nemini, hospitalitatis mercedem admittere, præter meritum charitatis, qui mos habebatur ad eò inuolabilis vt diligentia aliquid, Christianis fuerit præferendum ad discernendos ethnicos qui Christianismi simulatione aucuparentur eorum hospitia; non debere tamen sibriliùs & sagaciùs explorari, quòd tam ingenuæ benignitatis experientia persuaderet multis legem Christianam, quos nec rationes illi subigere, nec miracula valuisent. Ea quam memini celebritatum frequentia, & lucris ethnicorum quibus Morellius suorum augebat numerum, frementes Bonziji sequaces suos defluere, Præfectum conveniunt, dolenter exposcunt cantionibus magi peregrini, totum sensim seduci, dementari, & destrui Regnum, nec posse hanc ruinam, pulsis quibus eatenus steterat religionibus, & Diis declinari, si pergere in iis exturbandis scelestus externus sineretur. Audiebantur à Præfecto patientissimè, multaque hilari excitabantur ad audendum; dixerant, Præfectus assumpta sua gravitate, laudat religiosam mentem, qua sibi constabat feruere illos ardentius quam quovis magnorum virorum. Cæterum nihil causæ fuisse quamobrem homines id ætatis, dignitatis, auctoritatis, & magistris relicti cœnobiis in palatium venirent, & hac se molestia fatigaret, quando tamen id illis ita fieri placuisset, seipsum quoque cum nobili circum adstantium corona (hoc est litigantibus, & eius Prætorij ministris) iucundè recreatum iri, nouo aliquo virtutis illorum theatro iubet ergo illos trifariam, & erant triginta, diuidi primam decadem in chorum saltare; luctari alteram inter se, tertiam cantare. Fuitque iussis vellent nollent parendum absque mora cum præsto essent arundineci illi virgatores nequaquam officio in resitantes defaturi; solusque à puero Bonziji, corpus tetrica collectum modestia circumferre, palatram illam obière cum lato spectantium & longo risa, multata in hunc modum eorum perfidia, laudauit eos magnificè Præfectus, remissitque in sua cœnobia quiete reficiendos quam erant promeriti. Fecit autem hæc litis, Morellium inter & Bonzios diiudicatio, vt intabescerent Christianorum prosperis Bonziji, silerent tamen, & mouendis turbis abstinerent, apud alios vero probitatis & veritatis Christianæ constabilitetur & cresceret existimatio. Certè palam vbique fatebatur liquere sibi miraculis, quorum fuerant ipsi testes, & rationibus quibus obstare non poterant, aliam non esse ad salutem viam præter Christi legem, se tamen ab ea deterreri, quod baptismo sacratis, pondus virtutis incum-
bere

bere cernerent, cui se ferendo sentirent impares, & qui ab ea in pristina vitia vel ciuratos errores deficerent, terribilibus exemplis id luere. Pagis nihilominus quibusdam tentata est grauius generositas Christiana, Chegæ bonorum spoliatione, ruina domorum, probrofo iugi supplicio nudis ad vrentes solis radios capitibus, populo insultante, obtendat vobis umbellam nubeculæ vester Deus, si cœli est Dominus. Quibus hilares Christiani, remissionem coquentium radiorum, & perpeffionum breuium æternum & beatum finem aiebant se lætis oculis in cœlo spectare; Chemuam maluit totus Christianorum cœtus deserere, vita dumtaxat salua, & suspensis de collo filioliis, quàm vnus è Reginis statuum venerari quæ ædificato sibi templo illic volebat adorari. Alibi Paulam fortem heroinam, adstrictis in digitos suspensam fidiculis, inter plebis insanæ ludibria, & cruciatus manuum tamdiu tenuere, dùm de reuellenda ex eius animo Christi fide vndique desperassent. Virgines à procis potentibus in secundarias vxores inuitatæ, stricto gladio maluerunt, quàm nefariis nuptiis ceruices subdere; nihilque in illa Christianitate mirabilius stupebant ethnici, prærogatio castimonie splendore, quo adolescentes ætate, ac viribus feruidi, etiam humana ignorabant quæ solent inuitis interdum contingere. Virginitatis votum quod paucis & diu probatis dabatur edere, complures flagitabant. Viduæ tametsi iuuenes, auersabantur secundas nuptias, nisi adigerentur ad eas necessitate insuperabili, dolebant aliæ Christi fidem sibi serius illaxisse quàm ipsæ nuberent, alioqui se iunioribus virginitatis gemmam haudquaquam inuisuras. Religione demum tanta cultodiebatur gemmæ huius nitor, vt viri feminis emptorum pretia nisi timide in manus non traderent, tati secluso quoque manum contactu, approximationem illam, Christianum haud satis decere. Atque hic mihi Tunchinensium rerum finis; in quibus operarios omitto septem, præcedentium laboribus, & pretiosis ærumnis successuros, octauus hoc anno moriens Iosephus Maurus Daleisiqua Genuensis, quas sui fecerat præclaras expectationes Tunchinensi Ecclesiæ abstulit; cui Christianissimum plus mille seu pagis siue oppidum consitum & suis coalitum, & coherentem radicibus gratulor; vbi præter dæmonum cultum, & quam secum is infert colluisionem omnium scelerum ante annos tredecim nihil erat, de Deo, salute, & anima nihil. Gratulor trecentas quadraginta ædes Deo sacras, eiusque cultui, & fidelium vsui constructas, gratulor denique Christianorum millia nonaginta tria, qui postremis ab hinc viginti annis, nostrorum industria laboribus & patientia ad trecenta quinquaginta millia pertigere.

134.
Castit. pretium apud ethn.

135.
Fames petis, prædones, Sines populantur conuersiones locupletant.

Hoc eodem Sinas anno 1640. non vastauit clades quæ illos terruerat. Fochiensis Prouinciæ Dux quidam bello clarus & fortis, proffigatum ex parte in fines suos Tartarum retrusit, verum bello quouis immatior, & lamentabilior strages triplex à fame, peste, & prædonibus imperium prostravit. Depopulata est aquilonares eius Prouincias fames, nullis

nullis vnquam seculis audita vel lecta; non parcebant infantibus matres, Futradus, Prouincialis vices illic agens dùm Pechino redit, vidit quotidie viginti hominum aut viginti quinque cadauera, per vias publicas à famelicis laniari, & crudis carnibus vorari. Nec famis rabies efflandi spiritus moras miseris indulgebat; moribundis, & abiectis iniiciebantur minus, & cultri adhuc spirantibus. Etiam Pechini, vbi publicè in macello humanis carnibus pretium ponebatur, quem horior huius cibi, morte grauius ab eo auertebat, ferro, venano, aut laqueo, absoluebat sese; tamen Pestis excepit eiusmodi vrbis vnius porta vna, (est autem Regnum, si vsquam aliud orbe toto, ciuitatibus confertum) efferrentur bimestri spatio septemdecim cadauerum millia suis conditoriis decenter composita; cæterorum verò quibus arcæ deerant sepulchrales multitudo innumerabilis, confusis partim fane-ribus in fossas proiecti plebeiis communes, aut fluminum alueis conditi. Tertia Sinis calamitas ab exercitibus prædonum illata est, nec enim iam manipulatim, per phalanges vexabant imperium, sed iustos ductabant exercitus suis distinctos Imperatoribus & signis, præ quibus mite videri poterat quicquid incendiornm cædium, Tartarorum edebat crudelitas. Suorum atramen suspectæ fidei, eorum expugnationem prudenter committere nequaquam Rex poterat, quòd in hostis conspectu, eum explicari cœpissent in ordines, occisis repente ducibus in latronum copias transirent, & nouum latronum conflarent exercitum. Hoc rerum statu tam lachrimabili & in ruinam prono fuit nihilominus Deo singulariter fauente, propagatio fidei, si vnquam, felix; Societatis nostræ gratia apud Regem mira; Regis in Deum veneratio nunquam maior. Septingentos imprimis Sambiasius Nanchini, Hoaingani, & Ciancij vrbibus baptismo lustravit; Stephanus Faber, & Ignatius de Costa quingentos supra mille in Prouincia Scensiana; variis excursionibus Brancatius, & Granina mille ducentos quadraginta quatuor; Nimpi Montetus quingentos sexaginta. De cætu illo admodum numerofo quem in Prouincia Honana, Figheredus Christo collegerat, vix ei decem calamitas publica reliquit superstites, ipse fame tantum non periit. Fortunauit Deus Buglij sementem nouam in Prouincia Saciuensi; Longobardi non item in Sciantunensi quod impentrabiles in eam aditus latrocinia fecissent, ex quo præterea euenit, vt missionum omnium iniri non potuerit prouentus certior, quibus nostri operam dederunt. Patrum deinde gratia apud Regem; existimatio Christianorum rerum, & veneratio eiusmodi fuit, vt toto imperio prædicaretur verè Christianus, etsi nondum aperte id profiteretur. Ortum habuit ea res ex fortuito aspectu pithaulici organi quod eius auo Vanlieo dederat Riccius ante annos vndequadraginta; cepit Regem cupido eius audiendi, & intelligendi adpictam illi Epigraphem *cantate Dominum cantum nouum*. Deferri mandat ad Patrem Scial, qui organi fides ad concentum suum reduceret, & inscriptum, ei elogium Sinensi

T T t t

135.
Regis erga
pp. & legem
Christ. affe-
ctus.

lingua interpretaretur; occasione tam procliuu censuere Furtadus, Longobardus, & Scial, qui simul adetant, insinuandum Regi aliquid amplius de Deo, eiusque lege sanctissima, verum id modo tam habili, vt vitro pelliceretur ad legendum, quod aliter ne aspectu quidem esset dignaturus. Inter dona quæ Bauariæ Dux in Sinas miserat, quibus Regem, eiusque Ministros conciliarent nostri, rebus Christianis; liber erat ex membranis Concinnus quadraginta quinque, referentibus Christi vitam, opus doctæ manus aded absolutum, vt ex clero Vlyssiponensi vir picturæ amans, mille aureos pro eo obtulerit, præter libri ornatum Rege dignum, interiectæ picturis paginæ illas explicabant aureo caractere, quam P. Scial explicationem, aureis pariter literis Sinensi sermone margini adscripsit. Visum Patribus huic libro tabellam addere extantibus è miniata cera figuris repræsentantem adoratores Magos ante Christi præsepè. Quod Regis personæ peculiariter congruens, aptumque mysterium, paulò fufius explanauit Scial, quam foret necesse ad nudam eius intelligentiam, & Septembris octauo, hæc omnia ad eum misit, cum libello (qui Regi oblata munera semper comitatur) meditatio diu, sapienterque concepto. Audierat Rex de donis & ad ea spectanda tres vxores Reginas inuitarat. Et ecce priusquam quicquam attingeret, manus lauit; euoluto dein quibus tegebantur attalico, & aperto libro, ad excellentiam pictarum imaginum hæsit stupefactus; tabellæ potissimum adoratorum Regum, non sine aliquo boni sensu, & veri lumine; nam versus ad Reginas & monstrans digito Saluatorem; videtis, ait, hunc infantem? pro! quanto est Feo vestro maior? (erat hoc regni primarium, & Princeps idolum) hic vero, vnum ex magis indicans, quanto inquit sanctior illo Rege? quem ex antiquissimis Sinarum Regibus nominabat sanctimonix gloria celebratissimum. Post in passus aliquos recedens tum is, tum suo cum honorario gynecæo Regina tres, reuerenter adorauere Saluatorem; Regressum ad imagines otiosius spectandas, interpellauit ex Reginis vna, earum aliquam sibi daret quam veneraretur, & repulsam tulit, sed eius vice, Deiparæ tabulam accepit, Regi quondam Vallieo à Riccio datam. Perisse vero non alia mente quam religiosa imaginem, ostendit quod honorarias duodecim puellas suis in palatium ad lectas, cum Christianismi accusarentur apud eam benignè increpauit, quod se timidiùs id celare tentassent. Securæ de cætero sui essent, ac per se pergerent esse Christianæ, vitamque ducerent Christianismo minime decolorem. Postquam autem Rex pia voluptate sacratum imaginum expleuit oculos, reponi eas in aula imperauit, quod magnarum virtutum cognominabatur palatium, vbi die sequenti cum Reginis priuianas proclinationum, humo tenus, adorationes repetit, & nolens easdem icones à familiari abesse cubiculo in quo pretiosarum rerum peregrinitate infinita consueuerat laxare curas, in illud transferri eas iussit, vbi eas visebat crebriùs, & venerabatur, legebatque sacrum Euangelij

Euangelij textum Sinenſi ſermone, & Magorum Regum adiunctam tabulæ explicat onem, quæ breui ſumma Chriſtianam doctrinam ita colligebat, vt prouocaret magis ad vltcrius quærendum, quam vt expotis fatiaret. Hinc ille legem Tienciu, hoc eſt Chriſtianam, videri ſibi veram, ſed eam tam breui compendio non ſatis capere. Quare P. Seial felicitauit in Catechiſmum illam diſtendere quem Regi offerret ante hunc annum deſinētem: tam ſecundos rei Chriſtianæ fauonios dum tentat auertere Literatus quidā Fochienſis & vlcifci quo ſe læſum putabat ab religioſis quos in Philippinas vnde aduenerant, repulſos narrauimus; libellum Regi dedit accuſationes intorquens duodecim atroces aduerſus legem Chriſtianam, & Alenium, eius in illa Prouincia ſatorem: libellum Regi legebat Eunuchus, qui ſuoſpte vel malo genio, vel alterius inſtinctus ad vocem legis Chriſtianæ, ſupercilium contraxit, & horrorem aſſimulans quendam; prohi! quam ſcelerata inquit, iſta lex, nec vltra effatus, Regis aſpectu ſic ſideratus eſt, vt fuerit ab eius oculis in perpetuum amouendus. Reſcripti vero diſerta fuit ſententia, quor accuſationes tot obſurda libello contineri: Mandarinum ex aula exceptit durior, & probroſior pœna, auſum enim ſatyricum aliquid & mordax Regi portigere in Religionem Chriſtianam, & Patrem Scial, tribus verbis reſcripto conſixit quæ vitam illi præ incerto, ſactura erant minimè vitalem, nec iis contentus raptari mandauit in carcere, vt iudicia tormentis purgaret quibus ſtandum, & latrocinij violenter premebatur. Hanc Regis in Patres beneuolentiam, propenſionis & reuerentiæ in Chriſtum grandi ſuo bono ſenſere Prouinciæ vbi-cumque eſſent Chriſtiani. Vidit vrbs Regina Pechinum, quod nunquam viderat ſex tribunalium præſides qui totam ſuſtinent imperij molem, tota pompæ ſolennis maiestate ad templum noſtrum procedere, & Redemptoris effigiem quater humi proſtratos adorare; videre vrbes primariæ multis locis, idem Mandarinum, & Proreges præſtare.

Colaum habuit Cechianenſis Prouincia virum magnum, & Religioni proferendæ cui adlaborabat illic P. Viua tam potentem, & ſolertem patronum, vt Dierum aliquot ſpatio, ſupra centum, tres & quinquaginta baptiſmo initiarentur. Literati ſere, & viginti ex ipsis iam gradum adepti; eminebat in iis Mandarinus, ſcribendi, & agendi fama in paucis clarus, & venerabilis, ſibi tamen aded humilis, & ardens ſtudio animarum, vt ſe Viuæ in Catechiſtam daret, magnoque id ſibi honori duceret. Fochienſis dumtaxat Prouincia conſciebat Alenium reparandis quæ infeliciter luxarant quos illuc aduectos ſcripſimus ex Formoſa. Centum viginti tres, ægrè lucratus eſt, cum antea facilè ad nongentos luſtrandi pertingerent. Sed illum grauius tenebat anxium futuri metus, ne nouam ſidem ex Formoſa, impetūque eodem moli- rentur expeditionem, & quod erat ſuperſtes de illa Chriſtianitate funditus perderent. Quem eius timorem non parum leuauit Frater Franciſcus de Aſcalona qui Foceum appulſus ex tractu Foganenſi, & tecto

paupere ab Alenio exceptus, expertum se ingenue fassus est inanem ab iis operam in Sinarum cultura locari, qui non essent, & linguam illorum, & characteres bene docti, victuique ac moribus assueti; se quidem Manilam, vnde conscenderat redire; dolere se, sibi & aliis post confecta nobis, & Christianitati illi damna, tandem nimis sero perspectum fieri, quam esset diuersè ab eo quod longè diffici censebant optimum, iuuandis Sinis insistendum; non esse impetu tentandos, & impressione vnius diei; dexteritate opus esse, & cunctatione, quodquæ diuturni est rum vsus tum temporis experientia hominum, & rerum quæ sunt eius imperij propriæ, quæ distinctè in hæc verba conclusit, si viam aliam Societatis Patres ab ea iniissent, quam constantissimè tot annos tenuerunt, hodie nec Patres, nec Christianos haberent Sinæ.

136.
Mores illu-
tr. oper-
torum.

Iam parva hoc anno, quem mihi historiae vltimum præfixi, Ecclesie lucra, & Societati, sequitur iactura; sic mortem nomino triumplanè insignium, & excellentium operatorum qui vastum illius Ecclesie campum suis sudoribus in omnem frugem eduxerunt. Cataneus annos sex, & quadraginta; quadraginta Mendesijs, triginta quinque Vagnofius, Cataneum Hancei mors nobis eripuit Ianuarij vndecim-cesimo. Szanzæ ortus ex nobilitate primaria, post annum ætatis vicesimum Societati nomen dedit, iamque inde totus ethnicorum salutem ardentè anhelans, literarum, & precum crebritate ab Generali Præposito expressit vt nauigaret in Indiam anno 1588. Goæ paulum moratus; stationes oræ Pilcarie à S. Xaferio institutas biennio rexit, vbi experimentum sui præbuit ad luculentum & multiplex, exorbenda potissimum difficultate linguarum quarumlibet, vt ad illam Sinarum grauissimam expeditionem mirè idoneum iudicarent omnes. Illuc igitur arte atque industria cum se penetrasset, anno 1594. durauit ibidem ad sexagesimum ex quo Societati se dederat, octogesimum ex quo natus erat: Huic præter illa quæ nihil attinet iam dicta repetere, prope omnis debetur felicitas continuati negotij, quod Riccius coeperat; illudque imprimis consilium Macai approbatum, eximendi se ac nostros à communionem infami, & propudiosa Oscianorum Bonziorum, & Taosiorum, qua illos talaris, tonsura, rasus capitis vertit x, & mentum imberbe, opinione omnium inuoluebat. Hinc omnes à nobis refugere, omnes incessere; nostri, ædium nostratum, amicitia; ostia pudor, & odium, velut externorum, quos ab iniuris & hostibus non distingunt, quoad cum nostris Cataneus induit Literarum & professionem nobilem Literati, quales planè, illorum etiam in scientiis clarebamus. Illius habitus honorifica grauitate in Sinas quodammodo renati, forte tunc egimus in infinitum meliori, & in posterum magis tuta. Ipsique ex ethnicis amici, probè gnari hoc vnam à nobis satagi, vt pulsa Deorum adoratione, stabiliremus in Regno, Christi legem, aiebant hoc demum sperari à nobis potuisse ex quo induc-
ramus

ramus Literatorum cultum. Inuentum præterea Sinenses accentus quibus vocum persæpè mutatur significatio, reuocandi ad notas musicas, fermè omnes Cataneo tribuunt; cuius labore industrio factum est, vt media ex parte contraheretur nostrorum labor, qui ex Europa in Sinas missi horum linguam incipiebant pronuntiare & discere. In quo suam quidem habuit Riccius primam laudem, sed quod ei deinceps annuatim accessit, Catanei fuit, qui vocabularij Sinensis quod collegerat characteres & voces acuit, aspirauitque apicibus, mutantibus pronuntiandi modum, ex musicæ nostræ momentis, ac notis: in lucem Cataneus nihil misit, nisi de peccati dolore, seu contritione; postremis enim vitæ annis septem, iis cruciatibus membrorum, & debilitate laborauit vt applicare animum ad elucubrandum aliquid non liceret: duos vltimos annos diu noctuque sedit immobilis, mortique identidem adeò vicinus vt ei Froes, condendo cadaueri arcam funebrem compararet, sed quæ sunt rerum humanarum vices, dum se paulum Cataneus, recipit, ea in arca Froes humatus est. Cataneus post longum, & placidum morbi diuturni martyrium, quo putasses hominem, in cruciabili corpore iam beatum, animam efflauit, & parentatum est illi magnificè simul, & lamentabiliter ab Hancensis, & Sciámhaiensibus Christianis.

Frater Pasqualius Mendez natione Sinensis Pechini obiit Augusti vigesimo sexto, natus annos sex, & quinquaginta; Macai (quæ fuit illius patria) in pietate ac literis à nostris educatus, cum iis in Sinas ingressus est, & probatione annorum decem, promeritus est iis addi socius annisque triginta quos exegit in Societate, consummatæ virtutis hominem, & laboris in Christi negotio fructuosissimi se semper exhibuit, Pechini maximè vbi semper cum Riccio hæsit. Paucos ampla illa Regni metropolis ab annis viginti Christodedit, quos ille diuinis non erudisset, cumque nihil posset nisi de Deo loqui præter modum agendi mire gratum, & suauiter pium, tam selectus, & elegans sermo, eius dicta ornabat, vt à cultissimis linguæ nobilioris æmulis, & grauioribus Mandarinis iucundissimè audiretur, & obseruaretur supra suum, & illius gradum. Excursionum messis, quas in triduum Patres, interdum longius extendebant, multum quoque ad illum pertinere. In rebus Sinarum cognoscendis peculiari studio se exercuerat, scripsitque de iis complura, quæ magno vsui Patribus fuerunt. Defunctum exulit Christianitas illa intimè viuenti addicta, ornatum quam pio tam splendido. In procedentium ordine, post arcam funebrem, machina sequebatur, omnino pulchra, & artis eximie, in qua excellit Sinæ, eminebatque ex machina crux ingens elaboratissimi operis, quæ adulescentuli duo in linea castula, perpetua odorum ventilatione vaporabant, vt videantur iusta funebria fratris Mendez triumphus Crucis fuisse per urbem Regiam circumductus, in qua cum occurrerent in equis aut gestatoris Mandarinis, tantum abest vt suo transitu (quod

solent) supplicantium abrumperent agmen; subsistebant, inclinabantque cruci caput, & procliui laude defuncti memoriam recolebant. Præteruicta dehinc pompa, quid habent, inqueiebant, nostræ exequiæ, cum istarum excellentia, pietate, modestia, & religione comparandum? verum nullam æquè iacturam doluit Christianitas Sinenis, ut Alphonfi Vagnonij, quamuis ad annos iam prouecti quatuor, & septuaginta, ex quibus duos supra quinquaginta Societati vixerat, excolendis Sinis triginta quinque. In lucem venit, æui præteriti anno sexto & sexagesimo; natus est Truffarelli, gentis Vagnoniæ beneficiario prædio, paulo plus leuca Taurinis distito, cuius nobilitas sanguinis testes habet historicos, & quos censet eius familia, hierosolymorum nouemdecim equites; præter clientelares dititiones, ab usque imperio Federici Barbarossæ possessas. Annorum florem in Societate Deo immolauit, ubi magnas statim ingenij mouit, & virtutis suæ expectationes. Venit aliquanto post Mediolanum Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux, ad quem benignè Societatis Collegium inuisentem Vagnonius, gratulatoriam habuit omnium nomine, tanta dignitate & gratia dicendi, & agendi, ut hinc sapiens Princeps futuri prælagus expressam coloribus eius figuram poposcerit. At is suos amores, & ambitus spreta Italia, & quibusuis honorum illecebris, conuersioni ethnicorum ompes addixerat, & comæatui ad hoc idoneo, hoc est parando ad ærumnas, pericula, mortisque animo. Nec diu distulit Apostolici huius ministerij præfari, & consequi vota; anno huius seculi tertio à Præposito Aquauia cum multis aliis mittitur, quibus præfuit longa illa mensium quinque nauigatione. Sinas ingressus apno quinto, ea gessit quæ scripsi; duos supra centum Christianorum cœtus reliquit moriens, à se in totidem urbibus & oppidis fundatos. Chiancei octies mille Christianos, & ducentos ex iis, vel Magistratu vel gradu notabiles, cum succedens ibidem Nicolao Trigaultio, nullos reperisset præter viginti quinque Neophytos. Ecclesias quas inchoauerat, credebat nemini, vnus ipse per sese, obire, inspicere, consolari reuiscere, quamuis subinde octiduo semoras nulla sui, discriminum, montium habita ratione, ne hoc vltimo quidem anno, ætatis suæ septuagenariæ quarto. Denique, Riccium si demas, nullum scio fuisse fidelibus iuxta & infidelibus Vagnonio cariorem, nullum apud eos, etiam Proreges, Regionum Præfectos, & proceres, maiorem nactos venerationem, & amorem, dempto vno de quo narrauimus tyranno Scin. Hæreo tamen rem vnã admirans, inter tot curas, itinera, occupationes, & difficultates Apostolici muneris qui potuerit tam multa edere ut iis componendis, vitæ studiis immersa, pingue ac solidum otium, videatur vix potuisse sufficere. Corpus nempe diurnis, mentem nocturnis frangebatur laboribus, utrobique salutem animarum, & Christianismi sublimem spirans apud superbos illos. Literatos æstimationem: ac fideles quidem eius librorum lectione, veluti præsentis erudiebantur; editionem

editionem illorum ethnici literis, precibus, imo & pecuniis urgebant, nec ferè supererat quocumque vulgaretur, cui de veritate legis Christianæ, & sanctitate quam ea profiteretur subiret ambigere, vna eius in præsens omittendæ, vel differendæ ratio coniciebatur in austeritatem præceptorum, sexti potissimum de honestate ac pudore. horum porro librorum, quibus nunc etiam post mortem concionatur, & docet Vagnonius, hæc sunt argumenta, & nomina. Septem volumina de Sanctorum vita, quibus totidem illorum distinguit ordines, Apostolos, summos Pontifices, Martyres, Confessores, Anachoretas, virgines, viduas. Prolioxioris Catechismi volumina duo, de Incarnatione, & Passione Redemptoris; vita & miraculis Deiparæ Virg. vnum de quatuor nouissimis; duo item de filiorum educatione; de amore veræ virtutis vnum; de imitatione Sanctorum alterum; de consolationibus decem, ad mala decem seu miseras adhibendis; De principio, & fine mundi; De optima Regni gubernatione, quam accommodauit quinque officiorum generibus quæ discriminant Sineses. Regis erga sibi subiectos, mariti erga uxorem, Patris in filios, amici in amicum, senum in iuuenes. Ad hæc similitudines quas vocat, hoc est lectissima sapientum dicta de virtute: moralis; œconomica; & ciuilibus Doctrina: Philosophia naturalis de mixtis imperfectis; Sphæra; Miscellanea varij, & multiplicis argumenti, familiari dialogo digesta; verum enim vero sua ipsius vita, exemplorum, inquam, & virtutum illustri memoria nihil reliquit illustrius. Heroïco scilicet erga Deum amore, quodque hinc sequitur amplificandæ illius gloriæ studio, nullis parente aut saturo ærumnosis licet & periculosis laboribus, ac ne vitæ quidem, cuius in Christi causa profundendæ desiderio semper arsit, annis præcipuè ab hinc quatuor, & viginti cum cæsus publicè iussu tyranni Scin deportatus est in ferrea cauea extra regnum; dies enim aiebat, tres tantum præterea, si ea arctatus cauea durassem, actum erat, & certo moriebar, ex quo illi ponendæ pro Christo animæ felici momento, tantum dulcedinis hæserat, & deliciarum vt mortem illam fortunatissimam assiduè suspiraret. Iam eius charitas in Christianos, & ethnicos profusa, monumentis claret hospitalium domorum quas calamitosis aperuit. Illud virtutis ad purum excoctæ propriam habet admirationem quod ei dulciùs beneficentia saperet, quam impendebat hominibus à quibus fuerat in fama & vita læsus atrocius: fuit tamen in omnes aded liberalis, vt apud aliquos, etiam prodigus audiret; ipse hanc largitatem iure defendebat, vnum ex eo quod aliis præerat hoc sibi arrogans, vt demenso suo pauperes aleret. Quotidie igitur cum accubisset, tenue prandium partiebatur bifariam, & mediam partem erogari iubebat in mendicum qui foris primus accurreret. Accipiendis hilariter domi fidelibus quos confessionis, aut celebritatis occasio multos interdum, & victus egentes adduxisset, ne suo quidem comœtati parcebat annuo; nec parçè Deus hanc illi pensabat hospitalitatem.

Contigit

Contigit aliquando vt extrema pressus inopia Christianus ex eo subfidij, quantum posset largiri, peteret; sex illi, quos solos habebat minores argenteos dedit, & ecce aliquot post horis Mandarinus quidam decem aureos inopinatè misit. Et vice versa quocumque excurreret, erat autem ferè in cursu perpetuo, omnes ad se certatim trahebant tanquam patrem; omnes hospitem ambiebant; sed cum esset in omnes tam benignus, fuit sibi & corpori adeo inimicus, vt ne illam quidem ei quietem indulgeret, quam Apostolicæ occupationis densa & dura necessitas exigebat; nec minus fumi, & honoris quam sui fuit inimicus, nec verbis modo, sed abiectissimis etiam quibusque ministeriis ægrotorum quibus operam dabat, humilitatem Christianam suos Neophytos docuit. Nostris diu quidem sed multum inuitus præfuit, solitus lepide profiteri, se libentiùs peditem pugnare quàm equitem; hoc est parere quàm regere. Mitto incredibile, viri tanti, & intimam, erga virginem matrem reuerentiam & amorem, cui multa inter Sinas dicitur templa; multos verbis; & scriptis Clientes peperit, mitto erga diuinissimum Sacramentum, affectum eius incomparabilem ex quo sacrificanti vis ingens lachrimarum, & oris inflammati ardor; narrabantque vulgo Christiani sibi sapias visum inter sacrificantis manus, elegantissima specie puppulum, quem certò putabant ab eo conspici, nec sibi, nisi in eius gratiam monstrari. Nunc restat beato illius obitu, & iustis funebribus claudamus, mortis causam dedisse creditur, multum insolens labor in ædificanda Pemiani æde sacra; illinc ergo Chianceum reuecto, ex ipso itinere morbus intruduit, non est facile dictu, quanta precum, pœnarum, peregrinationum & votorum contentione certarint Neophyti, vt illum à Deo viuum impetrarent; ipse in vtrumque promptus, & alacer, ægotatione bimestri, & molestissima suam Deo, & hominibus inuictam patientiam probauit. Crebris sensuum velut morituri defectionibus, crebra cum morte imminente lucta fatigatus, succumbenti naturæ & ipse succubuit, vltimisque munitus Sacramentis, inter diuina colloquia, & Neophytorum lachrimas, in lectulo residens, fidelem animam domino reddidit. April. 9. anno 1640.

Dissepata Chiancei mortis eius fama, nemo fuit inter Magistratus etiam externos, quin ritu & habitu funebri veneretur eius arcam sepulchralem; adfuit & sua cum omni aula Rex (eorum vnus quos esse in Sinis aliquos diximus) eundemque illi honorem exhibuit. Puceo itinere tridui Colaus Han ex propinquis suis duos misit, idem officium præstituros, & comitatuos demortui funus; nec eo contentus ab vno ex regni supremis Reçtotibus honore, epitaphiam adiecit in laudes Vagnonij magnificè, doctèque ab se compositum, quod ad sandapilam, vt mandarat est lectum, in frequentia Literatorum præstantium celeberrimæ illius ciuitatis, & ornatissimo inscriptum cubitorum duodecim Damasceno, ibidem affixum; geminum huic misse Literatorum sealditas

dalitas Pucei erecta, & Mandarinum etiam ethnici, qui magnis ingenij, & artis viribus deprædicabant Vagnonium eiusque meritis sua elogia decorabant. Quærebant fideles condendo cadaueri arcam suo dignam thesauro ex lignis confertam preciosissimis, & aureorum aliquot centena vltro in eam destinarent; pompam præterea funeris ei descriperant maximè splendidam: vtrumque Michaël Trigaultius ad decimam redegit, prudenter arbitratus nostræ magis modestiæ decere consuli, quam illorum generosissimo in Patrem optimum amori. Pyram illi excelsum statuerunt multis illuminatam funalium gradibus; circum Christiani, Rosarium Virginis, precesque alias per octiduum decantant, intercepto sæpè singultibus, & lacrimis cantu; Die octavo post sacrum Defunctorum, agmen instruitur funeris deducendi, procedebant bis mille pulchro ordine Christiani, præibant ex iis quadringentas pilis laternas præferentes miro picturæ, ac fabricæ artificio variatas, cuiusmodi Sinæ ad læta & tristia festorum solent plurimum adhibere. Interiectæ singulis acerræ sequebantur, & perpetua odorum incensio, stipesque pauperibus quadringentis diuidendæ. Post hæc inter Christianos qui præcipuè eminebant, manu altera versabant precatórios globulos; altera gestabant coactam in cereos odorum fragrantiam, quam lentus ignis tota via spargebat. Deinceps vrbs Mandarinum, ex propinquis Colai duo; Rex ille quem diximus, omnes albo funerario atrati. Denique P. Michaël Trigaultius, in Sacerdotali stola & supparo: nunquam tali exequiarum pompa, tanta pietate, amore, & reuerentia externo parentatum. Iam Petrus, & Vitalis fratres Vagnonio intimi campum iugerum quinque coëmerant in quo cadauer humaretur, extrabatque in campi medio, arcem quadruplici subrectus fornix sub quo consuetis Ecclesiæ ritibus arca deposita; iterati sunt ciuiles ritus cum nouis lacrimis, lamentis, & dolore non consolabili; quem leniuit hoc ipso anno trium Patrum succidanea opera Francisci Ferrarij, Iosephi Almeida, & Gabrielis Magalianes; in consequentes dehinc annos P. Semedius in Europam missus anno 1635. socios quadraginta Sinarum nomine à Generali Præposito flagitabat quos secum in reditu duceret, incituros progressus nobiles clarissimæ illius expeditionis. Ego meum laborem ad metam, Deo laus quam mihi posueram perduxi, opotusum profecto, & prolixum ob scripturas & tabulas absque numero legendas, ex quibus illum & duci, & constare, & stabiliri oportuit; non leui tamen huius meæ operæ pretio, si quod initio professus sum quærere, cum Societatis historiam inchoarem, fuero consecutus, publico nimirum rationes probato, nauatæ à nobis in Dei gloriam, animarum salutem & Ecclesiæ obsequium operæ, quæ tria non possunt ab instituti nostri sine, & officio disungi. Hæc vero in parte historiae trium partium æquauit rationes, dum labores narraui Sinis, Cocincina, Tunchino à nobis impensos, & eorum fructus minimè pœnitendos. Illic non multis ab hinc annis Christi crux terræ palmam quo

defigeretur non habebat, opitulante Ignatij filijs potentissima Dei manu, adoratores sui censet innumerabiles, de victimis verò viginti annis, qui narrationis huius postremas quas scribo lineas sequuntur, scribit Brancatius anno 1661. ad Societatis Præpositum Gofuuium in statione nostra Sciambaiensi, quæ nec magna, nec ampli agri est ciuitas, annum elabi nullum quo duobus, tribusve millibus ethnicorum non augeatur Ecclesia; & [quos, inquit, procuro Neophytos, quadraginta quinque millia excedunt, eos in sodalitates distribui centum & viginti sub tutela Deiparæ Virginis, præter alias quinquaginta, titulo Christi patientis, & sodalitia Catechistarum, & puerorum, &c.]

Iam nostra in his agendi ratio digna est etiam in quam lector animum aduertat; vtque de Sinis tantum loquar, memoria reperat, cuiusmodi Sinas inuenerit Riccius, cum pedem in eos intulit; suspitionibus, legibus, Lusitanorum vicinia, supplitiis, opinione sui, & cæterorum omnium contemptu externis inimicissimos, insensissimos & iniquissimos; nunc verò iidem cuiusmodi sint attendat? qua nostros fama, existimatione, honoribus, amore, beneficentia prosequantur, accersant, suis sapientibus præferant, ipsimet Regi faciant gratiosos; librisque illorum doceri, excoli, reperi que Imperium gestiant, Bonziis errorum antea buccinatoribus, nunc mutis & nihili habitis. Lustret animo Ecclesias Christianorum ingenti numero, in Prouincijs vndecim fundatas; inductum in Regiam Christi nomen, & sacra; sacrificium diuinum, & quæuis alia festorum solennia templis apertis solita peragi; adoratam à primis Regni capitibus effigiem Christi Redemptoris, & in Christianorum exequiis, triumphantem per medias Metropoles Christi crucem, nam de gestis annorum viginti post Societatis sæcularem illustrioribus sileo; Sinas modo secum inter se conferat, quos Riccius reperit, cum iis quos Vagnonius reliquit; opinor non poterit nisi diuino miraculo tribuere, extrema tantis inter se diiuncta spatiis connecti potuisse, iisque interiectas difficultatum moles superari. Laudem denique illorum qui eas eluctati sunt tanta perseverantia, si quantum suspicor, in eo multi ponent, quod in studio animarum, tolerantia laboris, & perpeffionum mirabiles fuerint; mihi quæso ab iis seorsim sentite liceat. Et pluris quiddam aliud facere, quod si defuisset, nec ardor salutis alienæ; nec labores ærumnis consiti, quicquam egissent non dico perpetuum, sed ne diu quidem perstiturum, patientiæ nimirum generositate, continuandis longo tractu annorum ingratis, & obscuris laboribus, & velut paranda in opus grande materia hoc est concilianda sibi pederentim Mandarinarum qui possunt omnia æstimatione, beneuolentia, & fauore, id autem nihil aliud fuit quàm altè cæca latentem mergere fundamenta, rollendæ fabricæ opportuna; in facultate demum qualicumque ædificij humo proferendi, inserendisque in illud ethnicis; intendi alterum oculum præsentis operæ, futuro periculo alterum semper oportuit,

137.
Societatis in
conuers. Sin.
diuersam ef-
fe oportuit
ab vsu com-
muni ratio-
nem.

oportuit, ne ruina pro fabrica strueretur. Odit Sina tumultus, & exclamaciones turbulenta præpropetæ, parumque consultæ pietatis quæ semel tantum, vno loco iactatæ, poterant die vno multorum annorum præciosos labores non solum perdere, verum nos quoque irrevocabili exilio æternum damnare. Cautum id ergo à Patribus Societatis Iesu admodum providè, in Sinensi Regno Christi legibus subiugando, vt dissimulando quod præcipuè spectabant, & agebant, subiugatum se prius sentiret, & gauderet, quàm captatum, aut sollicitatum. Auctore sapientissimi huius consilij, & auspice Riccio, quem vel ob vnum hoc Sinenses Historiæ, suum iure Apostolum in perpetuum agnoscent.

